gitized by Google

Digitized by Google

Ph. 4p. 275

Ph. 920

Einzing

Philos. Logica. Instit. 802.

Digitized by Google

Joannis Martini Maximiliani ab Einzing,
S. R. I. Equitis, Comitis Palatini Caesarei ac Bavarici, uti et Notarii Publici immatriculati
ac Jurisconsulti

PHILOSOPHIA
RATIONALIS
SEU
LOGICA
THEORETICA
AEQUE, AC
PRACTICA
IN
USUM FORI,
SIMUL ET
SCHOLAE.

Landsbergae ad Licum,
typis Ottianis impressa an. 1791.

Digitized by Google

Philoſophia rationalis, ſeu Logica tam theoretica quam practica.

Imprimatur.

Sigmund Graf Spreti, Präſident.

München, in dem churfürſtl. Bücher-Cenſur-Collegium, den 13ten Jul. 1791.

Fr. Xav. Graf, Reg. un Sekretär.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO ac CELSISSIMO

S. R. I. PRINCIPI

AC DOMINO

CAROLO AUGUSTO

DE

BREZENHEIM

MAGNO PRIORI,

UTI ET

REVERENDISSIMO ac ILLUSTRISSIMO

CAPITULO

MAGNI PRIORATUS

ANGLO-BAVARICAE CLASSIS

EXCELSI ORDINIS

EQUITUM MELITENSIUM,

D. D. D.

Joannes Martinus Maximilianus
ab Einzing.

Digitized by Google

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

Reverendiſſime ac Celſiſſime Sacri Romani Imperii Princeps!

Reverendiſſimi ac Illuſtriſſimi Domini Domini Capitulares!

Audet hic liber *Veſtrum* ſibi excelſum Nomen inſcribere, non ſui, non auctoris, ſed Argumenti fiducia, pro *Sapientia* quippe ſcriptus, caeterarum, quibus praeditus eſt Intellectus, Virtutum Regina, quae adeo *Veſtra* eſt, ut cum ea non ſolum *Vosmet* ipſos arctiſſime copulaveritis, ſed etiam haud aliis uti ſoleatis Adminiſtris, quam quos ſapientia ornat, et, qui illuc manuducit, habitus philoſophicus. Id quod cum *Platonis* effato concordat, flo-

rere

rere ſcilicet Reſpublicas, ſi aut Philoſophi regnarent, aut Reges Philoſophi eſſent: et quod dudum comprobavit *Marcus Aurelius*, qui, uti et philoſophicis diſciplinis cultiſſimus, ita ſuis imperavit feliciſſime.

Haec Felicitas in Illuſtriſſima Equitum Melitenſium Linguae Anglo - Bavaricae membra et ſubditos ut in dies propagetur ulterius, ad Mandatum ſapientiſſimum Celſiſſimi Principis, ſub Auſpiciis Reverendiſſimi ac Illuſtriſſimi Capituli atque ſub Directione Cancellarii, rerum gereudarum ſcientia et virtute inſigniter ornati, in perennem praefati Magni Prioratus gloriam et ſalutem ſatis ſuperque proviſum eſt.

Digitized by Google

Aſt unde haurienda eſt ſapientia? quae ad ejus fontes ducit via? Viam oſtendit tam Lumen Fidei quam Rationis. Lux *fidei* puriſſima affulſit *Vobis*, quam a tot ſeculis Progenitores *Veſtri* ſervarunt illibatam, quamque *Vos* ipſi ex Inſtituto Ordinis Melitenſis, tot laureis et palmis Clariſſimi etiamnum armata manu tuemini. Lumen *Rationis* accendit Natura benigniſſima, quae *Vos* tot, tantisque gratiis inſignivit et dotibus, ut Fortitudinem *Veſtram* perinde ac Sapientiam in dies magis mirentur tam *Maltha*, quam *Germania*, nec admirentur ſatis. Bonus theſaurus in Principe nimirum eſt fortitudo, melior eſt ſapientia fortitudine. *Eccleſ.* 9.

Jam

Digitized by Google

Jam *Veritas* cum Templum Sapientiae aperiat, illa autem Philosophiae Pars, quae docet recte uti viribus intellectus in invenienda ac dijudicanda veritate, appelletur *Logica* seu *Philosophia Rationalis*, quid mirum, quod praesens hic liber coram *Vobis*, utpote Sapientiae, et, quae illuc ducit, Veritatis Cultoribus eximiis venerabundo affectu comparere praesumat?

Accipite ergo sereniſſima fronte lucubrationes hasce meas philosophicas, exiles quidem illas, dignitatumque, quibus eminetis, amplitudine ac celsitudine haud satis dignas, ast propenſiſſimo tamen ac submiſſiſſimo animo *Vestrae* gloriae con-

Digitized by Google

conſecratas, gratiamque *Veſtram*, qua nihil mihi optatius, et ad ſpes, fortunasque meas conſtabiliendas accommodatius contingere poteſt, ſervate mihi perpetuam. Scribeb. Monachii in Bavaria IV. Iduum Julii. An. MDCCXCI.

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIO
AD
LECTOREM BENEVOLUM.

Paucis abhinc annis Monachii in lucem prodiit Dissertatio quaedam Academica, Vötterianis typis excusa atque in publico Conventu Academico lecta, cui praefixus est titulus: Ueber das Studium der Philosophie. Natales suos illa debet Viro eximio, rerumque naturalium peritissimo, nimirum Praenobili ac Doctissimo Domino F. M. Baader, S. E. P. et B. Consiliario actuali, nec non in hujate Electorali Scientiarum Academia Classis philosophicae atque Gazophylacii Naturae Directori, nec non Historiae naturalis

et

Digitized by Google

et Chemiae Professori praestantissimo. Conqueritur ibidem praefatus Autor Clarissimus, in tanta Librorum Logicalium copia Patriae nostrae adhuc deesse Logicam indigenam, quae non tantum pro scholis metaphysicis, theologicisque, sed pro Statu Civili, pro studio juridico et re medica, summatim pro vita communi etiam scripta est. Perlecta tandem tota dissertatione, deprehenderam et ego, hanc querelam in rerum natura esse fundatam: id quod tamen salvis Autorum honoribus dictum velim. Non enim desunt, fateor, Logicae compendia: ast, cum illa non sint, nisi inventa Philosophiae scholasticae, terminorum et vocum potius, quam idearum doctrinam proponentia, quae non raro rem magis implicant, quam explicant, et non tam cogitandi methodum, quam litigandi libidinem juventuti ingenerant, laudatissimo tanti talisque Viri desiderio, simul et ipsimet pruritui meo, sapientiae cultoribus pro modulo virium mearum inserviendi, aliquatenus satisfacturus, Philosophiam rationalem seu Logicam theoreticam et practicam

in

in usum vitae communis, et ad pleniorem Logicae Federianae, Göttingae anno 1777 editae, atque Monachii e cathedra doceri solitae intelligentiam unacum locupletissimo Indice adornare, atque publici juris facere mecum constitui. Cum nimia brevitas difficilem reddat praeparationem, opusculum hocce ea laborare nolui: nec volui, illud esse prolixius, ne attentionis vim debilitet, aut tempus justo longius postulet. Cum velim denique intelligi, omnes sententias, positionesque meas exemplis et scholiis, ne legendo oleum et opera perdatur, illustravi. Ordo autem opusculi praesentis est sequens.

Con-

Digitized by Google

Conſpectus

Partium, Capitum, et Sectionum hujuſce opuſculi.

PARS I.

Caput I.

Sectio I.

Pars *Theoretica*, qua Prolegomena hiſtorica et pſychologica de natura et viribus mentis humanae, atque de origine idearum, nec non de cognitione Hiſtorica, Philoſophica et Mathematica continentur.

Sectio II.

De Ideis, ſecundum modum diverſis, ſcilicet de claris et obſcuris, diſtinctis et confuſis, completis et incompletis, ſeu de prima mentis operatione.

Sectio III.

De *adaequatis* et *inadaequatis*: de *ideis ſecundum rem diverſis*, ſcilicet ſubſtantiarum, modorum et relationum. Item de ideis rationis et imaginationis. De ſimplicibus et compoſitis, individualibus et univerſalibus, et quidem de genere, ſpecie, differentia, proprio et accidente.

Sectio IV.

De *uſu vocum* ſeu terminorum logicalium.

Se-

Sectio V.

De *Definitione* nominali et reali.

Sectio VI.

De *Divisione* ac subdivisione.

Caput II.

Sectio I.

De *secunda mentis operatione* seu *Judicio*, ejusque partibus: de judicio simplice et composito, eoque vel hypothetico vel disjunctivo vel copulativo: item de judicio modali et exponibili, uti et de universali et particulari, intuitivo et discursivo, nec non theoretico et practico.

Sectio II.

De *Judiciis*, *quae ex aliis immediate fluunt*, seu de affectionibus judiciorum, scilicet de oppositione, conversione, atque aequipollentia, uti et de Propositione.

Caput III.

Sectio unica.

De *Ratiocinio*, seu *Judicio*, quod ex aliis mediate, non immediate fluit, nimirum de tertia mentis operatione, adeoque de fundamentis, materia, forma, ac regulis Ratiocinii, simul et syllogismi, item de speciebus ejusdem et consequentiis.

PARS II.

Digitized by Google

PARS II.

Pars Practica, quae Methodum, syntheticam scilicet, qua Geometrae utuntur, et analyticam complectitur, seu, uti quidam vocant, quartam mentis operationem.

Caput I.

Sectio unica.

De *Dispositionibus mentis* ad Logicam tum in vita communi, tum in rebus philosophicis ac mere theoreticis adhibendam.

Caput II.

Sectio I.

De *natura veritatis evidentis* seu certae, ejusque duplici criterio, Experientia scilicet et Demonstratione.

Sectio II.

De *natura veritatis probabilis* ac oppositae falsitatis.

Sectio III.

De *multiplicitate veritatis probabilis*, ejusque vel historicae, vel hermeneuticae, politicae, moralis aut physicae.

Ca-

Digitized by Google

Caput III. et *ultimum.*

Sectio I.

De Methodo *inveniendi* veritatem *meditando*, seu de *Methodo cogitandi synthetica.*

Sectio II.

De Methodo *dijudicandi* veritatem seu *cogitandi analytica.*

Sectio III.

De Methodo *inveniendi* veritatem per *lectionem.*

Sectio IV.

De Methodo *inveniendi* veritatem per *interpretationem.*

Sectio V.

De Methodo *inveniendi* veritatem per *disputationem.*

Sectio VI.

De Methodo *inveniendi* veritatem per *auditionem* seu *conversationem.*

Sectio VII.

De Methodo *proponendi* veritatem per *doctionem.*

Sectio VIII.

De Methodo *proponendi* veritatem per *scriptionem*, adeoque etiam per *convictionem* et *refutationem.*

F I N I S.

Digitized by Google

LOGICES
PARS I.

Caput I.

Sectio I.

Pars haec eſt *Theoretica*, et continet tria *Capita*, quorum quodlibet ſuas habet *Sectiones*. *Sectio prima* comprehendit *Prolegomena hiſtorica et pſychologica* de natura mentis humanae ac origine idearum, nec non de Cognitione Hiſtorica, Philoſophica et Mathematica.

§. 1.

Experimur quotidie, nos *aut* ea, quae ſunt, vel fiunt, noſſe, ignoratis tamen hujusce facti vel eventus cauſis; *aut* cauſas etiam & rationes eorum, quae ſunt vel fiunt, intelli-

Digitized by Google

gere; *aut* quantitates denique rerum & menſuras, viresque item cauſarum perſpectas habere. In primo caſu cognitio noſtra dicitur *Hiſtorica*, non nunquam etiam *Vulgaris*, in ſecundo *Philoſophica*, & in tertio *Mathematica*.

Scholion.

1. Lapidem, in aquam verticaliter projectum deſcendere nemo ex plebe indocta ignorat; pariter quivis eruditorum id noſcit. Notitia ergo hujus facti, cum vulgo & eruditis ſit communis, *vulgaris* ſaepe & *hiſtorica* dicitur. *Vulgaris hæc* ſolam attentionem poſtulat, & ſubinde aliquid acuminis. Aſt *hiſtorica arcana* ſingularibus artificiis acquiritur, & ſenſibus ratio auxiliatur. Per *arcanam* noſti, aerem eſſe gravem. Per vulgarem autem, partem lunae ſoli non obverſam eſſe opacam. 2. Sic gaudes cognitione *philoſophica*, ſi non ſolum globum ferreum ope pulveris pyrei explodi noſcas, ſed inſuper rationem ſufficientem afferas, per quam, cur potius explodatur, quam non explodatur, ex qualitatibus pulveris pyrei concipi poteſt. 3. Quodſi denique etiam quantitatem pulveris pyrei et diſtantiam locorum noſti, tunc demum etiam cognitione *mathematica* frueris.

§ II.

Digitized by Google

§. 2.

Philoſophia eſt ſcientia rationis eorum, quae ſunt intra vel extra nos, vel fiunt, vel fieri poſſunt, id eſt, habitus ex principiis per ſe evidentibus demonſtrandi, cur haec res ſit, vel fiat, vel fieri queat. Aſt cum ob hominum imbecillitatem unus omnia ſcire ſtatim nequeat, hinc Philoſophia pro diverſitate objectorum in diverſas diſcerpi ſolet partes, quae ita ſe invicem ſequuntur.

Philoſophia

Theoretica		Practica	
Phyſica	Metaphyſica	rationalis	moralis
Dogmatica ſeu ſpeculativa.	Ontologia.	Logica.	Jus naturae
Experimentalis.	Cosmologia.		Ethica.
	Pſychologia.		Oeconomica.
	Theologia naturalis.		Politica.

Digitized by Google

Hae ſunt partes conſtitutivae Philoſophiae, in quibus ſi quis nihil affirmat, niſi demonſtratione convictus, is *Philoſophus Eclecticus* dici meretur. Sin ob auctoritatem alicujus hominis aut ſectae aliquid affirmat aut negat, non niſi *Sectarius* appellatur.

Scholion.

1. Quodſi igitur principia probationum non ex ſolo rationis lumine, ſed aliunde e. g. ex S. Scriptura quis depromat, eidem non *ſcientiam*, ſed fidem, non *carbonariam* quidem, ſed *ſcientificam* cum Perill. *L. B. de Wolff Log. min.* §. 236. 237. vel cap. XII. §. 11. 12. concedimus. 2. Philoſophia conſiderat qualitates rerum: cum autem qualitates rerum ſuos etiam habeant gradus, adeoque aeque menſurari queant ac lineae, hinc etiam Matheſis cum Philoſophia eſt conjungenda, Matheſis inquam, quae circa omnem verſatur quantitatem non tantum extenſionis, ſed etiam intenſionis. Unde quantitatem virium, affectuum, probabilitatis &c menſurat, quisquis ad ſublimiorem Philoſophiae gradum aſpirat.

§. 3.

Siquem igitur non ſola curioſitas, ſed verus cognoſcendae veritatis amor ad addiſcen-

Digitized by Google

ſcendam Philoſophiam invitet, nae is opus habet ſcientia quadam directrice facultatis cognoſcitivae in cognoſcenda veritate. Cum igitur *Logica* nihil aliud ſit quam ſcientia dirigendi facultatem cognoſcitivam in veritate cognoſcenda, plane facile eſt ad intelligendum, Logicam non poſt, ſed ante reliquas omnes Philoſophiae partes eſſe tradendam, quin ipſi Matheſi Graecorum more eſſe praemittendam.

Scholion.

1. Caecus directore aut certe baculo indiget. Quis autem neget, intellectum humanum undique limitatum et caecum in cognoſcenda, dijudicanda et invenienda veritate, tot, tantisque tecta involucris, directore opus habere? cum Philoſophiae ambitus ampliſſimus ſit, et omnia poſſibilia comprehendat, quis huic oceano ſe committere audeat, niſi adjutrice Logica natare doctus? 2. Datur quidem *Logica naturalis*, quatenus etiam ruſticus gaudet facultate in rebus obviis verum cognoſcendi, illudque internoſcendi a falſo, ſed cum ob ſimilitudinem exemplorum, ita judicat, ut conſuevit, nec aliter; hinc homo in judicando et ratiocinando ſaepius errando didicit, atque uſu et crebriori

briori exercitatione, quas nescíebat, acquisivit regulas, secundum quas vel judicet vel ratiocinetur. Sic quilibet rusticus quotidie suas actiones instituit secundum legem imaginationis, quamvis, quod existat lex imaginationis, ignoret. Quid dicam de rebus majoris indaginis, si quis etiam in obviis erret? Breviter: idem accidit illis, qui sola Logica naturali contenti sunt, quod evenire solet iis, qui solo usu linguam gallicam discunt. Nulla enim usi institutione, regulas linguae vel prorsus non, vel obscure certe et confuse admodum noscunt, majori semper errandi periculo expositi, quam illi, qui regulas loquendi scribendique ex grammatica hauserunt, et rationem sermonis ex regulis, distinctius cognitis, reddere possunt.

§. 4.

Spiritus, in genere acceptus, nihil aliud est, quam substantia simplex seu immaterialis, intellectu pollens et voluntate, eoque est perfectior, quo perfectiori gaudet intellectu et voluntate. 2. Cum intellectus sit facultas res distincte repraesentandi: distincte autem nobis res tunc sistimus, quando ipsas non modo ab aliis rebus internoscere, sed notas quoque et characteres speciatim allegare

gare poſſumus, quibus res repraeſentatas ab aliis rebus diſcernantur. 3. Quodcunque igitur ſibi res tantum obſcure, aut clare quidem, aſt non diſtincte repraeſentare poteſt, illud in numerum ſpirituum noſtrorum referri nequit, ſed ſolummodo ad claſſem entium ſimplicium pertinere noſcitur, veluti elementa corporum et animae brutorum. Quidquid autem de ſpiritu ſcimus, illud aut per experientiam nobis innoteſcit, aut per ratiocinia, ex experientiis legitime deducta. Experimur, quod noſtrum, aliarumque rerum, extra nos poſitarum, nobis ſimus conſcii. 4. Experimur, nos gaudere facultate unam rem ab altera diſcernendi. Experimur, quod ope ſenſuum percipiamus res praeſentes, quod imaginemur nobis abſentes, quodque agnoſcamus ideas, quas imaginatio reproducit, easdem eſſe, quas jam olim habuimus. 5. Ope ratiociniorum econtra de anima noſtra nobis innoteſcit, quod ea ſit ſimplex, ſeu quod non conſtet partibus, extra ſe invicem poſitis, adeoque quod ſit indiviſibilis et inextenſa, et conſequenter omni magnitudine

Digitized by Google

careat et figura. Experimur denique, mentem noſtram in inveſtigando, cognoſcendoque vero ſaepius labi: cum vero nulla prolapſio, nullusque error eſſe poſſit, ſi adſint regulae, a quibus dirigimur: Logica autem artificialis in eo unice occupetur, ut regulas ad rationem perficiendam, et ab omni lapſu cuſtodiendam ſpectantes exponat, quis eſt, quaeſo, qui ex natura mentis humanae non intelligat, Logicam artificialem eſſe neceſſariam cuivis, qui non vult ſaepenumero labi et leges recte ratiocinandi identidem migrare.

Scholion.

1. Nominalis haec definitio *Spiritus* ſufficit ad Spiritum a corpore omnibusque aliis rebus ſemper et ubique dignoſcendum. 2. *Senſus, intellectus et ratio* ita differunt, ut ſenſus adjutorio noſcamus, Petrum eſſe triſtem, per intellectum autem comprehendamus, quid ſit triſtitia. Ratio demum indicat, cur ſit triſtis: quo plura proin ſibi quis poteſt diſtincte repraeſentare, quoque diſtinctius, eo major, eoque perfectior eſt intellectus. 3. Si ſcire cupis, num Cajus ideam diſtinctam

ctam gaudii vel triſtitiae habeat, quaere ex ipſo, quid ſit gaudium, quid triſtitia. Si notas, hoc eſt, praedicatum genericum et differentiale, proferre poteſt, quibus gaudium a triſtitia diſcernatur, tunc idea diſtincta gaudii et triſtitiae pollet; ſecus confuſa. 4. Noſti e. g. te non eſſe turrim, quam extra te conſtitutam vides, noſti item turrim non eſſe pontem, quem coram intueris, nec pontem eſſe equum &c. adeoque hoc ipſo non ſolum te ab aliis rebus, extra te poſitis, diſtinguis, ſed res ipſas, turrim, pontem, equum &c. quae extra te ſunt, a ſe invicem dignoſcis. 5. Vidiſti ſaepe amicum tuum (en ſenſationem!) qui nunc eſt in America, et per ſomnium ſe tibi oſtendit (en imaginationem!) et, dum tibi apparuit per ſomnium, agnoſcebas, eundem amicum illum eſſe, quem olim coram videras. Logica artificialis ſcilicet eſt diſtincta explicatio Logicae naturalis.

§. 5.

Veteres diviſerunt animae facultates, vires-que omnes in *intellectum et voluntatem:* cum autem plurima ſint in anima, quae ad intellectum non poſſunt referri, uti vis ſentiendi, imaginandi, recordandi et reminiſcendi: et ſcopus praeſentis opuſculi eo tendat, ut non

modo

modo intellectus, ſed etiam ſenſus, imaginatio et recordatio perficiatur, adeoque omnes vires facultatis cognoſcitivae emendentur; non minus enim in cognoſcenda veritate utimur ſenſibus, imaginatione, et ingenio &c quam intellectu; hinc *Logicam* definio eſſe Sophiam directricem facultatum cognoſcendi in inveſtiganda aut proponenda veritate: conſequenter Logica eſt Directrix non ſolum facultatum nobiliorum attendendi, reflectendi, abſtrahendi, et ratiocinandi, ſed etiam facultatum ſentiendi, imaginandi, recordandi ſeu reminiſcendi ignobiliorum; emendationem enim facultatum ignobiliorum aeque ac nobiliorum ad Logicae, aut, ſi mavis, Sophiae ſtudium pertinere quis eſt, qui neget? Alia obſcure et confuſe, alia diſtincte percipimus: obſcure et confuſe cognoſcendi facultatem anima noſtra cum brutis habet communem, adeoque eam vel ex hac ratione tenetur ope ſtudii Logici emendare, ut ſe a brutis diſtinguat. Facultates nobiliores anima noſtra habet quidem proprias, at polire tamen et perficere pro virili debet, et quidem

dem arte ac doctrina, ne agros de se fertiles parum colere videamur.

Scholion.

Interim operae pretium est, omnes et singulas has facultates definire, ut Lector nondum Metaphysicus notiones distinctas de his facultatibus acquirat, antequam ulterius procedit. Est autem *attentio* nihil aliud quam vis cogitationes suas ita in re quapiam defigendi, ut illius magis simus conscii, quam aliarum rerum, quae simul existunt: diciturque speciatim *Reflexio*, si partes et membra alicujus rei attente perlustraverit, Quid vero magis vim reflexionis auget, quam simplex praedicamentorum cognitio, in scriptis dialecticis olim tradi solita? *Intellectus* cum sit facultas res distincte repraesentandi, unde majorem sui culturam sibi polliceri poterit, nisi a Dialectica, quae notiones, easque distinctas formare docet: cumque notiones universaliores sine abstractione fieri nequeant, profecto vis abstrahendi exculta ad formandas ideas universales plurimum conducit, nec ullibi magis excolitur et praeparatur, nisi in illis Dialecticae capitibus, quae de omni idearum genere simul et de Praedicabilibus tractat. *Ratio* denique, qua fere sola homo brutis praestat, quaeque definitur esse facultas animae

mae noſtrae, nexum veritatum univerſalium diſtincte percipiendi, etſi nullibi magis quam in Matheſi tanquam in ſede propria omnis proportionis arithmeticae, geometricae et harmonicae perfici poſſe videatur; quia tamen omnis argumentatio ſeu ſyllogiſtatio fundamentis non niſi harmonica ex proportione deſumtis innititur, imo ipſa nihil aliud eſt quam proportio quaedam harmonica, ut Clariſſimus *Hanſchius*, Conſiliarius Caeſareus anno 1744 in ſuo tractatu de *Proportione Harmonica* in ratiociniis nuper detecta, et ſingularibus exemplis illuſtrata, apprime demonſtravit. nullibi ferme Ratio plura inveniet media ſui excolendae quam in Dialectica et Analytica. Quemadmodum enim Matheſis mixta magis corporibus mechanicorumque actionibus metiendis utramque paginam dedicat, ita Logica in metiendis notionibus, quae non ſunt in materia, potiſſimum eſt occupata. Unde ratio etiam ab intellectu differre intelligitur: *Intellectus* enim eſt facultas res diſtincte repraeſentandi: Intellectus ope cognoſcimus, quid quaevis res ſit; Ratione adjutrice inveſtigamus, cur unumquodque ſit vel fiat: cum igitur ſcientia adjutrice rationes rerum expiſcamur, et, cur unumquodque ſit, indagamus, *Scientia* definitur per habitum aſſerta ſua demonſtrandi. Facultas *ſentiendi* eſt vis, res, corpori noſtro praeſentes, nobis ope organi

organi ſenſarii praeſentandi, quae praeſentatio *ſenſio* ſeu *ſenſatio* vocatur. Facultas res abſentes, tanquam praeſentes denuo ſibi repraeſentandi, priſtinasque perceptiones inſtaurandi, eſt *Phantaſia* ſeu *imaginatio*: ipſa autem talis repraeſentatio dicitur *phantasma*. Senſus res praeſentes percipit: Phantaſia rerum jam olim perceptarum imaginem inſtaurat et revocat. Acceſſit *memoria* agnoſcit, ideas, quas imaginatio denuo producit, eſſe easdem, quas jam olim habuimus. *Memoria* ergo eſt facultas ideas claras denuo productas recognoſcendi. Contigit interdum, ut idea quam imaginatio inſtaurare coepit, ſit obſcura, et anima noſtra hanc ideam obſcuram ope notarum, quas vel temporis, vel loci ratio aut aliqua narratio ſubminiſtrat, in claram, quin et diſtinctam permutet. Id quoties facit anima, toties *reminiſci* dicitur, ut adeo *reminiſcentia* (ſeu recordatio) nihil aliud ſit quam facultas perceptiones praeteritas, circumſtantiarum quarundam adminiculo recognoſcendi. Hasce definitiones pſychologicas praemittere neceſſe erat, ne Logices cultor, nondum Pſychologus caſſa verba ſe audire credat, quando de hisce facultatibus animae ſit ſermo, aut ne obſcuris ideis aſſenſum praeſtare aſſueſcat.

§. 6.

Digitized by Google

§. 6.

Quoniam *contemplatio* Regularum Logicarum aeque ac *applicatio* earundem novam in nobis elicit attentionem, declaratque non ſolum falſitatem operationum mentis noſtrae ipſo rationis lumine oſtenſam, ſed cauſam, cur haec mentis operatio ſit falſa, etiam detegit, conſequens omnino eſt, ut conſiderationes, reflexionesque in Logica inſtitui ſolitae nos ſecuros reddant, quod facultate cogitandi ratiocinandique bene uſi fuerimus. Jam non dicam, quod Logica de natura mentis noſtrae nobis afferat magnam notitiam, quae eo ipſo eſt excellentiſſima, quia contemplatio mentis noſtrae omnes ſuperat rerum corporalium ſpeculationes; id unum omittere nequeo, quod Logices ignarus adverſariorum fallacias ſeu ſophiſmata nec animadvertere, nec refutare queat. 1. Quin imo excellentiſſima haec Logices doctrina ſemper cavet, ne adeo ſimus ſimplices et in veritatem reverentes, ut ejus probabilitatem aut evidentiam explorare non audeamus, ne hominum

minum malitia accipiat anſam, hac ſimplicitate noſtra abutendi, et falſum pro vero, dubium pro comperto venditandi. 2. Praecipit equidem virtus religionis, ut praeprimis praecepta in Scripturis expreſſa obſervemus, puramque ejus et veram amemus doctrinam; attamen id non exigit, ut ex metu, ne ſimus minus Catholici, omnia, quae Scriptor, etiam Catholicus, qualiscunque demum, ſcripſit, et ignorantiſſimus quisque ex plebe credit, fabulas atque falſa dogmata non diſcernamus. 3. Ubi enim Theologia traditur Polemica, ibi uſus Logices et Critices eſt utique praecipuus.

Scholion.

1. *Scholaſtici* Logicam dixerunt eſſe Inſtrumentum philoſophiae, quo diſcernimus verum a falſo, ſeu eſſe habitum organicum bene differendi, diſputandi vel docendi &c. cujus opus praecipuum eſt argumentatio. Res eodem recidit, modo recte explicetur. *Grammaticam et Logicam* pro Inſtrumentis Philoſophiae habuerunt, ita quidem, ut illa verſetur circa ſermonem congruum, et pueris primum omnium tradenda ſit. Haec autem circa rationem,

tionem, oratione expreſſam, adeoque poſt Grammaticam veniat docenda; quin ipſa *Rhetorica* juxta mentem eorum erat particula Logices. *Logica* derivatur *apo tu logu*: quod nomen deducitur a praet. perf. med. *leloga*, verbi *lego*. Nam *logice* eſt per ſe adjectivum, et per Ellipſin ſubſtantivi *techne*, ſubſtantive accipitur pro arte rationis, oratione expreſſae: quia *logos* tam rationem, quam orationem ſignificat. *Cicero I. Acad. quaeſt.* Secundum *Ariſtotelem*, ejusve Interpretes Logica vel eſt *communis* vel *propria*. *Communis* agit de ſyllogismi ſeu argumentationis conſtructione quoad formam, et de iis, quae ad eam ſcitu ſunt neceſſaria. *Logica communis* explicatur in organo *Ariſtotelis*, quatuor libris. in Iſagoga *Porphyrii*. Scilicet, in Categoriis, in duobus libris de Interpretatione et in Prioribus analyticis. Apud *Philippum* tribus primis libris Dialecticis. Nam in primo de *Praedicabilibus et Praedicamentis*: in ſecundo de *propoſitionibus*; In tertio de *argumentatione* agit, *Logica propria* agit de argumentationis materia ſeu locis, ex quibus tam enuntiationis quam argumentationis termini, qui hoc loco Argumenta dicuntur, deſumuntur ad certum aliquem finem. Vulgo dicitur Inventio et Doctrina locorum. Apud *D. Philippum* eſt quartus liber Dialectices. Apud Recentiores prior Pars Logicae. De locis omnium argumentorum

torum seu de argumentis infra dicemus. 2. Quos non *Baylius* suo cepit ingenio, ut primo ruerent in scepticismum, ac tandem in manifestam impietatem? Quanta incommoda ex neglectu Logices in dogmata de DEO et moribus influant, ostendere conatus est *Pfaffius* in introduct in hist. theol. litt. P. 2. p. 403. Unde *Augustinus* profitetur, sibi hanc artem magnum attulisse adjumentum ad dissolvenda haereticorum dogmata. 3. Quare idem *Augustinus* terror fuit hominum erroribus turbulentotum, quod Dialectica magistra statim, quid in quaque re verum sit, sincerumque, quid falsum et corruptum, sentiebat. Finem haud facile assequi possem, si omnia commoda, quae in utramque rempublicam ex Logica redundant, enumerare vellem.

§. 7.

Ast nullis non temporibus fuere, qui Logicam veluti inutilem, incertam, imo noxiam rejicerent artem: huc pertinent *Sceptici*, qui cum de omni cognitione dubitabant, etiam Logicam non potuerunt non pronuntiare quam maxime incertam. Nec mirum: cum enim omnis cognitio seu idea

Digitized by Google

originem trahat a ſenſione, qua rerum modos et attributa addiſcimus atque diſcernimus, vel ab abſtractione: ſenſio autem a Scepticis pro re incerta et dubia habeatur, eoquod ſenſus ipſis videantur fallaces, intelligitur, cur Sceptici Logicam, ſenſionis fundamento innixam, pariter veluti incertam et fallacem explodere ſoleant; aſt Sceptici, ita inferentes: *ſenſus aliquando fallunt: ergo ſemper fallunt*, ſua opinione falluntur: nam ſenſus non ſemper fallunt. Id tantum diligenter obſervandum venit, ut ſenſoria organa ſint ſana, 2. ut, quod medium eſt inter organum et objectum, recte ſe habeat, 3. ut attenta ſit mens, 4. et rem in juſta diſtantia, 5. vel adhibitis idoneis inſtrumentis exploret. His obſervatis tantum abeſt, ut ſenſus fallant, ut potius tenenda ſit regula: *ſenſus poſitis omnibus ad ſentiendum requiſitis, non fallunt.* Alia interim cautela ſupereſt circa concluſiones ex ſenſione formandas; nam qui ex ſenſione aliquid concludit, probare debet ſe recte concluſiſſe, cum ſenſio poſſit eſſe certa, quin concluſio talis ſit.

Scho-

Scholion.

Ita *solem aliquando obduci maculis* non teneor probare, sed casum tantummodo narrare, quo hoc observatum fit. Quoties vero inde concludo, solem esse metallum aliquod liquidum, *cujus scoriae aliquando emergentes has evaporationes et maculas in superficie solis efficiant*, toties teneor demonstrare, quod in sole dentur scoriae, hasque producant maculas, transeuntes aut constantes, adeoque me recte esse ratiocinatum.

§. 8.

Cum rectitudo sensionis seu perceptionis *quinque requisitis* innitatur, uti in praecedenti Paragrapho dictum est; hinc res, quam sentire volumus aut percipere, corpori nostro debet esse praesens. Id autem corpori nostro *praesens* dicitur, quod in ejus organis sensoriis producit mutationem, et tunc dicimur *sentire* seu *percipere*, quando rem corpori nostro praesentem nobis repraesentamus, ut adeo *sensio seu sensatio* seu *perceptio* nihil aliud fit quam ipsa repraesentatio rei corpori nostro praesentis. Quemadmodum vero

membra corporis noſtri, in quibus mutationes, cujusvis ſtructurae convenienter, in ſentiendo contingunt, *organa ſenſoria* vocantur, ita quinque ejusmodi ſenſoria organa in corpore noſtro exiſtunt, ſcilicet *oculus, auris, nares, lingua* et fibrillae nerveae per totum corpus diſperſae atque nomine *tactus* inſignitae, quibus *quinque ſenſus* ortum ſuum debent, quos in corpore noſtro deprehendimus: nimirum *in noſtro*. Id autem *corpus noſtrum* vocamus, in quo comperimus, motus fieri ad imperium voluntatis, et pro cujus relatione, ſitu et operatione, reliqua corpora nobis repraeſentamus. En notas, per quas corpus noſtrum ab innumeris aliis corporibus diſtinguimus.

Scholion.

Viſus eſt facultas corpora per mutationem in oculo factam ſentiendi: *Auditus* eſt facultas corpora per mutationem in aure factam ſentiendi; *Guſtus* eſt facultas corpora per mutationem in lingua, ejusque papillis factam ſentiendi. *Olfactus* eſt facultas corpora per mutationem in naribus factam per-

percipiendi: *Tactus* est facultas corpora per mutationem in fibrillis nerveis per totum corpus dispersis factam percipiendi: hae quinfacultates constituunt potentiam animae nostrae sensiones sive perceptiones habendi.

§. 9.

Corpus concurrit ad sentiendum, *recipiendo* mutationes ab extra in organis suis sensoriis; item anima concurrit, *repraesentando* illas mutationes in organis corporis sensoriis factas. 1.) Cum igitur in omni sensione mutatio in organis corporis nostri sensoriis produci debeat, illa autem mutatio, a rebus extra nos positis in organis nostris sensoriis producta, ab anima repraesentetur, luculenter sequitur, nec solum corpus, nec solam animam sentire, sed alio perfungi officio corpus, alio animam, eodem tamen tempore, ita tamen, ut quando objecta externa revera et actu ipso in organa sensoria agunt, in iisque mutationem producunt, aeque non sit in potestate animae, utrum sentire velit, nec ne, 2.) quamvis negandum non sit, nos saepius im-

Digitized by Google

pedire posse, quo minus objecta extrinseca in organis nostris sensoriis mutationem producant, 3.)ac penes animam nostram non sit, qualem ipsa sensationem esse velit, 4.)et quantam, *clariorem et fortiorem* scilicet, an *debiliorem et obscuriorem*. 5) Interim hos *sensus*, corpora extra nos posita sistentes, nuncupare solemus *externos*, ut contradistinguantur a sensibus, quibus anima proprias suas cogitationes et cupiditates, id est, *actus intellectus et voluntatis*, percipit, quosque sensus appellamus *internos*.

Scholion.

1. Cum fragorem tonitru, aut explosi tormenti auditu percipimus, tum id ita contingit, ut motus aeris tremulus, qui percussione et vehementi displosione corporum solidorum et fluidorum producitur, ad aures nostras subito deferatur, ac per aurium flexuosos et tortuosos anfractus continuetur, atque ibidem reconditum auditus organum percellat. Haec ad corpus: quod cum fit, oppido anima sibi mutationes in auribus factas repraesentat. 2. Cum radii alicujus objecti visibilis e. gr. solis in oculis nostris mutationem producunt, non est arbitrii nostri, utrum videre solem velimus nec ne, sed necessario eum videmus.

Cum

Cum fragor tormenti explosi in aures nostras illabitur, tunc non est in potestate nostra, utrum ipsum audire velimus, nec ne &c. 3. Sic, si lubet, possumus oculos claudere ne radii solares in oculos irrumpere queant; possumus etiam aures obturare, aut procul abire, quo minus tormentorum fragor in auribus nostris molestas producat mutationes. 4. Non est arbitrii nostri, utrum id, quod aures nostras offendit, sentire et percipere velimus tanquam *sonum suavem et gratum*. Neque in potestate nostra est, frigus tanquam *calorem*, et amarum tanquam *dulce* quid, et flagella tanquam *blandam titillationem* percipere et sentire: est tamen in potestate mentis positum, ut possit mens organa eo flectere, quo velit, aut avertere, cum velit, item eo vertere, ubi sensatio debilior depellitur per sensationem fortiorem. In regula interim verum est, positis conditionibus ad sentiendum necessariis, item organo, objecto et medio rite constitutis non esse penes animam, velit admittere sensationem, nec ne, sed necessario illam habere. 5. Cum e. gr. auditu percipio fragorem tormenti bellici, tum illam sensationem comperio esse fortiorem illa, qua dulces luscinae, pone sedentis, modulationes percipio. Sic lumine solis exsplendescente lumen stellarum fit debilius, nec amplius comparet. Quod idem obtinet

in aliis omnibus ſenſationibus. 6. Ubi quis aliquando ſenſu interno percipit et ſentit gaudium vel triſtitiam, ex ea ſenſione interna ſibi ideam *gaudii* aut *triſtitiae* format, et hanc ideam *conſcientia ſeu ſenſu interno* acquiſiviſſe dicitur: ſenſus eorum nimirum, quae intime animum afficiunt, cui ſui ipſius, mutationumque ſuarum conſcientiam debet, quique in iis partibus excitatur, quae ſenſuum externorum aciem plane fugiunt, *internus* dicitur. Sicuti nempe externarum rerum notitia ſeu idea externorum organorum ope contingit, ita *internum* quoque aliquod exiſtere *organorum ſubtiliſſimorum ſiſtema* ex primogeniis cujusvis corporis humani partibus conſtans, quorum mutationibus ideae rerum actu non praeſentium excitentur, quorumque ope, quae in memoriam ſibi animus poteſt revocare, tum quoque, quando eorum ſibi conſcius non eſt, ſerventur, admodum eſt probabile, organa haecce corporis ſubtiliſſimi ſeu ſenſorii ſublimioris, ab organis ſenſoriis corporis craſſioris prorſus diſtincta remanent etiamnum, quando organa corporis craſſioris unacum corpore craſſiore, quod ex partibus ſecundogeniis conſtat, in morte interire videmus. Uti adeo facultates *rationis*, *judicii et intellectus*, uti et memoriae, reminiſcentiae, attentionis et praeſcientiae ac imaginationis poſt interitum corporis craſ-

ſioris

ſioris non ſolum remanere, ſed etiam, quaſi e carcere egreſſae, vividiores, liberiores et in cognoſcendo *vero*, *pulchro* et *honeſto* perſpicaciores evadere videantur. Perinde ac *imaginatio* reproducit perceptiones rerum ſenſibilium abſentium, jam olim habitas, et vario modo componit eo ipſo tempore, quo dormimus, ſeu quo nullius rei praeſentis nobis conſcii ſumus, adeoque illo tempore, quo res extra nos exiſtentes in organis ſenſoriis corporum noſtrorum nullam producunt mutationem. Hae perceptiones in ſomno ab imaginatione productae, et diverſimode compoſitae dicuntur *Phantaſiae*. Hinc *ſomnus* eſt imago mortis: *ſomnium* enim nihil eſt aliud; quam ſtatus ille mentis, quo non niſi res abſentes clare percipimus, ſeu earum nobis conſcii ſumus: et *ſomniare* dicimur, ſi per tractum aliquem temporis non niſi res abſentes percipientes nullius rei praeſentis nobis conſcii ſumus.

§. 10.

Eam facultatem, qua res immateriales et abſtractas percipimus ſeu ſentimus, dijudicamusque, et de iis ratiocinamur, nominare ſolemus *intellectum*: 1.)qua vero ideas rerum materialium, olim perceptas, retinemus

revocamus et discernimus, *imaginationem* appellamus. 2) Non igitur omnes ideae ad Intellectum referuntur: quoties enim mens ideam objecti materialis absentis contemplatur, toties id per *imaginationem* fieri dicimus. Quodsi *imaginatio* varias ideas materiales absentes componit, tunc ea dici solet *ingenium*; si eas discernit, tunc *judicium*: si revocat, tunc *reminiscentia*; si retinet, tunc *memoria*. Hinc ea, quae *ingenium* componit, seu fingit, non semper reipsa existunt: ejusmodi ideae nominantur *chimericae* vel entia rationis; 3) hinc *judicio* opus est, quod rem ab umbra, chimeram ab ipsa re, atque attributum ab attributo accurate secernat. 4) Insuper *intellectus* apud omnes homines est idem, imaginatio econtra hominum diversorum saepe diversissima est: nec mirum: *Intellectus* enim non nisi de rebus immaterialibus et abstractis judicat et ratiocinatur, easque solas percipit: *imaginatio* autem de rebus materialibus, quae sensus diversimode afficere possunt. 5)

Scholi-

Digitized by Google

Scholion.

Intellectus eſt facultas res ſibi diſtincte repraeſentandi. Quo plura igitur intellectus ſibi diſtincte repraeſentare poteſt, eo major eſt intellectus. Intellectum *purum* dicimus, quo res eo diſtinctionis gradu nobis ſiſtimus, ut nulla ſenſuum imaginationisque confuſa repraeſentatio ſit admixta: e. gr. ſi notiones abſtractas *ſpatii*, *eſſentiae &c.* ſibi tam diſtincte quis repraeſentat, ut nullis imaginibus ſenſualibus, ad eas recte intelligendas, opus habeat. Intellectus *impurus* eſt, cum res nobis ita repraeſentamus, ut multas adhuc ſenſuum et imaginationis confuſas ideas inveniamus admixtas. e. gr. ſi quis ideam *ſpiritus* ſine imagine quadam ſenſuali formare nequeat. Aſt in hac vita nec datur, nec dari poteſt intellectus perfecte purus. 2. Facultas res abſentes tanquam praeſentes denuo ſibi repraeſentandi dicitur *facultas imaginandi* ſeu *imaginatio*: ipſe autem actus, quo eas nobis repraeſentamus, vocatur *phantaſia*: uti ipſa res abſens, ab imaginatione denuo reproducta vocari ſolet *phantasma*. 3. Entia rationis autem non veniunt confundenda cum non entibus: nam *non entia* plane non ſunt objecta mentis, de quibus ſcilicet nihil cogitari poteſt. Veluti *circulus quadratus* eſt non ens; de eo enim ne cogitari quidem quidquam poteſt. 4. Facultates, quatenus in homine-

homine diverſo gradu mixta ſunt, non unam dant homini *indolem*, quae praedominante judicio *erudita*, ingenio *aulica* et *militaris*, memoria *vulgaris* a non nullis vocari ſolet. §. Omnes homines, modo ſana ratione utantur, concipiunt, figuram includi non poſſe duabus lineis, virtutem eſſe honeſtam, corpus conſtare partibus, totum majus eſſe qualibet ſua parte. At non omnes judicant, hanc muſicam eſſe ſuavem, faciem illam eſſe formoſam, cibum iſtum eſſe ſaporis eximii. Quod *memoriam* attinet, adhuc circa eam monendum eſt, eam dividi ſolere in *animalem* ſeu *ſenſitivam et intellectualem*: illa eſt facultas ideas reproductas et objecta per eas praeſentata, confuſe recognoſcendi: qualem memoriam homo habet cum brutis communem: haec eſt facultas ideas reproductas objectaque per eas repraeſentata diſtincte recognoſcendi: atque haec non niſi homini propria eſt.

§. II.

Si quis jam definitiones de diverſis animae facultatibus hactenus traditas ſibi familiares reddiderit et ſatis perſpectas, non ſolum faciliori greſſu in *Logicae artificialis* ſtudio procedet, ſed et citius *habitum* acquiret

ret recte percipiendi, judicandi et ratiocinandi, quam quivis alius, qui animo non praeparato et quasi illotis manibus excellentia Logices mysteria tractare praesumit. Existit quidem Logica naturalis in quovis fere homine, sed ea est imperfecta: prouti naturalis facultas numerandi, saltandi, equitandi, digladiandi, canendi, loquendi, et persuadendi cuivis homini inest, utut imperfecta quaevis: ars naturam perficit. Hinc magister in arte saltandi, equitandi, digladiandi quaeritur, et in subsidium adhibetur: hinc arithmetica, musica, grammatica, et rhetorica e cathedris docentur: cur ergo non etiam ars cogitandi seu Logica? Profecto reprehendendos imo a posteris infamia notandos diceres ejusmodi sciolos, qui juventuti literariae, ut eam, olim Logices aristotelicae tricis justo diutius inhaerentem, ad utiliora revocarent, ab uno extremo prolapsi ad alterum, hoc instrumentum ad acquirendam in cogitando promptitudinem omnino necessarium, Logicam artificialem nempe, plane excutere e manibus non erubuerunt:

Digitized by Google

buerunt: quasi intellectus nec aliqua ratiocinandi *promptitudine*, nec *methodo* egeret, veras, falsasque ratiocinationes discernendi, uno verbo: quasi naturalis ratiocinandi facultas, sibi soli relicta, jam sufficeret ad quamlibet veritatem demonstrativam aeque ac probabilem in omni objecto inveniendam atque proponendam.

Scholion.

Sicut ille, qui nonnulla fidei, doctrinaeque caelestis capita animo tenet, non ideo statim dicitur *Theologus*, cum ad theologum requiratur *promptitudo* seu *habitus* asserta sua confirmandi, et ab adversariorum exceptionibus vindicandi; ita illum, cave, statim dicas *Logicum*, qui in uno, alterove judicio aut ratiocinio, per logicam naturalem dictato non errat. Ecquis sutorem vel quemvis alium opificem diceret Logicum, cum eum forte de objecto aliquo physico recte judicare et ratiocinari aliquoties audiret?

§. 12.

Triplicem dari *cognitionem humanam*, et experientia nos docet; et recta ratio. Aut enim

enim quidpiam intra vel extra nos factum esse aut fieri novimus, aut causas etiam et rationes earum rerum, quae extra vel intra nos sunt vel fiunt, perspectas habemus, aut denique, quanta quaeque res sit, intelligimus, ejusque vires mensurare didicimus. 1) Cognitio eorum, quae intra aut extra nos sunt vel fiunt, id est, cognitio factorum, dicitur *cognitio historica*. 2) Cognitio rationis sufficientis, ex qua concipi potest, cur aliquid potius sit quam non sit; cur potius fiat, quam non fiat, id est, cognitio causarum, vocatur *cognitio philosophica*. 3) Qui praeter causas rerum, vires quoque causarum mensurare didicit, adeoque quantitatem, quam vocant philosophi, satis perspectam habet, is gaudere dicitur cognitione *mathematica*, quam recte dixeris cognitionem quantitatis sive mensurae rerum. 4)

Scholion.

1. *Experientia docet*, res ita posse cognosci, ut earum ratio non simul perspiciatur, cur fiant vel factae sint. *Eadem docet*, res subinde ita cognosci, ut ratio earum simul perspiciatur.

2. Pri-

Digitized by Google

2. Iridem quis aſpicit, de ipſius praeſentia per viſum convictus: unde tamen illa ſit; et quae ſit ratio, cur ea exiſtat, cum ignariſſimis ignorat. Novit eruditorum quilibet, ceram igni admotam liquefieri: novit id quoque vulgus. Quo qnidem in caſu intelligis, eruditi aeque ac vulgi cognitionem eſſe hiſtoricam, et quidem *communem*, quae ſolam attentionem poſtulat, et ſubinde aliquid acuminis. Ab hiſtorica communi cognitione differt *arcana*, quae ſingularibus artificiis acquiritur, et ubi ſenſibus ratio auxiliatnr. Per *arcanam* e. g. noſti, aerem eſſe gravem. 3. Alius iridem aſpicit, at non ſolum exiſtentiam iridis percipit viſu, ſed rationem ejus ex refractione atque reflexione radiorum ſolarium in nubibus vel guttulis pluviae reddere novit. Is gaudet ergo cognitione philoſophica hujus eventus. Audit ruſticus tormentum bellicum magno cum fragore explodi: audit et Philoſophus. Aſt ruſticus, cur incenſo pulvere pyrio tam horrendus edatur fragor, non perſpicit. Hanc cognitionem Philoſophus cum ruſtico habet communem. Interim philoſophus cognoſcit cauſas, cur quodlibet pulveris pyrii granulum motu celerrimo ignem concipiat, ſc. propter carbones, cur item, concepto igne, tormentum maxima vi diſplodatur, ſcilicet propter ſulphur et nitrum: novit enim philoſophus naturam carbonum, nitri et ſulphuris, ex quibus inter

ſe

ſe rite commixtis et contritis pulvis pyrius conſtat. En cognitionem philoſophicam. Eſt autem ratio ſufficiens vel *plenaria*, vel non *plenaria*: ita tempeſtas calida veris eſt ratio incrementi plantarum, quoniam hoc ex illa intelligitur: cum autem plura porro requirantur, ideo non eſt ſufficiens. Contra vero voluntas Dei eſt ratio ſufficiens exiſtentiae omnium rerum, quia plenarie haec ex illa concipitur, et praeter illam nihil requiritur. 4. Siquis caloris quantitatem et determinatum gradum in Chymia definire novit, tum illum caloris cognitione mathematica frui intelligimus. Cum gradus ſive quantitatem intenſivam *irae*, qua hic et nunc efferveſcit Sempronius, determinare potes, noſtique inſimul, quam multae, quamque vividae injuriarum repraeſentationes debeant concurrere, ſi in hoc, nec alio gradu excitari debeat ira in Sempronio, tunc cognitione *irae* gaudes mathematica. Pariter cognitione mathematica inſtructus eſt miles tormentarius vel pyrobolarius, qui novit, quanta pulveris pyrii moles requiratur ad projiciendum tanti ponderis globum ferreum mille, pluresve paſſus, ipſumque adeo locum definit, quo is, tormento excuſſus, devehatur.

Digitized by Google

§. 13.

His rite explicatis sequentes nullo negotio intelliguntur positiones. Cum *cognitio historica* seu *vulgaris* sit, qua simpliciter intelligimus, quid et extra et intra nos sit atque fiat; ea autem, quae sunt vel fiunt, non nisi ope sensuum, sive externorum sive internorum, nobis innotescant; luculenter patet, cognitionem historicam a nobis quidem ministerio sensuum acquiri, atque non alias veritates jam cognitas praesupponere, ex quibus, tanquam ex suis principiis longa ratiociniorum serie derivari debeat, adeoque esse infimum cognitionis humanae gradum; quoniam tamen causas rerum cognoscere non possumus, nisi res ipsas antea noverimus, cognitionem historicam esse fundamentum cognitionis philosophicae recte existimamus. Unde *Experientia*, quae nihil aliud est, quam sensionum semper sibi similium memoria, dudum pro matre omnis Philosophiae a peritissimo quoque est habita. Nosti ex *Livio*, rempublicam romanam, ab exi-

exiguis profectam initiis, ad ſumma perveniſſe faſtigia, deinde magis magisque lapſam, a ſummo culmine ad ima eſſe praecipitatam. En *cognitionem hiſtoricam*. Quodſi inſuper rempublicam romanam ſcis ideo ruiſſe praecipitem, quod divitiae avaritiam, et abundantes voluptates deſiderium, per luxum atque libidinem in immenſam debitorum labendi voraginem, perdendique omnia, invexiſſent, tum tua tantae talisque everſionis cognitio eſt *philoſophica*. Cauſas enim ſeu rationem ſufficientem, cur collapſa ſit respublica, aſſignare vales. Qui itaque cognitione gaudet philoſophica, relationem illam, quae eſt cauſas inter et effecta, perſpiciat neceſſe eſt: cumque haec relatio rerum ad ſe invicem, vi cujus unum eſt cauſa alterius, e. gr. patrem inter et filium, Deum inter et mundum, dicatur philoſophis *nexus*, luce meridiana clarius patet, quod philoſophus non ſolum ipſas res vel veritates cognoſcere, ſed veritatum quoque rerumque *nexum* perſpicere, et conſequenter, cum veritatum ex ſuis principiis et

cauſis legitimo nexu facta deductio ſit earum demonſtratio, easdem etiam demonſtrare debeat. Ad acquirendam ſcilicet cognitionem philoſophicam non ſoli ſufficiunt ſenſus; ſed vel maxime requiritur *Ratio*, utpote quae eſt facultas nexum rerum et veritatum diſtincte perſpiciendi.

§. 14.

Philoſophia, ſi ejusdem objectum ſeu ſyſtema conſideramus, eſt complexus cognitionum philoſophicarum, ex ratione innoteſcentium; ſin eam ſpectamus ſubjective ſeu habitualiter, tunc philoſophia eſt habitus rerum vel veritatum cauſas inveſtigandi et perſpiciendi. *Habitus* autem nihil eſt aliud quam promptitudo, frequentatis actibus acquiſita, qua quis minore tempore vel minore labore, quam alias requirebatur, plurium rerum cauſas noſcere et reddere poteſt, quatenus poſſibile eſt de iis rationes ſufficientes inveſtigare et perſpicere: multa enim ſunt, quae intellectus humanus, utpote finitus

nitus et limitatus comprehendere nequit; de iis igitur philoſophari nec licet, nec poſſibile eſt homini. Ejusmodi ſunt myſteria fidei; quamvis enim illa in ſe ſint poſſibilia, nullamque involvant contradictionem, eorumque rationes ſufficientes a Deo cognoſcantur; intellectus humanus tamen, ſuis exiguis in hac vita circumſcriptus limitibus, eas inveſtigare non praeſumat, in aliis rebus theologicis, juridicis, medicis, et caeteris, ad quamcunque artem ſpectantibus autem campum philoſophandi inveniet ampliſſimum. In hoc campo oſtendere poteſt philoſophus ſuam ſcientiam. Cum autem ſcientia, qualis eſt philoſophia, nihil aliud ſit, quam habitus aſſerta ſua certis et indubitatis ſuperſtruendi principiis, inter quae 1. definitiones, 2. axiomata et poſtulata, ac propoſitiones identicae, atque 3. experientiae referuntur, Philoſophus etiam ſollicitus ſit oportet de ordine in tradendis veritatibus ſeu dogmatibus obſervando, quem *Methodum philoſophicam* vocare ſolemus: quique requirit, 1. ut prinicpia certa et indubitatata praemit-

mittantur, et praefulciantur, atque ex iis nexu legitimo caetera afferta deducantur, adeoque ut praemittantur definitiones, axiomata, et indubiae certaeque experientiae. 2. ut nullus admittatur terminus, nisi accurata definitione jam ante explicatus, vel experientia jam determinatus et aliunde notus. 3. ut ratiocinia non nisi a principiis certis deducantur, adeoque conclusiones demonstrative probentur. 4. ut ea praemittantur, sine quibus sequentia non intelliguntur, nec in demonstrationibus in formam syllogisticam impingatur. Jam cum methodus Mathematicorum iisdem quatuor conditionibus superstruatur, quas ad methodum philosophicam requiri modo diximus, quis non videt, *methodum mathematicam* esse cum *philosophica* eandem, atque utramque recte dici methodum *demonstrativam*, item *naturalem*, *scientificam*, *eruditam et systematicam*? Enimvero cum *Philosophia* sit scientia rationes atque causas rerum, quae intra vel extra nos sunt, atque fiunt, cur et quomodo potius sint atque fiant, et non aliter, ex principiis indubi-

dubitatis demonſtrandi, facile intelligitur, quod *ſtilus philoſophicus* nullum terminum obſcurum aut dubium admittere poſſit, ſed rationem perſpicuitatis habere debeat: hinc cuilibet voci et cuilibet phraſi conſtans ſignificatus eſt tribuendus; hinc id omne, quod perſpicuitati officit, e ſtilo philoſophico eliminandum, adeoque omnis ornatus, qui perſpicuitati terminorum officit, eſt proſcribendus: quodſi autem elegantia ſermonis perſpicuitati nullam vim infert, etiam ſtilus elegans ſtilo barbaro, horrido et inculto omnino praeferendus venit etiam in ſcriptis philoſophicis.

Sectio II.

De *Ideis*, ſecundum modos repraeſentandi diverſis, ſcilicet de *claris* et *obſcuris*, *diſtinctis* et *confuſis*, *completis* et *incompletis*, *adaequatis* et *inadaequatis*.

Digitized by Google

§. 15.

Anima humana gaudet facultate res, quae vel intra vel extra nos ſunt, ſibi repraeſentandi, quam *Intellectus* nomine inſignimus. Si anima pulchram ſibi praeſentat imaginem, eaque praeſentata ſonitum tormenti exploſi audit, tunc alia in anima oritur repraeſentatio, quae antea non aderat, ſcilicet repraeſentatio ſonitus: quando autem repraeſentatio oritur, quae antea non aderat, tunc *mutationem* in anima accidiſſe dicimus: ratio hujus *mutationis*, ſcilicet cur tormenti fragorem percipiam, non unice eſt in tremulo aeris motu, ad aures meas uſque continuato, ſed et, et praecipue, in intellectu meo; ſi enim intellectu deſtitutus eſſem, tunc nulla adeſſet in me repraeſentatio. Unde intelligitur *ratio* mutationis eſſe in intellectu meo. Experientia teſtatur, et infra fuſius oſtendetur, triplici modo ejusmodi *mutationem* in anima oriri, nimirum, vel appercipiendo, nos aliquid ſenſiſſe, vel judicando, vel ratiocinando. Triplices hae muta-

mutationes, quae in intellectu hominis contingunt, vocari ſolent *operationes intellectus. Tres* igitur, nec pauciores nec plures dantur *operationes intellectus*, et quidem tam in intellectu infantis, quam viri omnium eruditiſſimi. Eruditio namque nullam animae infundit novam facultatem, ſed varia, multiplexque facultas, quae in quavis anima jam exiſtit, ad varia quoque objecta dirigitur, pro viribus aetatis adhibetur, in iisque diverſimode exercetur et perficitur.

§. 16.

Si uno eodemque tempore oculi tui e. gr. in nundinis merces varias vident, aures tuae colloquium emtoris et venditoris audiunt, nares tabacum odorantur, et manus tuae aliquid tangunt, tunc illo ipſo tempore quatuor perceptiones vi commercii corpus inter et animam exinde oriuntur. Jam temetipſum examina, an horum omnium ſimul tibi poſſis eſſe conſcius: ſi de eo cogitas, quod oculis percepiſti, non ſatis attentus

Digitized by Google

esse potes ad ea, quae audis, ita, ut eorum, quae audisti, tibi satis conscius non sis. Si attentus es ad ea, quae naribus percipis, tunc minus attentus es ad ea, quae uno eodemque tempore vides, audis, gustas et tangis. Omnibus intentus minor est ad singula sensus: adsunt itaque perceptiones, quas non penitus appercipis, seu quarum tibi minimum non penitus conscius es. Non ergo ubique est perceptio, ubi etiam est apperceptio seu conscientia. Perceptiones nudae seu sine apperceptione ad formanda judicia et ratiocinia non conducunt: perceptiones econtra cum apperceptione conjuncta serviunt ad judicandum et ratiocinandum. Cum igitur ex ideis oriantur judicia et ratiocinia, necesse est, ut idea sit conscientia seu apperceptio perceptionis objectorum in sensus nostros externos vel internos incurrentium.

Scholion.

In praesenti materia *conscientia* est attentio ad perceptionem rei in mente natam, ut adeo confundi non debeat cum conscientia,

entia, prout ea in morali doctrina accipitur; nam in posteriori casu *conscientia* est inquisitio mentis de actionibus propriis, utrum legi conveniant, nec ne. Quaeri dein etiam potest, qua ratione repraesentationes in mente ab repraesentationibus in materia seu speculo differant? et respondetur: *Idea*, quae alias dicitur *notio* seu *simplex mentis apprehensio*, cum sit attentio ad perceptionem rei, facile concludimus, quod speculum non gaudeat ideis: etsi enim speculum repraesentet faciem mulieris aut aliud corpus, sibi tamen non est conscium istius repraesentationis; dein repraesentatio in speculo est repraesentatio corporis in corpore: *idea* autem est repraesentatio rerum incorporearum aeque ac corporearum in intellectu facta.

§. 17.

Si duo homines heri unam eandemque monetam aspexerunt, et hodie iterum conveniunt, tunc contingere potest, ut unus eorum eandem monetam agnoscat, et ab omnibus aliis monetis discernere valeat, alter autem non. Ille habet ideam claram hujus monetae, alter obscuram, cum dubitet, utrum haec sit eadem moneta, quam heri

Digitized by Google

heri viderat. Differentia illa non est in moneta, utpote quae est una eademque, sed est in modo repraesentandi. Haec differentia, quae deprehenditur in modo sibi aliquid repraesentandi, vocatur *differentia idearum formalis*. Ast ideae nostrae non solum differunt *in modo repraesentandi*, sed etiam *in re ipsa repraesentata*; uti si quis sibi repraesentet triangulum, alius circulum: circulus enim et triangulum sunt res prorsus diversae. Haec posterior differentia, a diversitate objectorum desumta, dici solet *differentia idearum materialis*. Jam agamus de ideis formaliter diversis, quo pertinent ideae clarae et obscurae, distinctae et confusae, completae et incompletae, adaequatae et inadaequatae.

§. 18.

Quando equum intueor et monocerotem, tunc deprehendo aliquid in monocerote, quod in equo non deprehenditur. Per id, quod in monocerote deprehendo, in equo autem non deprehendo, monocerotem ab equo dis-

Digitized by Google

diſcernere queo. Id autem, per quod rem a re diſtinguere poſſum, vocatur *Nota* ſeu *Character*. Quando rem ita concepi, ut, quoties ea mihi iterum occurrit, eam ſtatim agnoſcam, et ab aliis diſcernam facillime, tunc hujus rei ideam habeo *claram*. 1) Quoties autem idea mea non ita comparata eſt, ut rem iterum occurrentem ſtatim agnoſcere et diſtinguere ab aliis poſſim, tunc hujus rei *ideam obſcuram* habeo. 2) Idea *clara* ergo eſt repraeſentatio, quae ſufficit ad rem agnoſcendam et ab omnibus aliis diſtinguendam. 3) Obſcura econtra eſt repraeſentatio rei, quae non ſufficit ad rem aliquam agnoſcendam, et ab aliis omnibus diſcernendam. 4) Unde patet, eo clariorem eſſe ideam, quo plura in re repraeſentata poſſum diſtinguere. 5) Et eo plura in re poſſe a me diſtingui, quo pluribus ſenſibus, quoque majore attentione rem quampiam percipio. 6) Pariter patet, neglecta attentione ideas claras fieri obſcuras, et viciſſim ideas obſcuras fieri claras adhibita attentione ad notas, quibus rem unam ab reliquis omnibus diſtinguere valeo. 7)

Digitized by Google

Scholion.

1. Qui colorem viridem ita ſibi repraeſentat, ut iſtum ab albo, nigro, caeruleo, omnique alio colore diſcernere queat, ille gaudet idea clara coloris viridis. Pariter unusquisque claram ideam *Lunae* et *Solis* habet; aſt *Mercurii*, *Martis*, *Veneris*, *Jovis*, *Saturni*, et *Urani* ideas claras non facile quis habet, niſi ope teleſcopii edoctus fuerit. Plebejus hos planetas fere ſemper cum ſtellis fixis confundit, adeoque eorum non niſi obſcuram circumfert ideam. Pariter ideae infantum, recens natorum, hominumque bene potorum, et illorum, qui in ſtatu lethargi verſantur, quoad maximam partem obſcurae ſunt. Ideae, ſi res ſunt *immateriales*, vocantur *ideae intellectus* ſeu *rationis*: uti repraeſentatio Zodiaci, et Meridiani in caelo; item ſitus phyſicus et opticus in paralaxi; item idea *ſpatii philoſophici*, quod eſt ordo ſimultaneorum; et temporis, quatenus eſt ordo ſucceſſivorum: ſin *materiales*, tunc vocantur *ſenſuales*, ut idea trianguli, quod coram video, idea amari aut dulcis, rubri aut viridis objecti. 2. Quando omnes diſcipuli alicujus ſcholae ſimul loquuntur, tunc magiſter loquelam Mevii a voce Sempronii diſtinguere non poterit, adeoque ideam de loquela Mevii habebit obſcuram. Plura exempla ideae obſcurae ſupra dedimus. 3. Sic quando colo-

rem

rem rubrum, et saporem dulcem percipis in aliquo objecto, tunc illum ita percipis, ut eum a flavo et amaro &c. distinguas. 4. Si aliqualem tantummodo alicujus monetae habeo ideam, et unam alteramve notam nosco, e. gr. quod capitis figura illi sit impressa, quod sit rotunda et aurea, nec plures habeo notas, tunc id non sufficit ad monetam hanc ab omnibus aliis monetis discernendam: habeo igitur non nisi obscuram ideam hujus monetae. 5. Solliciti ergo simus de mediis, per quae plures notas colligere licet. Huc pertinet 1. praesentia objecti, 2. integritas sensuum; 3. typus corporeus, e. gr. Modell alicujus aedificii, 4. delineatio coloribus inducta, e. gr. Herbarium coloribus illuminatum; 5. delineatio nuda, e. gr. Kupferstich, 6. similitudo, quoniam similia in notis conveniunt; e simili objecto uno possum alterius quoque notas cognoscere, e. gr. piscis hippurus similis est caudae equinae, 7. descriptio alicujus rei, e. gr. Monachii, horti, turris, et quo proximior est descriptio, eo plures suppeditat notas, quoque plures suppeditantur notae, eo clarior redditur idea; quo plures enumerare possum notas alicujus floris, e. gr. formam, colorem, folia, odorem &c. eo hujus floris idea est clarior: quo pauciores autem notae, eo illa est obscurior. 6. Isaacus auditu et olfactu utebatur ad discernendum

Ja-

Digitized by Google

Jacobum; quodſi et oculos adhibere potuiſſet, clarior ipſius fuiſſet repraeſentatio, nec Eſavum fictum habuiſſet pro vero Eſavo. Ita et ad diſtinguendas plantas plerumque et viſus et guſtus et olfactus, imo et tactus adhibetur. Dein quo quis eſt attentior, eo plura in re quapiam diſtinguit: unde et diſcipuli doctrinas citius capiunt, ſi ſunt ad eas attenti. 8. Clarior fit idea alicujus volucris, in aere volitantis, quanto propius illa accedit viſui, ut diſtingui poſſit ab alia ſpecie volucrum. Interim cauſam obſcuritatis potius quaeramus in mente noſtra ipſa. Id quod accidit hominibus affectu abreptis, in meditatione alia occupatis, aut unico actu nimis multa ſibi repraeſentantibus. Caeterum ad meliorandas ideas nihil magis conducit quam crebrior repetitio: quo crebrius enim repraeſentationes iteramus, eo plures notas acquirimus, adeoque eo clariores fiunt ideae, adeoque meliorantur; perinde ac illae deteriorantur neglecta attentione et repetitione, praeſertim quando rem non ſatis diu nobis repraeſentamus.

§. 19.

Plerumque contingit, ut non ſolum rem aliquam ab aliis rebus diſcernere, ſed etiam notas

Digitized by Google

notas et characteres ad rem ab aliis distinguendam spectantes sigillatim enumerare valeamus, et mente distinguere: in tali casu idea nostra dicitur *distincta*; secus, *confusa*. *Idea distincta* est ergo repraesentatio notarum rei alicujus characteristicarum. 1) Nimirum *idea rei*, quam percipimus, dicitur *totalis*: et ideae notarum vocantur ideae partiales. Unde intelligitur, saepius accidere posse, ut idea *totalis* sit quidem clara, ideae *partiales* autem sint nonnisi obscurae. Hinc *idea confusa* est repraesentatio rei clara, et simul notarum ejusdem rei characteristicarum obscura. 2) Quaevis idea distincta habere debet claras ideas notarum essentialium, non accidentalium: si enim rem ab aliis omnibus rebus discernere volo; tunc hujus rei essentiam mihi debeo habere perspectam; cum autem quaelibet essentia constet praedicato generico et differentiali, atque praedicata generica et differentialia constituant *essentiam rei*; plane consequitur, ad ideam distinctam requiri notas nonnisi essentiales, quamvis negari queat, differentiam dari idearum di-

ſtinctarum: nempe aliae diſtinctae ideae ſunt plenariae, aliae autem non plenariae. 3) Experimur, nos, cum notas alicujus rei characteriſticas nobis repraeſentamus, aut omnes notas nobis ſiſtere, ad rem repraeſentatam ab omnibus aliis rebus, in omni caſu, ſtatu et tempore diſcernendam ſufficientes, aut tantummodo quasdam, quae non ſufficiunt ad rem repraeſentatam ab omnibus aliis rebus ſemper et ubique diſtinguendam. In priori caſu dicimur habere *ideam completam diſtinctam*, in poſteriori autem *incompletam diſtinctam*. 4)

Scholion.

1. Si linguae latinae tiro non ſolum infinitivum primae conjugationis ab infinitivis reliquarum conjugationum diſcernere poteſt, ſed etiam notam illius, ſcilicet *a* longum ante ſyllabam *re* ſibi repraeſentare valet, atque iſtud longum *a* a longo *e*, et a brevi *e*, et a longo *i* diſcernit tanquam notam primae conjugationis infinitivi a notis infinitivorum reliquarum trium conjugationum, tunc *diſtincta* gaudet *idea infinitivi primae conjugationis*. Siquis ſcit, legem eſſe mandatum

tum ſuperioris obligans ſubditos ad actiones ſuas eidem conformandas, tunc ille habere intelligitur ideam diſtinctam legis: poteſt enim enumerare notas, quibus lex a conſilio et ab aliis rebus diſcernatur. Qui novit, triangulum ab aliis figuris geometricis numero linearum, quibus incluſum eſt, diſtingui, ejusdem trianguli non modo claram, ſed etiam diſtinctam ideam habere noſcitur. 2)

Quoties quis colorem nigrum ab albo ſatis quidem diſtinguere poteſt, non autem indicia et notas, quibus diſtinguat, oſtendere et enumerare poteſt, toties idea ipſius eſt quidem clara, ſed *confuſa* tamen. Huc pertinent omnes perceptiones colorum, ſonorum, odorum, ſaporum, dolorum et titillationum ſeu libidinum; nullae enim exiſtunt notae harum quinque ſenſationum. Si tu nunquam odorem hyacinthi naribus percepiſti, et ego odoris hujus ideam in te excitare velim, tum hyacinthum tuis naribus offerre deberem; ſic in animo tuo excitabitur idea de odore hyacinthi: deficientibus enim notis nullo ſermone potero efficere, ut tu, quomodo odor hyacinthi ab odoribus aliorum florum diſtinguatur, clare ſcire poſſis et diſtincte. Hinc confuſa eſt mihi idea ſoni, quem fiſtula edit; ſonum fiſtulae quidem a ſono citharae, campanae,

aliorumque inſtrumentorum muſicorum diſcernere poſſum, adeoque *claram* ideam ipſius ſoni habeo, ſed notae, per quas ſonus iſte ab omnibus aliis ſonis diſtinguitur, obſcuram tantum habeo ideam, adeoque ideam ſoni confuſam. Dependet enim diſtincta idea a claritate partiali notarum aeque ac confuſa ab obſcuritate partiali notarum.

3) Cum quaevis definitio, ſi ſit bona, conſtare debeat *genere proximo* et *differentia*, adeoque partibus eſſentialibus; hinc, qui ideas diſtinctas acquirere in magnon umero cupit, ne is aliud colligat, quam bonas definitiones in omni objecto, theologico, juridico, medico, philoſophico, et politico. Haec eſt breviſſima via ad acquirendam ingentem vim idearum diſtinctarum. Deinde dantur etiam adhuc alia media obtinendi ideas diſtinctas. 1. Attentio continuata; 2. quando nimis multa non ſimul tractamus; unde proverbium: *Non multa, ſed multum.* 3. Quando notas rei repetimus, ne earum obliviſcamur. 4. Applicatio teleſcopii et microſcopii in objectis nimium remotis, aut nimium exilibus. 4. Electio objecti, quod quoad magnitudinem aut quoad multitudinem partium non eſt nimis amplum. Numerus viginti cifrarum nimis multa complectitur; hinc in arithmeticis unitates, denarii, centenarii, millenarii, &c. ſepararim numerantur.

tur. Idea hujus mundi aſpectabilis eapropter difficilis eſt, quia nimis multa complectitur.

4) *Idea completa* eſt idea clara non ſolum totius rei, ſed et omnium ad rem ſemper et ubique ab omnibus aliis rebus diſcernendam ſufficientium notarum. Completa igitur idea omnis eſt diſtincta, ſed non omnis diſtincta eſt etiam completa. *Corpus eſt ens extenſum:* haec idea diſtincta quidem eſt, ſed non completa; requiritur enim inſuper ad ideam corporis vis inertiae atque vis activa. Econtra idea *Furti*, quod ſit ablatio rei alienae, inſcio atque invito Domino, lucri faciendi cauſa, eſt *idea diſtincta completa*; quia omnes continet notas, quibus furtum ab omnibus aliis hominum actionibus diſtingui poteſt. *Idea incompleta* dicitur idea clara totius rei atque notarum quarundam quidem, aſt inſufficientium ad rem ſemper et ubique ab omnibus aliis diſcernendam. Sic idea Chriſtiani, quod Chriſtianus ſit homo, quietam atque honeſtam agens vitam, eſt *incompleta*, quia quasdam tantum, non autem ſufficientes continet notas, quibus Chriſtianus a viro honeſto, ſed veri Dei, veraeque religionis ignaro, diſtingui queat. Quando quis novit, *quadratum* eſſe ſpatium quatuor lineis rectis aequalibus incluſum, tunc habet ideam claram totalem *quadrati*; imo habet inſuper ideas claras *notarum nonnullarum*; ſi vero *totalis idea*

quadrati est clara, et clarae quoque sint *ideae quarundam notarum*, tunc utique habet ideam distinctam *quadrati*: ast cum hae notae non sufficiant ad quadratum a rhombo aeque ac a triangulo, pentagono, circulo &c. distinguendum: hinc non habet ideam *completam* quadrati: quando autem quis prioribus notis etiam aequalitatem angulorum addit, tunc illius idea quadrati est *completa*, quia etiam notam complectitur, per quam quadratum a rhombo secernitur. Huc refertur etiam *idea abundans*, quae plures continet notas, quam quidem ad rem discernendam sufficiunt. *Idea trianguli*, quod sit spatium tribus lineis, tribusque angulis inclusum, est idea abundans, quia ad discernendum triangulum a reliquis figuris geometricis sufficit, quando dicimus, triangulum esse spatium tribus lineis inclusum. Siquis hominem definit, esse *animal rationale risibile*, tunc ideam hominis habet quidem distinctam, sed abundantem; quia per solam animalitatem et rationalitatem omnis homo a reliquis rebus omnibus semper et ubique satis discernitur, etsi non fiat mentio de *risibilitate*.

§ 20.

Status idearum clararum et distinctarum vocari solet *lumen*. Oritur igitur in mente nostra

noſtra lumen, quando vel ex obſcuris ideis fiunt claraе, vel ex claris diſtinctae. *Tenebrae mentis* econtra originem trahunt ab ideis obſcuris et confuſis: atque quemadmodum, creſcente cognitione rerum claraе et diſtincta, creſcit lumen mentis; ita creſcente ſtatu idearum obſcurarum et confuſarum creſcunt tenebrae mentis. 1) Praecipue autem creſcit lumen, quando non ſolum diſtinctam habemus ideam totius rei, ſed etiam notarum ejusdem plane omnium diſtinctas habemus ideas. Eſt proin *idea adaequata* nihil aliud, quam idea diſtincta tam totius rei, quam et notarum ipſius plane omnium. 2) Quoties econtra toties rei quidem diſtinctam, ſed notarum illius tantummodo claras, et non diſtinctas habemus ideas, toties idea noſtra eſt quidem diſtincta, ſed *inadaequata*. 3) Idea adaequata itaque dependet ab *idea indiſtincta partiali*, ſeu partium ideam totius ingredientium. Idea vero inadaequata dependet ab *idea indiſtincta*, ſeu *confuſa partiali*. 4) Jam quo *plures* adſunt *notae*, quarum diſtinctas habemus ideas, eo magis

adaequa-

adaequata fit Idea totalis; econtra quo *pauciores* enumerantur notae, quarum distinctas fovemus ideas, eo magis *inadaequata* est idea totalis. 5) Enimvero cum idea adaequata oriatur ex idea distincta notarum characteristicarum, evidenter consequitur, de omnibus tebus quod nobis ideas adaequatas formare non possimus: de omnibus rebus nequidem claras notarum ideas, multo minus distinctas acquirere possumus. Cum jam omnium rerum adaequatas acquirere ideas homini non sit possibile, subsistendum est in ideis cuilibet claris, nec in analysi idearum in infinitum progrediendum. Interea si formas ideas adaequatas, tunc partes sive notas rei repraesentatae rursus in suas partes seu notas resolvis, more anatomicorum, qui corpus humanum in suas resolvunt partes, et partes rursus in partes resecant, minima quaeque solerter pertentantes. Atque haec est ratio, cur formatio idearum adaequatarum philosophis dicatur *analysis idearum* seu *notionum*. 6)

Scho-

Scholion.

1. *Illuminari* dicitur *mens*, quando facilitatem acquirit res clare percipiendi, ut ſibi conſcia ſit ejus, quod percipit, atque ea quae percipit, probe a ſe invicem diſtinguat. *Obſcurari* econtra et *tenebris obduci* dicitur mens, quando clarae et diſtinctae ideae aut in obſcuras et confuſas, aut omnino in oblivionem abeunt, aut ſaltem deficiunt. 2. *Perceptio partialis* eſt, quae in perceptione rei alicujus continetur: *perceptio compoſita* autem eſt, quae ex pluribus partialibus conſtat. Cum humanum corpus percipis, tuno truncum, caput, pedes, manus percipis; humani igitur corporis perceptio eſt compoſita: perceptiones trunci, capitis, et manuum econtra ſunt partiales. *Perceptio totalis* dicitur ea, quae eas omnes perceptiones, quas dato aliquo momento ſimul habemus, complectitur e. gr. ſi pratum cum omnibus ſuis floribus contueor, tunc habeo perceptionem totalem. Notae, quibus ignem ab aliis materiis diſcernimus, ſunt calor, lux, potentia incendendi, ſolvendi &c. *Ignis* ergo eſt corpus, potentia calefaciendi, lucendi, incendendi et ſolvendi praeditum. En *ideam diſtinctam ignis*: aſt ſi ſcio et explicare poſſum, quid ſit calor, quid lux, quid potentia incendendi et ſolvendi, tunc habeo ideam

ignis *adaequatam*; ſin minus, *inadaequatam*. 3. Notae, quibus *ratio* ab aliis animae facultatibus diſtinguitur, ſunt *perſpicientia*, *nexus*, *veritates*; eſt enim ratio nihil aliud quam *facultas perſpiciendi nexum veritatum*. Quodſi quis diſtinctas habet ideas perſpicientiae, nexus, veritatum, illius idea totalis eſt adaequata: ſecus, inadaequata. 4. Qui non ſolum novit 1. *globum* eſſe corpus, cujus ſuperficies aequaliter ubique diſtet a centro; 2. corpus eſſe extenſum, vi activa atque inertiae praeditum; 3. quique diſtinctas inſuper habet ideas extenſi, et vis tam activae quam inertiae, id eſt, bonas habet de iis definitiones, illius idea totalis, quam de globo habet, eſt adaequata; quia non modo bonam habet definitionem de globo, id eſt, de Praedicato generico et differentiali. globi. 5. *Euclides* non definiebat, *quid ſit majus? quid minus?* praeſuppoſuit, cuivis claras iſtorum eſſe ideas; nec etiam definire potuiſſet, niſi prius menſuram, ad quam idea ejus, quod majus, minusve ſit, exigatur, firmiter tanquam fundamentum relationis ſtatuiſſet.

Sectio

Digitized by Google

Sectio III.

De Ideis *subſtantiarum*, *modorum*, et *relationum*, de *ſimplicibus* et *compoſitis*, *individualibus* et *univerſalibus*, adeoque de *genere*, *differentia*, *ſpecie*, *proprio* et *accidente*.

§. 21.

Hactenus egimus de differentia idearum formali, per quam patet acceſſus ad differentiam earundem materialem, quae a *materia* idearum ſeu a re *repraeſentata* deſumitur. 1) Materia vel eſt *ſubſtantia*, vel *accidentia* ſive *modus*, vel *relatio*. *Subſtantia* eſt id, quod per ſe et ſeorſum ſubſiſtit, eſtque vel *cogitans*, et dicitur *ſpiritus*; vel *non cogitans*, et dicitur *corpus*. Praeterea exiſtit *ſubſtantia ſuprema*, quae eſt *res a ſe ſubſiſtens*, et dicitur *DEUS*, id eſt, *ſubſtantia a ſe ſubſtans* ſeorſum eſt cauſa efficiens omnium ſubſtantiarum per ſe et ſeorſum exiſtentium. 2) *Modi* ſunt affectiones

et

et attributa ſubſtantiae, quae ex ea per mentem abſtrahuntur. 3) Denique exiſtunt *relationes* ſeu ideae, quarum una ad alteram ſe refert, ita ut altera ſine altera intelligi nequeat. 4) Interea non ipſas ſubſtantias, ſed ſubſtantiarum modos cognoſcimus, quoque plures in ſubſtantia novimus modos, eo majorem de rei ſeu ſubſtantiae natura habemus ideam. *Modi* vero vel in ipſa ſubſtantia occurrunt, vel in mente hominis ſunt, et ſubſtantiae tribuuntur. Illi vocantur *interni*, hi vero *externi*.

Scholion.

1. Si Mevius habet ideam trianguli, et Sempronius quadrati, tunc Mevius et Sempronius habent ideas materialiter diverſas, quia triangulum eſt aliud objectum, quam eſt quadratum: et haec diverſitas, quae deprehenditur in objecto repraeſentato, vocatur differentia idearum materialis. 2 Subſtantia eſt *ſubjectum perdurabile et modificabile*, ſeu eſt ens, quod in ſe continet principium mutationum: et haec ſubſtantia dicitur *ſimplex*. Aggregatum plurium ſubſtantiarum ſimplicium vocatur *ſubſtantia compoſita*. Subſtantia

ſuſti-

ſuſtinet accidentia et modos; ſic anima humana eſt ſubſtantia, quatenus eſt perdurabile quid, multis modis et accidentibus obnoxium; nunc enim cogitat, judicat et ratiocinatur, nunc appetit et averſatur. Interea anima noſtra eſt tamen nonniſi ſubſtantia incompleta. *Completa ſubſtantia* eſt illa, quae ex ſua natura non ordinatur ad conſtituendam ſubſtantiam aliquam tertiam, uti *angelus: incompleta ſubſtantia* autem eſt illa, quae ad conſtituendam ſubſtantiam tertiam eſt ordinata, uti anima humana eſt ordinata, ut corpori unita conſtituat ſubſtantiam tertiam, ſcilicet *hominem*. 3. Sic, quando linea vocatur *recta*, rectitudo ineſt lineae tanquam *modus internus*: aſt ſi linea recta in plano quodam geometrico *approbata* dicitur, ea approbatio non ineſt lineae rectae, ſed menti ejus, qui lineam rectam approbavit; approbatio igitur eſt modus *externus*. Si anima Petri judicat, bis duo eſſe quatuor, tunc hoc judicium eſt *modus internus animae Petri*. Si Petrus de furto accuſatus condemnetur a judice ad poenam, tunc hoc judicium judicis eſt *modus externus animae Petri*. 4. *Relatio* eſt id, quod rei abſolute non convenit, ſed tunc demum intelligitur, quando ad alterum refertur. Hinc illa entia dicuntur *relata*, quae ad ſe invicem referuntur: *Pater* et *Filius* ſunt relata, quia non intelligo, quod Mevius ſit pater, niſi mihi innoteſcat, quod genu-

genuerit Cajum; et viciſſim non capio, quod Cajus ſit Filius Mevii, niſi conſtet, quod Cajus a Mevio ſit genitus. Ratio, unde intelligo, duo entia quaedam eſſe relata, vocatur *fundamentum relationis*: in dato caſu *generatio* eſt fundamentum relationis. Inter magiſtrum et diſcipulum datur relatio, quae fundatur in inſtitutione ſcholaſtica. Magis, minus, plus, paucius, magis diuturnum, minus diuturnum, gravius, levius, longius, brevius &c. etiam ſunt entia relata, modo prius menſura utpote fundamentum relationis ſtatuatur, ad quam idea magnitudinis, multitudinis, diuturnitatis, gravitatis, longitudinis &c. exigi queat. 5. *Modi*, quia a ſcholaſticis *accidentia* vocantur, ſunt mutabilia, quae enti inſunt, nec per eſſentiam entis determinantur. *Eruditio* in Petro eſt modus; eſt enim eruditio mutabile quid in homine, cum poſſit adeſſe vel non adeſſe, quin deſtruatur eſſentia hominis, ſeu quin Petrus deſinat eſſe homo; dein eruditio non per eſſentiam hominis determinatur, id eſt, quod homo eruditus ſit, id non fluit neceſſario ex ipſius eſſentia, ſive rationalitate; alias enim, qui non eſſet eruditus, non eſſet homo. Aſt *capacitas* eruditionis, ſeu quod Petrus ſit docilis, ſit capax, fluit ex eſſentia hominis: hinc capacitas eruditionis ſeu docilitas eſt attributum hominis, non modus. Attributa enim ſunt ea, quae conſtanter inſunt

sunt, et per essentiam simul determinantur. Eruditionis, moralitatis et libertatis capacitas pertinet inter attributa hominis; quod enim homo sit docilis, moralitatis et libertatis capax, id efficitur a rationalitate hominis: ut autem actu sit eruditus, id fluit ex libera applicatione hominis ad studia et a bona institutione; quivis homo enim est animal rationale.

§. 22.

Omnes res, quas videmus, audimus, alioye sensu intetno aut externo percipimus, ita sunt comparatae, ut illarum *notae*, si simul accipiantur, nulli alii rei convenire possint. 1. Res, cujus notae simul acceptae nulli alteri rei competere queunt, vocatur *individuum*, seu *res singularis*, seu *res individua*. 2. Repraesentatio omnium notarum, quae simul sumtae nonnisi uni rei competunt, vocatur *idea individualis*, seu *singularis*.

Scholion.

Triangulum rectangulum, quod, tria latera habet, quorum unum basis, et reliqua duo

duo vocantur crura, decem digitos longa, in muſeo ſtilo plumbeo circa horam primam hodie in charta delineatum, ejusmodi notas partim eſſentiales partim accidentales habet, quas ſimul acceptas nullum aliud triangulum rectangulum per omnem terrarum orbem habere poteſt; hoc triangulum ergo eſt res ſingularis ſeu individua. 2. Hic liber, quem in tabula poſitum vides; haec ſella, in qua ſedes; haec triſtitia, quam nunc ſentis; haec cogitatio, quam nunc habes; ſunt *individua* ſeu *res ſingulares*. Petrus, Paulus, hic equus, ille floſculus, iſte lapis ſunt *individua*. 3. Omne individuum ſcilicet non ſolum per notas *eſſentiales*, ſeu per praedicatum genericum et differentiale, ſed etiam per *accidentales* e. gr. loci, temporis &c. determinatur, quae notae ſeu determinationes ſimul ſumtae nulli alii rei competunt, quamvis ſeorſim ſumtae etiam aliis rebus competere poſſint. Quilibet diſcipulus habet primo notas *eſſentiales*, ut ſit animal rationale erudiendum, ſeu homo erudiendus: hae notae faciunt, ut ſit diſcipulus. Dein habet etiam accidentales notas, e. gr. magnitudinem ſuam, ſtatum, locum nativitatis, educationis; habet aetatem, parentes, fratres, ſorores, &c. quae faciunt, ut hic praecipe ſit diſcipulus, nec alius, adeoque ut ſit *individuum*.

§. 23.

§ 23.

Res individuae seu *singulares*, sensibus perceptae, etsi ob innumeras circumstantias, quae eas comitantur, antecedunt vel subsequuntur, ita a se differre intelligantur, ut altera alteri nunquam deprehendatur in omnibus similis, sunt tamen *nonnulla*, in quibus res singulares perpetuo conveniunt, praedicata, quaeque in omnibus, caeteroquin diversissimis, eadem reperiuntur. 1) Ea igitur praedicata, in quibus res *individuae* sunt similes, constituunt *speciem*, quae est *similitudo individuorum*. 2) Quodsi plures species in se comparamus, easdemque observamus, in quibusdam notis seu praedicatis sibi esse similes, tum illa similitudo specierum constituit classem novam, eamque superiorem, quae, species illas complexa, *infimum genus* vocatur: *genus* enim est similitudo specierum. 3) Quoties plura genera infima inter se conferimus, eademque deprehendimus, in quibusdam notis sibi esse similia, toties illa similitudo plurium generum infimorum consti-

tuit novam, eamque rursus superiorem classem, quae *genus medium* dicitur seu superius. Si denique plura genera media inter se collata in quibusdam notis sibi sunt similia, adeoque novam classem constituunt, tunc illa nova classis nuncupatur *genus supremum*. 4) *Idea universalis* est illa repraesentatio, qua eae notae nobis sistuntur, quae rebus pluribus communes sunt. 5) Idea universalis ergo pendet ab extensione notarum ad plura. Quo *pauciores* idea aliqua notas continet, eo *plures* dantur res, quibus illae notae competunt. Unica haec nota, *spatium lineis inclusum*, non modo triangulis, quadratis, pentagonis, sed omnibus figuris geometricis competit, seu ad omnes omnino figuras extenditur. *Comprehensio ideae* est complexus notarum, ad ideam aliquam constituendam simul sumendarum. *Extensio ideae* autem est complexus rerum, quibus illa idea competit. Hinc *quo minor est comprehensio, eo major est extensio.*

Scho-

Scholion.

1. Ponamus complura individua, e. gr. *Sempronium*, *Mevium*, *Canem*, *Pamphilum*, *Bucephalum*, *Livium*, *Cornelium Nepotem*, *hunc hortum*, *hanc domum*, *illud templum*, *iſtam arborem &c.* mirum quantum quidem haec individua a ſe invicem differunt, aſt ſunt tamen nonnullae notae, in quibus illa perpetuo ſibi ſimilia eſſe deprehenduntur, e. gr. quod Sempronius, Mevius, Pamphilus, Livius, et Cornelius Nepos ſint *animalia rationalia* ſeu *homines*: dein quod Bucephalus et Canis ſint *animalia irrationalia*; et denique, quod hic hortus, haec domus, illud templum et iſta arbor aeque ac ſupradicta animalia rationalia et irrationalia ſint *corpora*, et demum *ſubſtantiae*. 2. Sempronius, Mevius, Pamphilus, Caja, Seja, Petrus, et Paulus &c. differunt quidem vel ratione aetatis, vel ſtaturae, nativitatis, divitiarum, ſexus, ingenii, dignitatis &c. in eo tamen perpetuo convenire deprehendimus, quod ſint animalia rationalia, ſeu quod vivo et ad ſentiendum apto corpore, nec non animo rationis compote gaudeant, adeoque quod ſint homines. Idea *hominis* ergo conſtituit ſpeciem; voce enim *homo* nihil aliud exprimis, quam ſimilitudinem innumerorum individuorum, eademque individua in certa quadam claſſe

collocas 3. Quoties plures ſpecies inter ſe comparamus, easdemque deprehendimus, in quibusdam notis ſibi eſſe ſimiles, tunc illam ſimilitudinem dici genus ſupra diximus. Hic equus, ille equus, iſte equus, cum quivis ſit animal hinnibile, conſtituunt ſpeciem. Hic canis, ille canis, iſte canis, cum quilibet ſit animal latrabile, conſtituunt ſpeciem; hic leo, ille leo, iſte leo, cum quilibet ſit animal rugibile, conſtituit ſpeciem diverſam a ſpecie animalis hinnibilis et latrabilis. Homo, equus, canis, leo, pluresque aliae ſpecies animalium, ſi inter ſe confers, eas quidem in compluribus reperies a ſe invicem differre, aſt in eo tamen inter ſe perpetuo convenire, ſibique ſimiles eſſe, quod *vivant* et *ſentiant*: cum autem *ens vivens* et *ſentiens* dici ſoleat animal, et hanc ſimilitudinem voce *animalis* exprimamus, patet luculenter, quod *animal* conſtituat ideam *generis infimi*, quod ſpeciem humanam, equinam, caninam et leoninam ſub ſe comprehendere intelligitur. 4. *Arbor* eſt genus infimum, continet enim quercum, laurum, ceraſum &c. tanquam ſpecies ſub ſe: *Lapis* eſt genus infimum; continet enim ſub ſe adamantem, ſilicem, ſmaragdum, hyacinthum &c. quodſi animal, arborem, lapidem tanquam plura genera infima inter ſe confero, et deprehendo in eo convenire, quod poſſint tangi, idque, quod tangi poteſt, ſit *corpus*, tunc

idea

Digitized by Google

Fig. 69.

Digitized by Google

idea *corporis* est genus medium seu superius. 5. Quoties demum *spiritum* et *corpus* considero, et deprehendo, quod tam spiritus, quam corpus sint res per se et seorsim existentes: res autem per se et seorsim existens dicatur *substantia*, tunc concludo, quod spiritus aeque ac corpus sint substantiae, adeoque quod *substantia* sit genus supremum; cum duo alia genera media sub se comprehendat. 6. Ordinem idearum magis vel minus communium, in quo sub aliquo genere supremo multa genera, species et individua continentur, veteres et scholastici vocarunt *Praedicamentum*, alias etiam Arborem Porphyrianam. En typum hujusce arboris. Fig. ad pag. 69.

In quo omnes homines similes sunt, id absolvit *speciem humanam*: in quo species hominum et brutorum similes sunt, id est *genus animalium*: in quo genus animalium generi plantarum simile est, id est *genus superius vivorum*: in quo genus vivorum generi non viventium simile est, id est genus adhuc superius *corporis*: in quo genus corporum, id est, entium compositorum generi entium simplicium simile est, id est genus supremum *substantiae*. 7. Sic idea *hominis*, itemque idea *animalis*, quatenus animal est principium sentiendi, sunt ideae universales; per ideam *hominis* enim sistitur nobis id, quod pluribus

indiyiduis e. gr. Sempronio, Mevio, Pamphilo &c. eſt commune: et per ideam *animalis* id, quod pluribus ſpeciebus e. gr. homini, leoni, equo, cani &c. commune eſt. Ideae ſpecierum et generum ſunt *univerſales*; quia *ſpecies* nobis ſiſtit ea, quae pluribus individuis ſunt cummunia; *genus* autem ea, quae pluribus ſpeciebus ſunt communia. Dein plures notae ſunt in individuis, quam in ſpecie, et plures in ſpecie quam in genere. Hinc non omne id, quod repugnat ſpeciei, ideo repugnat etiam generi; quamquam, quod repugnat generi, idem repugnet ſpeciei.

§. 24.

Determinationes ſeu notae, per quas genus a genere diſcernitur, dicuntur *differentia generica*: per quas ſpecies a ſpecie diſcernitur, *differentia ſpecifica*: per quas individuum ab individuo diſtinguitur, *differentia numerica*. 1) Ideae univerſales, *ſpecies* et *genera* ſcilicet, ſunt repraeſentationes quarundam tantum notarum, pluribus competentium: repraeſentare autem ſibi unam alteramve notam, omiſſis reliquis notis, cum quibus alias illae ſunt unitae, eſt *abſtrahere*: ideae univer-

universales igitur fiunt *abstractione* seu *abstrahendi artificio.* 2) Cum ideam alicujus *speciei* tibi formas, tunc eas tibi tantum repraesentas notas seu determinationes, in quibus *individua* conveniunt; easque omittis, in quibus ea perpetuo sibi non sunt similia, et consequenter quasdam notas in individuis simul non consideras: et tunc diceris *abstrahere:* atque haec est ratio, cur Philosophi ideas universales vocent *abstractas.* 3) Enimvero cum ex meris singularibus in syllogismo nihil sequatur, et medius terminus ut in praemissis distribuatur, necesse sit, facile est ad intelligendum, ad *ratiocinandum* requiri ideas universales. Quantum igitur *facultas abstrahendi* a Deo hominibus concessa sit beneficium, vel ex eo satis cognosci potest, quod absque hac facultate non possemus ratiocinari, adeoque brutorum instar individuales tantum haberemus ideas, claras eas quidem, aut confusas tamen, si non prorsus obscuras; ut adeo facultas abstrahendi causa sit, cur genus humanum supra omnis generis bruta longe sit exaltatum. 4)

Scholion.

1. *Commiseratio* et *invidia* in eo conveniunt, quod sint *taedium*: taedium igitur est praedicatum genericum: ast sunt nonnulla, quibus commiseratio ab invidia differt; scilicet *commiseratio* est taedium *ob alterius infelicitatem*, et *invidia* est taedium *ob alterius felicitatem*: alterius felicitas est praedicatum *differentiale taedii*, et alterius infelicitas est praedicatum *differentiale commiserationis*: atque haec differentia dicitur *specifica*. Petrus est hic homo, hoc est, homo his notis distinctus: Paulus est ille homo, hoc est, illis et non aliis notis distinctus: haec diversitas notarum seu haecceitatis et illeitatis (liceat barbare loqui) vocatur *differentia numerica*. 2. Quidquid existit, id omnimode determinatum et multiplicibus variisque circumstantiis involutum esse experimur. Cum vero idea *speciei* et *generis* non omnimodas determinationes seu notas, quibus individua gaudent, sub se comprehendat, sed eas tantum, quae in individuis sunt similes, consequens est, ut nec species, nec genus actu existat: quoniam autem ideam speciei et generis nihil ingredi potest, nisi quod individua commune habent, adeoque omnia ea, quae in specie et in genere continentur, in singulis individuis existunt, luculenter patet, species et genera non existere,

ſtere, niſi *in ſingulis individuis.* Inſuper cum generis idea ea comprehendat, quae ſunt ſpeciebus communia, ſpecies autem non exiſtat, niſi in individuis, rurſus luce meridiana clarius patet, *genus non exiſtere niſi in individuis:* omnibus ſingularibus ſeu individuis inſunt ergo univerſalia, *genus* ſcilicet et *ſpecies*, individuumque eſt fundamentum generis et ſpeciei. 3. *Idea abſtracta* eſt vel univerſalis, vel particularis; *particularis* idea de Cicerone fiſtit nobis id, quod Cicero cum aliis *quibusdam* commune habet, e. gr. *oratorium ejus flumen: univerſalis* id, quod Cicero cum omnibus ejusdem naturae individuis commune habet, e gr. *humanitatem*, ſeu corpus organicum unitum animae rationis aeque ac ſenſationis compoti. Jam *abſtracta idea*, quae alias etiam *praedicabilis* vocatur, quintuplex eſt; et vocatur 1°. *genus*, quoties ſub ſe diverſas complectitur particulares ſeu ſpecificas. 2°. vocatur *ſpecies*, quoties ſub univerſali comprehenſa, plures ſub ſe habet res individuales. 3°. Idea abſtracta, quae *primario* ad eſſentiam rei pertinet, per quam res praeciſe haec res eſt et non alia, vocatur *differentia.* 4°. idea abſtracta, quae eſſentiam rei *ſecundario* conſtituit, dicitur *proprium.* 5°. idea abſtracta, quae ad eſſentiam rei nihil facit, eaque ſalva vel adeſſe vel abeſſe poſſit, nominatur *accidens.* Figura quadrilatera eſt reſpectu feneſtrae nonniſi *ac-*

cidens. Pariter eruditio respectu hominis, et albedo ratione chartae sunt *accidentia.* 4. Omni studio ergo nobis conandum est, ut *artificium abstrahendi* nobis reddamus satis perspectum. Huc praeprimis conducunt exempla ex Matheſi petita. *Triangulum* rectilineum est spatium tribus lineis rectis inclusum: *essentiam* hujus trianguli constituunt 1. lineae, 2. earum rectitudo, 3. numerus ternarius, 4. conventus in tribus punctis. Lineae autem non possunt spatium claudere, nisi binae et binae in uno puncto conveniant, et angulum forment: hinc *attributum* trianguli est, quod angulos habeat: sequitur enim ex ipsius essentia, sed non integra; propterea etiam aliis figuris geometricis competit, e. gr. quadrato, pentagono &c. adeoque est *attributum commune*: ternarius autem angulorum est *attributum proprium* trianguli; quia tres anguli ex integra essentia ejusdem sequuntur, et propterea nulli alteri figurae competunt. Sic quadrato competit quaternarius angulorum &c. Ponamus hasce tres lineas rubro designatas esse atramento; en *accidens*, seu modum, internum quidem, ast *variabilem* tamen: ponamus, triangulum hocce alii dato triangulo esse aequale; en *relationem aequalitatis*, affectionem scilicet variabilem et externam, adeoque *accidens.* Vidimus hactenus ideas formari vel per *sensationem* vel per *abstractionem*: sunt autem nonnulli, qui addunt *tertium*

Digitized by Google

tium modum ideas formandi, ſcilicet per *arbitrariam combinationem*. Sicut ſcilicet ad ideas pervenimus abſtractas, *omittendo* notas, per quas individuum eſt omnimode determinatum, ita excogitare poſſumus notas, easque *combinare*, quae ſunt diverſae; atque ſic id, quod hoc modo eſt determinatum, alio modo determinare. Sic ſi ideam *fluvii aurei* tibi formas, tunc illam formas per *arbitrariam combinationem:* cum enim jam noris, quid ſit *fluvius*, et quid ſit *aurum*, tunc ita has duas ideas ſeu eſſentias cogitando conjungis, ut una idea prodeat, ſcilicet idea *fluvii aurei*. Si ideae, quas combinas, ſibi contradixerint, tunc *idea arbitraria* eſt falſa, e. gr. idea ligni ferrei, et hircocervi, quia eſt impoſſibilis. Sin ideae combinatae non repugnaverint, adeoque poſſibiles ſunt, tunc idea *arbitraria* eſt vera, ſaltem quoad poſſibilitatem, ſi non quoad exiſtentiam rei; ſic poſſibilitas *perfectiſſimae rationis* demonſtratur ex eo, quod nullam contradictionem involvat, quando notae *perfectionis* et *rationis* conjunguntur.

Sectio IV.

De uſu vocum ſeu terminorum circa Ideas.

§. 25.

Quemadmodum ſpecies humana eatenus *magno* gradu ſupra genus brutorum eſt

ex-

exaltata, quatenus facultate abſtrahendi, ideasque ſpecificas et genericas formandi gaudet, ita etiam beneficio *vocum* divinitus praedita, illud multis paraſangis poſt ſe relinquit. Bruta ideas, quas habent, claras individuales, perinde ac obſcuras et confuſas nonniſi ope geſtuum, aliorumque motuum corporis pantomimicorum ſibi invicem communicant: pantomimica lingua haec ad ideas univerſales et abſtractas exprimendas prorſus eſt inepta et inſufficiens. *Soni*, quos ſola ſpecies humana per multiplicem trachearum preſſionem, auctore naturae ſic ordinante, edere poteſt, ſoli ſunt ſigna, quibus homo homini ideas ſuas abſtractas, adeoque diſtinctas, completas et adaequatas communicare poteſt; adeo quidem, ut etiam literae ſcriptae eatenus ad communicandas ideas abſtractas ſufficiant, quatenus eae ſunt ſigna ſonorum ſupradictorum. Hi ſoni vocari ſolent *voces* ſeu *termini logici*. Signa quidem ſunt varia, quibus noſtras cogitationes aliis communicamus individuales: nonnulla illorum in *oculos* cadunt, veluti *geſtus*, *nutus*,

nutus, *characteres*, *imagines &c.*: aſt ſoni, qui in *aurem* cadunt, ſoli ſunt apti ad indicandam univerſalitatem et particularitatem propoſitionum, atque ad formandam ratiocinationem. Hinc *terminus* eſt ſonus, ab hominibus ut ſignum alicujus ideae adhiberi ſolitus.

§. 26.

Imo nec *omnes ſoni*, quos homo edere poteſt, ad obtinendam communicationem idearum praedictam ſufficiunt; ſed *ſoni* nonniſi *articulati* huic fini aſſequendo apti ſunt et habiles. Hinc *voces* nihil ſunt aliud, quam ſigna, ſono articulato prolata, conceptus ſeu ideas mentis noſtrae manifeſtantia. Dico, *ſigna*; nam *ſignum* nihil aliud eſt, quam id, quod praeter ſui ideam excitat in animo ſimul ideam alterius rei: ſic hedera coram aedibus ſuſpenſa non ſolum indicat, quod ea ſit herba, ſed indicat etiam, quod in aedibus exiſtat vinum vendibile. Experientia quidem conſtat, quod praeter homines etiam alia animalia, pulmone praedita, tracheis multipliciter preſſis diverſos edere valeant

Digitized by Google

valeant ſonos, veluti idearum ſuarum ſingularium ſigna et indicia; aſt ſonos articulatos, ad ſignificandas ideas abſtractas et ratiocinationes requiſitos, edere nequeunt.

§. 27.

Voces quidem ſeu *ſoni articulati* per ſe etiam tantum ſignificant ideas *individuales* ſeu *ſingulares*, veluti nomina *propria* virorum, locorum &c.; ut adeo, ſi quodlibet graminulum, quilibet pulviſculus, quilibet lapidulus, ſingulari voce denotari deberet, infinita neceſſario emergeret idearum individualium, adeoque et vocum multitudo: aſt divinae Providentiae beneficio homo facultatem accepit voces ſuas nonniſi cum univerſalibus conjungendi ideis, et ab individualibus abſtrahendi circumſtantiis. 1) Quam bene a Creatore per hoc beneficium generi humano ſit proviſum, vel ex eo ſatis conſtat, quod homo infinito hocce labore in addiſcenda tanta inexplicabili vocum individualium multitudine impendendo, ſi nomina propria exceperis, ſuperſedere poſſit. 2)

Scho-

Scholion.

1. Sic *equus*, *cervus*; *templum*, *hortus*, *arbor*, *lapis*, *gramen*; *pulvis*, *homo* &c. sunt voces, cum universalibus conjunctae ideis, perinde ac omnis equus, omnis cervus &c. 2. Etiam vocum, cum universalibus conjunctarum ideis, tanta est copia, ut lingua latina circiter quindecim, germanica circiter viginti, et graeca circiter triginta numeret millia.

§. 28.

Interea linguarum europaearum (ut asiaticas, africanas et americanas praetereamus) multitudo luculenter nos convincit, quod quaelibet idea diversis exprimi possit vocibus seu terminis: e. gr. Stadt, *urbs*, *la ville*, *la citta*; *item* die Augen, *oculi*, *les yeux*, *gli occhi*, *item* ein Schuster, *sutor*, *un cordonnier*, *uno calzolaro*. Tantum igitur abest, ut aliquis ex innumeris, quos homo edere potest, sonis deprehendatur, qui necessario hanc vel illam apud omnes Europaeos indicare deberet ideam, ut potius nulla detur idea, quae per hanc vel illam vocem praecise, et non per aliam exprimi seu communicari

deberet

deberet. Dependebat igitur a libera institutione hominum et populorum significatio vocum: hi consenserunt in voces, rebus his et aliis designandis destinatas. Cum autem id, quod a libero hominum arbitrio pendet, in se necessarium non esse, sed *arbitrarium* esse intelligatur, manifeste sequitur, quod soni articulati seu voces tanquam signa idearum nostrarum sint arbitraria. *Idea arbitraria* est repraesentatio quarundam notarum, quas pro arbitrio meo in quapiam conjungo.

§. 29.

Quoniam *Soni*, qui ab homine tanquam signa idearum suarum adhiberi solent, *voces* seu *termini* dicuntur, et literae scriptae signa sunt sonorum, adeoque etiam idearum sonis annexarum, consequens plane est, quod soni, qui nunquam ut signa idearum ab homine quodam sunt adhibiti, recte dicantur *voces cassae* et *inanes*, sive simplices sint, sive compositae. Nam quaelibet vox juncta esse debet cum idea: et consequenter etiam lite-

literae ſcriptae, quibus non eſt juncta idea, ſunt *caſſae* et *inanes*. *Vox caſſa* ergo eſt ſonus, qui nunquam ut ſignum ideae adhibetur, vel adhiberi poteſt.

Scholion.

Ejusmodi voces, quibus nulla idea, nullaque ſententia eſt ſubjecta, ſunt *plictri* et *ſcyndapſis*, *ficucuma*; pariter *circulus quadratus*, *vulpanſer &c.* Etſi enim vulpes et anſer ſeparatim ideam ſignificant, conjunctim tamen minus. Huc etiam pertinet *Vox*, cum qua opinaris, te conceptum aliquem ſeu ideam conjungere, revera autem nullum conjungis: talis vox vocatur *terminus deceptrix* et *inanis*. Sic dum memoriam definis *receptaculum idearum*, videris tibi intelligere, quid dicas. Aſt cum receptaculum ad animam transferri nequeat, veluti res materialis ad immaterialem, facile perſpicis ipſemet, vocem hanc eſſe *terminum inanem*, et ſignificare *ideam deceptricem*, vel potius nullam ideam, niſi fors in ſenſu metaphorico memoria dicatur receptaculum idearum, in quo conduntur ideae, et unde, rerum uſu exigente, denuo promuntur. *Memoria* in ſenſu proprio eſt facultas animae ideas reproductas (conſequenter et res per eas repraeſentas) recognoſcendi. *Imaginatio* reproducit ideas, et *memoria* ideas reproductas recognoſcit. Si

muſicam heri perceptam hodie rurſus tibi repraeſentas tanquam praeſentem. quin tibi conſcius ſis te eam heri audiſſe, tunc haec repraeſentatio eſt operatio imaginationis; ſin tibi conſcius ſis, te eam heri jam audiſſe, adeoque recognoſcis, eandem eſſe, quam heri audiſti, tunc haec recognitio eſt operatio memoriae. Ideis deceptricibus plena ſunt pleraque poëmata, plenae orationes.

§. 30.

Poſito caſu, quod Germanus quidam et Italus in horto quodam conveniant, atque Italus Germanum italice alloquatur, atque recenſione eorum, quae in horto viderat, interpellet, Germanusque germanice reſpondeat, quod ipſum non intelligat; in hoc caſu certum eſt, quod alter alterum non intelligat, niſi uterque antea didicerit linguam alterius aut per uſum aut per grammaticam. Ratio patet: Germanus cum vocibus italicis non easdem conjungere poteſt ideas, quas Italus cum iisdem connectit. Ad hoc ergo, ut alter alterum intelligere poſſit loquentem, requiritur, ut uterque cum iisdem vocibus easdem ſciat connectere ideas. *Intelligere* ergo

eſt

est nihil aliud, quam cum iisdem vocibus easdem conjungere ideas. Pariter *explicare* nihil aliud est, quam indicare ideam, quae cum voce ista solet conjungi. Quodsi duo non easdem ideas cum iisdem vocibus connectunt, tunc se invicem non intelligunt, ruuntque in decertationem circa significatum termini, quae *Logomachia* vocatur: ut igitur quis logomachiam evitet, necesse est, ut se explicet, id est, ut ideas suas, quas cum vocibus et terminis conjungit, alteri fideliter indicet.

Scholion.

Si duo Christiani disputant de *fide*, quorum alter per *fidem* intelligit doctrinam ad normam verbi divini attemperatam, id est, *fidem, quae creditur*: alter autem *per fidem* intelligit fiduciale in gratiam Dei per Jesum Christum partam assensum, quem Spiritus Sanctus operatur in cordibus, id est, *fidem, qua creditur*, tunc luce meridiana clarius patet, quod non uterque cum eadem voce eandem conjungat ideam, ut adeo neuter alterum intelligere possit, antequam ambo indicaverint ideas suas, quas cum *fide* connectunt. Siquis impugnet hanc propositionem: *datur*

nexus in hoc universo, et tamen concedit, *omnes eventus habere suas causas efficientes et finales*, tunc ejus impugnatio foret logomachia, quia nexus nihil aliud est quam omnium eventuum dependentia a causis efficientibus et finalibus. Hinc *Logomachia* est impugnatio propositionis, cui respondentem ideam veram agnoscit impugnans, sed quam ipse aliis verbis exprimit vel ob spiritum contradictionis, vel ob pertinacem voluntatem alterum vexandi. Uti fieri solet in controversiis et disputationibus publicis.

§. 31.

Qualis idea, talis terminus. *Terminus clarus* est, cum quo idea clara est conjuncta. *Terminus obscurus* est, quocum idea obscura est connexa.

Scholion.

Ejusmodi terminorum obscurorum plena sunt quorundam Scholasticorum scripta: imo ipsa *Entelechia* Aristotelis et *anima vegetativa* Scholasticorum obscuri termini sunt, cum obscurae cum iis conjungantur ideae. Libri Boehmistici, Paracelsistici, mystici et alii, in quibus subinde occurrunt voces *Microcosmetor*, *Bithnimalca*, *Gasteranax*, *R. channmelca* &c. huc pertinent. Interea clarum et obscurum esse sunt *termini relativi*, dependentes a cognitione

tione hominum, quibus aliquid vel *clarum* vel *obscurum* est.

§. 32.

Terminus, cum quo constanter eadem conjungitur idea, vocatur *fixus*, *univocus*, *determinatus* 1): econtra terminus, quocum eadem idea non constanter connectitur, dicitur *vagus*, *aequivocus*, *indeterminatus*. 2) Ex levitate hominum in sermonibus suis cum uno eodemque termino non unam eandemque semper conjungentium ideam, fere omnes omnium linguarum termini abierunt in terminos vagos et indeterminatos, ita, ut non pauci eorum, sive latinam, sive gallicam aut germanicam consideremus linguam, decem, imo viginti habeant potestates seu significationes. Horrenda plane rerum confusio, et fere insuperabilis difficultas in linguis addiscendis.

Scholion.

1. *Aer*, *spes*, *invidia*, sunt termini fixi, item *globus* in Mathesi: is enim constanter denotat corpus, cujus omnia superficiei puncta a centro

tro aequaliter diſtant. 2. Termini vagi ſunt *ſenſus, ingenium, jus, intellectus, Politicus*, item *mundus*, et *notitia*. Mundus nunc univerſum hoc terraqueum ſignificat, quando dicitur: *DEUS creavit mundum;* nunc nonniſi homines, quando ſcribitur: *DEUS amavit Mundum.* Jam quando quis tibi diceret: *mundus hic non eſt optimus*, tu iſtum certe non poſſes intelligere, niſi ille terminum vagum *Mundi* prius explicaret, et confiteretur, ſe nomine *mundi* hypotheſin iſtam de mundo optimo, veluti finibus a Deo ſibi propoſitis ſummopere accommodato, neutiquam negare, ſed ſe indicare velle malos mores hominum. Haud diſſimiliter male definitur Philoſophia, quod ſit notitia rerum divinarum et humanarum: nam lector hanc definitionem examinans haeret dubius, an per terminum notitiae denotetur cognitio hiſtorica, philoſophica, aut mathematica: item certa vel probabilis: adeo vagus eſt terminus iſte: adhiberi ergo oportet terminum fixum, et definiri Philoſophiam, quod ſit ſcientia rerum divinarum et humanarum; ſeu habitus demonſtrandi.

§. 33.

Terminus *fluvii* primum et originaliter eſt inſtitutus ad ſignificandam ideam aquae in alveo ſuperius aperto innata gravitate profluentis. Quoniam autem *oratio* aliquid ſimile

le habet cum fluvio, hinc Rhetores terminum fluvii seu fluminis transtulerunt ad orationem tersam et elegantem, dicentes: *Orationis flumen.* Quis autem est, qui non animadvertit, in priori casu vocem fluminis sumi in sensu proprio et originali, in posteriori autem casu nonnisi in sensu improprio? nova igitur terminorum divisio emersit, scilicet in proprium et in improprium. *Terminus proprius* est, qui cum ea conjunctus est idea, cui indigitandae primum et originaliter est institutus: 1) *terminus improprius*, seu, ut ab aliis vocatur, *metaphoricus* est, qui cum ea conjungitur idea, quae aliquid simile habet cum illa, cui denotandae primum et originaliter est destinatus. 2)

Scholion.

1. *Lux* est terminus proprius, quando sumitur pro eo, quod res circumstantes facit visibiles. Et lux tamdiu proprie sumi dicitur, quamdiu hoc termino ejusmodi quid significatur, quod circumjecta corpora discernere facit. Significatus terminorum, in communi sermone proprius, constituit id, quod *usus loquendi* dicitur: adeoque ille, qui termi-

nis eas tribuit ideas, quibus res repraesentantur, iisdem in communi sermone indigitatae, observare usum loquendi intelligitur. In communi sermone *lucem* accipimus pro omni eo, quod res circumstantes reddit visibiles; usus igitur loquendi postulat, ut termino lucis ideam tribuamus, qua id, quod res circumjectas facit visibiles, repraesentatur. 2. Quoties intellectus, utpote facultas res sibi repraesentandi, dicitur *lux animae*, toties lux est terminus improprius, seu improprie sumitur. Idem dicendum est, si idea clara et distincta vocantur *lumina mentis*. Lumen ergo in hoc casu est terminus proprius, improprie sumtus. Ab eo autem differt *terminus familiaris*, quem nos intelligere opinamur, etsi ad ideam, quae eadem significatur, non simus attenti. Non pauci dicunt de quodam homine: hic est l'homme d'ambition, hic est un galant homme, der Mensch hat Welt; et putant, se id, quod dicunt, intelligere: ast interrogati, quid sibi velint his terminis, obmutescent. Caeterum significatus in disciplinis et artibus proprius vocatur *receptus terminorum significatus*. Interea omnes termini vagi, improprii et obscuri sunt explicandi et determinandi, praecipue in tradenda aliqua disciplina: utimur enim vocibus aeque ac terminis scriptis eo fine, ut cum aliis nostras communicemus ideas, quae sine praevia explicatione intelligi nequeunt.

§. 34.

Digitized by Google

§. 34.

Variae adhuc in ſcriptis Scholaſticorum inveniuntur *terminorum* diviſiones, quorum uſus modernus non eſt ubique idem. *Synonymia* eſt idem ſignificatus terminorum; et termini, qui eandem habent ſignificationem ſeu eandam indicant ideam, vocantur *ſynonyma* ſeu *termini ſynonymici*. Sic *gladius* et *enſis* ſunt ſynonyma, *flumen* et *fluvius* ſunt ſynonyma, cum unam eandemque ſignificent ideam inſtrumenti, aut aquae decurrentis in alveo. *Objectum* et *res* ſunt ſynonyma apud Logicos: pariter *nota*, *affectio*, *character* et *determinatio* ſunt ſynonyma.

§. 35.

Terminus concretus eſt, qui rem cum notis eidem inexiſtentibus ſignificat, e. gr. *doctus*, id eſt, homo habens doctrinam, *pius*, id eſt, homo habens pietatem. Homo hic vocatur *materia*, *doctrina* vocatur *forma*, pariter et pietas. Terminus concretus ſignificat igitur materiam et ſimul formam. Terminus concretus ſumitur vel *materialiter*; ut ſi dico: Mu-

Digitized by Google

ſicus currit, id eſt, homo muſicam callens currit, et ratio, cur currat, non eſt muſica, ſed quia eſt homo; vel *formaliter*, ut ſi dico Muſicus cantat, et ratio, cur eleganter et artificialiter cantet, eſt muſica, non quia eſt homo; vel *concretive*, ſi dico: Muſicus eſt ens compoſitum, id eſt, homo et muſica, ſi ſimul ſumantur, ſunt compoſitum. Alii olim loco materialiter dixerunt *denominative*, et loco formaliter dixerunt *reduplicative*. Sed mittamus has ſubtilitates ſcholaſticas.

§. 36.

Terminus abſtractus eſt ille, qui unam pluresve denotat rei alicujus notas, absque re, cui notae illae inſunt, veluti *doctrina*, *pietas*.

§. 37.

Terminus homonymus eſt, qui multiplicem habet ſignificationem, e. gr. *Lupus*: hoc termino ſignificantur ein Wolf, ein Hecht, eine Krankheit, ein Gebiß, ꝛc. Homonymus alias etiam vocatur *aequivocus*, uti gallus vel pullum gallinaceum, vel hominem ex Gallia oriundum ſignificat. Termini *homonymi* ſunt igitur indeter-

determinati et vagi, qui opponuntur univocis et fixis terminis.

§. 38.

Terminus paronymus est, qui ab altero, servata istius generis significatione, derivatur, *ut doctus, doctrina; pius, pietas.* Terminus homonymus, univocus et paronymus constituerunt apud Veteres *doctrinam antepraedicamentorum.*

§. 39.

Terminus universalis est, qui ideam exhibet universalem, e. gr. *homo, animal, lapis, arbor:* alias etiam dicitur *communis*, et interdum antefert signum universalitatis, e. gr. *omnis, nullus.* Quodsi autem signa particularitatis praeseferat, e. gr. quidam, aliqui, nonnulli, tunc vocatur *terminus particularis*, e. gr. *quidam homo, aliqui homines, nonnulli homines &c. Terminus singularis* est, cui adjuncta est idea individualis sive particula singularitatis. e. gr. *Mevius, Petrus, Paulus, Bucephalus, hic homo, ille homo, iste homo.* Haec classis terminorum universalium et singularium

rium conſtituit in Schola Veterum doctrinam *Praedicabilium.*

§. 40.

Tertia *terminorum* claſſis apud Veteres continebat terminos *praedicamentales*, et *tranſcendentales*, ſeu *doctrinam praedicamentorum.* Erat autem *terminus praedicamentalis*, qui ideam ſubſtantiae, quantitatis, qualitatis, relationis, actionis, paſſionis, loci, temporis, ſitus aut habitus indicabat.

§. 41.

Terminus categorematicus eſt ille, qui talem exprimit ideam, quae per ſe poteſt intelligi, ſine neceſſaria cum alio conjunctione, ut *homo, ſcribit, avis, ſaltat &c.* tales ſunt *omnia ſubſtantiva* et *ſubſtantive poſita. Terminus ſyncategorematicus* eſt ille, qui talem exhibet ideam, quae per ſe non eſt intelligibilis, ſed tantum per alterius termini adjunctionem: e. gr. *adjectiva, participia, caſus obliqui*: uno verbo: *adverbia, praepoſitiones, conjunctiones, caſus obliqui, &c. omnis, nullus, aliquis, hic &c.*

§. 42.

Digitized by Google

§. 42.

Terminus complexus est ille, qui uno, pluribusve terminis compositis constat, qui plures quoque exhibent ideas: e. gr. *aqua frigida* est terminus complexus, qui ideam aquae et ideam frigoris denotat. Significat ergo ideam complexam e. gr. *lapis rotundus*. *Terminus incomplexus* est ille, qui uno, pluribusve terminis compositis, unam tantummodo ideam exhibentibus constat, uti *aurifaber*.

§. 43.

Terminus finitus est, qui certam et determinatam exhibet ideam: e. gr. *discipulus*, *homo*, *cancer*. Is terminus certum quid significat absque expressa negatione: e. gr. *Petrus est homo*. *Terminus infinitus* est, qui indefinite rem significat, exprimendo scilicet negationem: e. gr. *non homo*, *non arbor*, *non lapis*. Hic terminus alias dicitur *infinitans*, et indicat, quid res aliqua non sit, non vero quid sit: e. gr. *Bucephalus est non homo*.

§. 44.

Terminus absolutus est ille, qui intelligi potest,

teſt absque relatione ad alterum terminum: e. gr. *Deus, homo. Terminus comparatus* eſt, qui intelligi non poteſt, niſi alium adjunxeris terminum, quocum comparatur: e. gr. *Roma major eſt.* Nam terminus *major* intelligi nequit, niſi illi adjungatur alius terminus, aliam quamdam urbem denotans: e. gr. *Monachium.* Ut adeo demum intelligatur, ſi idea Monachii adjungatur, vel alterius urbis, dicendo: Roma eſt major Monachio. Eſt enim comparatus terminus ille, qui ideam exhibet, haud intelligibilem ſine relatione ad aliam ideam.

§. 45.

Terminus *materialiter* ſumptus eſt, qui pro literis et ſyllabis, ex quibus conſtat, accipitur, ita ut praeponi queat *haec vox, hoc vocabulum:* e. gr. *lupus eſt generis maſculini*; item *lapis eſt biſyllabum*, id eſt, vocabulum *lapis* eſt biſyllabum; item *animal eſt triſyllabum.*

§. 46.

Terminus *formaliter* ſumptus eſt ille, qui ſumitur pro idea quadam, ad quam denotan-

tandam est institutus. Uti si dico: animal est *principium sentiendi*: rationale est *principium ratiocinandi*: *animal* in priori §o sumtum dicitur in lingua scholastica *supponere materialiter*: in hocce §o autem dicitur *supponere formaliter*.

§. 47.

Terminus distinctus est, qui denotat ideam distinctam, adeoque notas rei essentiales, *genus* scilicet et *differentiam* rei: e. gr. *animal rationale*; nam *animal* est genus, *rationale* est differentia. Cum cuivis termino distincto juncta sit idea distincta, patet, omnem definitionem esse terminum distinctum. Interea eadem idea e. gr. *substantiae* pluribus terminis distinctis seu definitionibus potest exprimi: sic bene dicimus: *substantia* (scilicet *finita*) est ens per se et seorsim subsistens et intelligibile. *Substantia* est subjectum incorruptibile, quod modos et accidentia sustinet. *Substantia* est ens, quod principium mutationum seu modificationum in se continet. *Substantia* est ens simplex vi agendi praeditum, et non in se, sed tantum per modos suos cognoscibile

bile. Quaevis harum definitionum eſt *terminus diſtinctus.*

§. 48.

Terminus confuſus eſt, qui exhibet ideam confuſam, adeoque per verba aliis communicari non poteſt. *Odor roſae* eſt terminus confuſus; quamvis enim odorem roſae ab odore caryophilli, reliquisque bene olentibus floribus diſcernere poſſim, adeoque de odore roſae ideam claram habeam, quia tamen notam odoris roſacei a nota odoris caryophyllici diſcernere et enumerare nequeo, adeoque idea *notae* tantummodo eſt obſcura, ideo odor roſae eſt terminus confuſus.

§. 49.

Ne ſumma inter homines invehatur confuſio, nobis non competit poteſtas linguas atque terminos condendi, ſed jam receptis utendi: noſtrum proin non eſt, cum terminis pro lubitu noſtro conjungere ideas, aut terminos pro lubitu noſtro explicare. Sed *univerſalis populorum conſuetudo* determinat, quaenam ideae cum his vel illis terminis ſint con-

Digitized by Google

conjungendae, ſive ſint *termini vocales*, ſive *ſcripti*. Haec conſuetudo vocatur *uſus loquendi*. In explicandis ergo terminis tam vocalibus quam ſcriptis attendendum eſt *ad uſum loquendi*.

§. 50.

Quando quis legit in quodam libro: *Francorum Imperatori Carolo Magno pulcherrimum fuit publicas viſitare ſcholas atque doctos et diligentes prae indoctis, inertibusque ad honores et munera publica promovere.* Quando quis haec verba legit, inquam, et dubitat, quaenam idea *ex communi loquendi uſu* cum termino *pulcherrimum* ſit connectenda, tunc nihil prius habeat oportet, quam ut quasdam locutiones conſuetas, in quibus terminus hicce uſurpatur, indaget, ſibique ante oculos ſiſtat, e. gr. ille juvenis vocatur *aſpectu pulcher*, cujus facies eſt *formoſa*: dicitur etiam: *ſuum cuique pulchrum*, id eſt, *gratum et acceptum*; item *mors pulchra*, id eſt, *glorioſa et honorifica*; item *dies pulchra*, id eſt, *fortunata* aut *amoena*. Notum eſt etiam proverbium: *difficilia quae pulchra*, id eſt, *opus excellens habet difficiles ortus et tarda incrementa*. Juxta illud: omne, quod excellens opus, egregiumque futurum eſt, difficiles

ficiles ortus habet, incrementaque tarda. Ex his exemplis eluceſcit, quod terminus *pulcher* diverſas habeat ſignificationes, adeoque ex uſu loquendi ſit terminus vagus et indeterminatus; cum autem *ab uſu loquendi* non ſit decedendum, retinenda eſt aliqua idea ex illis ſupradictis ideis, quas uſus loquendi cum termino *pulcher* conjunxit, et quidem iſta, quae ad rem praeſentem maxime quadrat: dico igitur, *quod Carolo Magno glorioſum et magnificum fuerit* viſitare ſcholas &c. En mentem meam! ſicut mors pulchra pro patria, ita et viſitatio ſcholarum, oneroſa quidem illa, aſt pulchra tamen. Haec ſine dubio fuit etiam mens *ſcriptoris*, qui illud de Carolo Magno ſcripſerat. Hac ratione licet poteſtatem veram cujusvis termini vagi et indeterminati ex uſu loquendi reperire, ſi attendamus ad eam notionem, propter quam terminus in locutione adhibetur.

Sectio V.

De Definitione.

§. 51.

Idea diſtincta completa enunciatur per terminum

minum distinctum, qui dicitur *definitio*, et objectum ideae distinctae completae vocatur *definitum*. 1) Ex hac definitionis definitione patet, quod ideam distinctam completam alicuius objecti ope definitionis verbis aut literis expressae aliis hominibus declarare quidem valeamus, non item confusam. Cum enim in definitione recenseri oporteat notas characteristicas, definitum ab aliis discernentes objectis; omnium autem rerum distinctae ideae haberi nequeant, eoquod repraesentationes sensuales qua tales sunt confusae, 2.) Plane consequitur, non omnium rerum dari definitiones.

Scholion.

1) *Eclipsis solis* est carentia lucis solaris in novilunio. *Eclipsis solis* est definitum: *carentia lucis solaris in novilunio* est definitio. Homo est animal rationale: *homo* est definitum, *animal rationale* est definitio. Cum definitio sit idea distincta, illa non debet *idem per idem* explicare: hinc mala est haec definitio: *Quantitas* est accidens, a quo res dicitur quanta. Nam terminus *quantus* aeque est confusus ac terminus *quantitas*. Ergo idem per idem, obscurum per obscurum definitur hac ratione,

Digitized by Google

nec ulla nota characteriſtica quantitatis ſigillatim enumeratur. 2) Notas, per quas odorem roſae ab odore hyacinthi, dulcedinem ſacchari ab amaritudine abſinthii, ſonum citharae a ſono nolae, albedinem nivis a nigredine carbonis, dolorem alapae a dolore virgarum, recenſere nequeo, adeoque confuſam odoris, dulcedinis, amaritudinis, ſoni, albedinis, nigredinis et doloris habeo ideam: hinc caeco nato nullis verbis poſſum diſtincte explicare, quomodo color albus vel ruber a nigro dignoſci debeat, nec ſurdo nato differentiam inter ſonum nolae et citharae &c. Unde intelligitur, quod perceptiones ſenſuales *qua tales* definire nequeamus.

§. 52.

Notae et determinationes ſeu *characteres* ſunt duplicis generis: *aliae* ſunt ita comparatae, ut earum praeſentia ad conſtituendam aliquam rem ſit omnino neceſſaria, *aliae* autem non. *Notae*, quae conſtanter in re aliqua ſunt et eſſe debent, ut res id ſit, quod eſt, vocantur *internae* ſeu *eſſentiales, conſtantesque*: e. gr. *vis repraeſentativa in anima.* E contrario illae, quae non in re aliqua ſemper et ubique deprehenduntur, et ſine quibus res aliqua id eſſe poteſt, quod eſt, nominari

nari ſolent *externae* ſeu *accidentales*, et *relationes*, uti et *modi*, e. gr. *ſcientia in homine.*

Scholion.

Triangulum eſt ſpatium tribus lineis incluſum rectis, ſtiloque plumbeo circa horam ſextam tabulae albae inſcriptum. In hoc exemplo apparent variae notae, *ſpatium*, *tres lineae*, *incluſio*, *ſtilus plumbeus*, *hora ſexta*, *tabula alba*, *inſcriptio*, *lineae rectae*; quarum aliae ſunt *internae*, aliae *externae*. Triangulum praeciſe per hoc eſt triangulum, quod ſit *ſpatium tribus lineis incluſum*, et per has notas ſpatii, trium linearum, et incluſionis ſemper et ubique ab omnibus aliis figuris geometricis diſcernitur. Spatium ergo, tres lineae et incluſio earum ſunt *notae internae* ſeu *eſſentiales trianguli*. Econtra ſtilus plumbeus, hora ſexta, tabula alba, rectitudo linearum, et inſcriptio ſunt *notae externae ſeu accidentales* trianguli: potuiſſet enim triangulum eſſe incluſum tribus curvis, potuiſſet marmori incidi ſtilo ferreo, aut atramento nigro chartae inſcribi, et quidem alio quocunque tempore: conſequenter triangulum *in genere* acceptum, per notas accidentales non ſemper et ubique ab omnibus aliis rebus diſcernitur: triangulum individuale, ſeu in *individuo* acceptum non poteſt deſcribi, niſi per notas eſſentiales et accidentales ſimul ſumptas; aſt individua non definiuntur, ſed deſcribuntur.

§ 53.

Notae conſtantes *aliae* in aliis rationem ſufficientem habent, *aliae* primae ſunt, rationemque caeterarum in ſe continent. Illae dici ſolent *attributa*, hae *eſſentialia*. *Eſſentiales* notae omnes ſimul acceptae conſtituunt *eſſentiam rei*. a) *Attributa* vero dividi ſolent in *propria* et *communia*: *attributum proprium* huic rerum ſpeciei ſoli competit, utpote in eſſentia integra fundatum. b) *Attributum commune* pluribus ſpeciebus tribuitur, utpote quod in una vel in quibusdam eſſentialibus notis rationem habet. c) Cum inter ideae diſtinctae characteres, ſeu notas et affectiones ſemper quaedam deprehendantur, quae ſunt communes rei definitae cum aliis ſpeciebus, adeoque plurium ſpecierum exprimant ſimilitudinem, hinc quaedam attributa, in definitionibus recenſita exhibent *genus*. d) Cum autem inter notas et determinationes ideae diſtinctae etiam aliquae numerentur, quibus res definita ab omnibus aliis rebus communes notas habentibus, id eſt, ab omnibus aliis ſpeciebus diſcernatur, hinc ejusmodi

modi notae ſeu attributa exhibent *differentiam ſpecificam.*

Scholion.

a) Ita *animalitas* et *rationalitas* conſtituunt eſſentiam hominis; ita *ſpatium, tres lineae, earumque incluſio* conſtituunt eſſentiam trianguli: ita *animalitas* et *rugibilitas* conſtituunt eſſentiam leonis. b) ita riſibilitas, libertatis et eruditionis capacitas, item peccandi capacitas et errandi ſunt attributa propria hominis, ſequuntur enim ex integra eſſentia hominis. Hinc *tres anguli*, quos tres lineae clauſae formant, ſunt attributum proprium trianguli. c) *Stare erecto corpore, ambulare, implumem eſſe et bipedem* ſunt attributa communia hominis: competunt enim non ſolum hominibus, ſed eriam aliis animalibus. *Volare* eſt attibutum commune columbae; competit enim etiam alaudis, luſciniis &c. d) In idea *animalis*, quod genus eſt *hominis*, continetur principium *vivendi* et *ſentiendi*; *vita* itaque et *ſenſio* ſunt determinationes genericae hominis, perinde ac leonis, equi, canis &c. e) In idea rationalitatis, quae eſt differentia hominis, continetur principium ratiocinandi; *ratiocinalitas* ergo eſt determinatio ſpecifica hominis, quia per eam ſpecies humana differt ab omni alio animali: determinationes individuales e. gr. locus, tempus, ſtatura, aetas,

ſexus &c. nonniſi individuo propriae conſtituunt differentiam numericam.

§. 54.

Definitio, quae duabus conſtat notis, quarum una eſt *generica*, et altera *differentialis*, hodie vocatur *nominalis*.

Scholion.

Apud veteres nomine definitionis veniebat *Etymologia*, qua in termini definiendi originem indagatur: item *Synonymia*, qua alii termini ejusdem ſignificationis adduci ſolebant, aut *Homonymia*, per quam varius et multiplex termini ſignificatus fiſtitur. Aſt hae indagationes ad *grammaticam* rectius remittuntur.

§. 55.

In definitione nominali *genus* requiritur et *differentia ſpecifica*; illud, quia ea continet notas, pluribus ſpeciebus communes: 1.) Haec, quia continet notas, rei alicui proprias. 2.) Utrumque, minimum differentia ſpecifica, in definitione nominali ponatur neceſſe eſt.

Scho-

Digitized by Google

Scholion.

1) *Animal* convenit ſpeciei humanae, leoninae, equinae, caninae &c. *rationale* non alicui ſpeciei animalis convenit, niſi humanae: bona ergo eſt definitio: homo eſt *animal rationale.*

§. 56.

Definitio, quae ejusmodi ſiſtit notas, quae praeter rem definitam etiam aliis ſpeciebus convenit, eſt *juſto latior*, adeoque non eſſet idea diſtincta.

Scholion.

Stella eſt corpus, quod noctu lucet. Haec definitio eſt latior ſuo definito; quia etiam convenit lunae, quae tamen ſtella non eſt, ſed ſatelles.

§. 57.

Definitio, ſi ejusmodi notas continet, quae non omnibus ſub definito comprehenſis conveniunt, eſt *juſto anguſtior*, adeoque non eſt idea completa.

Scholion.

Triangulum eſt ſpatium tribus lineis rectis incluſum. Haec definitio eſt *juſto anguſtior:* quia

Digitized by Google

non modo triangulum rectum, sed etiam curvum datur, tres lineae rectae autem notam exhibent, quae triangulis curvilineis non convenit.

§. 58.

Definitio nominalis debet esse adaequata, id est, tam late patere quam ipsum definitum: cum enim omnes partes simul acceptae debeant esse toti aequales: alias enim totum sibi ipsi esset inaequale: omnes autem notae characteristicae simul sumtae sint partes, totum constituentes, sequitur luculenter, quod notae characteristicae, veluti partes objecti definiti, simul acceptae debeant esse aequales toti objecto definito, seu quod idem est, quod definitio bona debeat esse adaequata suo definito, adeoque neque latior, neque angustior suo definito.

Scholion.

Haec definitio: *Pietas est habitus ad divini nominis cultum actiones suas dirigendi*, est bona, quia neque est latior, neque angustior suo definito: hae enim notae sunt ejusmodi, ut soli pietati ac semper et ubique conveniant.

§. 59.

Digitized by Google

§. 59.

Cum *idea diſtincta completa* haberi queat, quin admixtam habeat ideam abundantem, conſequens eſt, ut definitio jam bona ſit, modo gaudeat differentia ſpecifica, ſeu idea, quae ad eſſentiam rei, a reliquis omnibus rebus diſtinguendam *primario* pertinet, utque adeo reliquis ideis ad eſſentiam rei *ſecundario* pertinentibus aeque carere queat et debeat ac quibusve aliis *ideis abundantibus*.

Scholion.

Si dico: *horologium* eſt machina ad horas vel ſono vel ſtilo indicandas comparata, tunc haec definitio horologii non eſt abundans, adeoque bona. Sin aſſero, *horologium eſſe machinam, ab artfice e metallo vel ligno confectam, quae rotatione indicis vel campanae pulſu horas indicat, ut tempus menſurare, et noſtra negotia ad illud recte inſtituere poſſimus*, tunc haec definitio horologii eſt plane abundans: habet enim cauſam efficientem, finalem, formalem et materialem, quarum nonnullis egregie potuiſſet carere.

§. 60.

Multo minus in definitione afferre oportet *notas accidentales*, cum illae non rei inſint con-

Digitized by Google

conſtanter, adeoque non ſemper et ubique rem quampiam ab omnibus aliis diſcernunt, aut circulum in definiendo committi, qui committitur, quoties terminos definitionem ingredientes per definitum explicamus, ſeu quoties definitum definitionem ingreditur. e. gr. *ſapientia eſt habitus ſapienter agendi*; debe-res enim dicere, quod ſit habitus eligendi optimum, id eſt finem et media breviſſima et tutiſſima ſeu efficacia ad illum obtinendum.

Scholion.

Horologium eſt machina argentea, quae jam ex catenula aurea in pariete muſei mei ſub ſpeculo pendet. Haec definito eſt mala, quod enim ex catenula aurea pendeat horologium in pariete muſei mei, id ei competit aliquando et non tamdiu, quamdiu manet horologium: *Fulgur eſt inflammatio partium ſulphurearum in nubibus.* Haec definitio eſt mala, quia partes ſulphureae non ſolum in nubibus, ſed etiam in terra inflammantur. Unde intelligitur, quod definitio cum definito debeat eſſe *reciproca* ſeu *reciprocari*, ita, ut notae characteriſticae poſſint in locum definiti ſubſtitui, et definitum pariter poni queat loco notarum characteriſticarum. *Do tibi bacum*, vel *do tibi decimam quintam partem floreni*, vel do tibi *ſummam quatuor crucigerorum bavaricorum:*

ſi

ſi dixeris ruſtico, tunc ille erit contentus, quia idem accipit. Sic pariter poſſes dicere; *omnis ſpiritus, eſt ſubſtantia intellectu et voluntate praedita*, et *omnis ſubſtantia, intellectu et voluntate praedita eſt ſpiritus*: aſt ſi dicis, quod *circulus ſit figura lineae curvae inclu[illegible]*. tunc reciprocando dicere non potes, figuram lineae curvae incluſam eſſe circulum, ſiquidem et ovalem figuram complectitur et lenticularem, aliasque. Ergo haec definitio non eſt bona.

§. 61.

Cum *definitio negativa* rem ab aliis rebus non diſtinguat per ideas, ad eſſentiam rei pertinentes, hinc non poteſt eſſe *negativa*, niſi in caſu, ubi verſamur in evolvendis notis characteriſticis idearum, contradictorie et immediate oppoſitarum; hoc enim in caſu, quando unum contradictorie oppoſitum explicavimus, tunc alteri tribuimus characteres contradictorie oppoſitos, quia ob intellectus noſtri imbecillitatem poſitiva rei contradictorie oppoſitae attributa perſpicere non poſſumus. Sic *ens compoſitum* eſt ejusmodi ens, quod conſtat partibus, a ſe invicem diſtinctis, ſed inter ſe connexis. Enti compoſito contradictorie opponitur *ens ſimplex*, cujus

cujus attributa positiva debilis ingenii nostri acies perspicere nequit: dico igitur, quod ens simplex sit ens, quod non constat partibus, a se invicem distinctis quidem, at inter se tamen connexis. Ast definitio, quae negationem infert, tolerari minime potest, quoties versamur in terminis, qui non sunt contradictorii, sed tantum contrarii vel aliter oppositi; hinc haec definitio, quod aqua calida sit, quae non est frigida, non potest tolerari; nam inter aquam frigidam et calidam datur tertia, scilicet *tepida*.

§. 62.

Definitio constat *genere* et *differentia*: quodsi differentiam illam specificam desumo a *nota aliqua*, qua rem mihi obviam ab aliis omnibus semper et ubique discernere valeo, tunc definitio dicitur *nominalis*: 1.)quodsi autem illam desumo a *modo*, quo illa res oriatur, vel possibilis fit, tunc dicitur *realis*. 2.) seu *generica*, quia rei definitae genesin seu modum, quo fieri vel formari potest, 3.) dein etiam materiam, ex qua oritur, seu principia generantia pro re nata exponit.

Scho-

Scholion.

1) *Circulus eſt figura, cujus peripheria a centro ubique aequaliter diſtat*, ſeu *cujus omnia puncta ab uno aliquo aequaliter diſtant.* Haec definitio eſt nominalis. 2) *Circulus eſt figura, quae radio circa punctum circumacto deſcribitur.* Haec definitio eſt realis. Inde patet ſimul, quod eadem definitio tam nominalis quam realis bona maneat, etſi diverſis quidem, at aequipollentibus terminis et vocibus tamen, exprimatur. 3) Si cui dico: *Pulvis pyrius* eſt pulvis, quo globus ex tormento bellico vel ſclopeto exploditur; tunc habeo definitionem nominalem pulveris pyrii, quia terminum ſeu nomen definio. Aſt ſi cui dico: pulvis pyrius paratur, quando ſex librae nitri bene ſoluti, una libra ſulphuris contriti, et una libra carbonum ſatis contritorum et commixtorum in unam maſſam coaleſcunt, quae dein pinſendo ſubtilis facta et cribrando circumagitata in forma granulorum e cribro effluit, tunc habeo definitionem realem pulveris pyrii, tormentis bellicis (quae **Carthaunen** vocant), deſtinati, ſeu pulveris pyrii groſſioris; nam ad pulverem pyrium minus groſſum parandum alia requiritur doſis ingredientium, adeoque alia emergit definitio genetica pulveris pyrii minus groſſi. Pariter eſt definitio circuli genetica, dum dico: circulus eſt figura, ubi linea recta altero extremo fixa manet, altero autem circumcirca movetur.

§. 63.

Digitized by Google

§. 63.

In formandis definitionibus nominalibus, cum unius ejusdemque rei plures dari poſſint notae, quarum quaelibet ſufficit ad rem ab omnibus aliis rebus diſtinguendam, pendet ab arbitrio noſtro, quasnam notas in formanda definitione prae aliis uſurpare velimus, ut adeo in hoc ſenſu definitiones nominales ſint *arbitrariae*. Unde plures *definitiones* nominales ejusdem rei dari poſſunt non verbis modo, ſed notis etiam differentes, quae tamen bonae ſunt.

Scholion.

Linea recta definitur ab *Euclide*, quod ſit via breviſſima a puncto ad punctum: a *Platone*, quod ſit illa, cujus extrema obumbrant omnia media: a *Leibnizio*, quod ſit illa, cujus pars toti ſimilis, *vel* cujus omnes partes verſus eandem tendunt plagam. Quaevis harum nominalium definitionum tales exhibent notas, quae ad lineam rectam ſufficiunt a curva diſcernendam: cum termino, *linea recta*, neque obviam quamlibet pro libitu in omnibus ideam conjunxere auctores praefati, ſed eam ſolummodo, quae ex uſu loquendi deſumpta eſt; non enim cum quo-

vis

vis termino quamvis connectere ideam licet. Sic etiam plures definitiones *substantiae et quantitatis &c.* numeramus, quae bonae sunt, etsi verbis, quin et notis interdum discrepant.

§. 64.

Ratio a posteriori, id est, per *experientias* formandi definitionem nominalem est sequens: si scire cupis definitionem *vituperii*, 1) ad casus quosdam individuos seu singulares, in quibus alter alterum vituperare dicitur, attendendum est: 2) Notae singulae successive indagandae sunt. 3) Accidentales ab essentialibus bene distinguendae, et in definitione omittendae sunt. 4) Ex notis, quae rei definiendae constanter insunt, scilicet essentialibus genus et differentiam specificam seligere oportet.

E. gr. 1. Magister Grammatices imputat Mevio suo discipulo.

2. Magister Grammatices imputat Mevio in attestatis suis scriptis.

3. Magister imputat Mevio, quod sit lascivus.

Digitized by Google

4. Magiſter imputat eidem, quod ſit negligens et piger.

5. Magiſter imputat, quod inobediens.

Jam ponamus alium caſum.

1. Magiſter Poeſeos imputat Sticho cognato ſuo.

2. Magiſter Poeſeos imputat Sticho oretenus in horto ſuo mane.

3. Magiſter Poeſeos imputat Sticho, quod ſit ſaepe temulentus.

4. Magiſter imputat Sticho, quod ſit quotidianus luſor et aleator.

5. Magiſter imputat Sticho, quod ſit immodeſtus et ſalax.

Confer jam hos duos caſus, et omitte notas peregrinas, particulares et non conſtantes: deinde laſciviam, pigritiam, negligentiam, inobedientiam; item temulentiam, ludendi libidinem, immodeſtiam et ſalacitatem voce, quae latius patet, id eſt, termino communi exprime: talis terminus communis eſt imperfectio, item defectus perfectionis. Rurſus animadverte, quod in utro-

utroque casu occurrat *imputatio*, et quod in utroque casu occurrant *imperfectiones morales*.

Distingue denique in his ea, quae sunt *essentialia*, ab *accidentalibus*: illa sunt, in quibus uterque casus similis est: haec vero sunt ea, in quibus uterque casus est dissimilis. *Imputatio* et *imperfectiones* seu *defectus perfectionis* sunt essentiales notae, quia in utroque casu adsunt. *Magister Grammatices*, *Magister Poeseos*: *Mevius*, *Stichus*, *discipulus*, *cognatus*, *scripta attestata*, *bretenus*, *hortus suus*, *mane*, *quotidianus* sunt notae seu determinationes accidentales, quia in uno tantum, et non in utroque casu occurrunt.

Quodsi itaque notas constantes sumo, generique differentiam adjungo, tunc emergit haec definitio: *Vituperium est imputatio imperfectionum moralium*, seu *morum improborum*. Si hanc definitionem examinare placeret ratione notarum, definiti et terminorum, tunc examen hocce vocaretur *analysis definitionis*, perinde ac supra allata confectio appellatur *synthesis definitionis*.

Sequitur aliud exemplum. Si de conficienda definitione nominali *vis attractivae* cogi-

tas, tunc duos pluresve casus singulares, e. gr. *magnetis* et *electri fricti*, in quibus definitum adhibetur, tibi proponas velim. Jam notas singulas in his casibus occurrentes, sive essentiales sive accidentales sint, diligenter observa, omissisque accidentalibus tot notas essentiales, id est, in utroque casu similes combina, quotquot ad genus et differentiam specificam vis attractivae sufficere videntur. In *primo casu* 1*ma Nota*: Suspende e filo acum ferream. 2*da*. Suspende vel pone magnetem cominus. 3*tia*. Ita tamen, ut magnes acum non tangat. 4*ta*. Observa, quomodo acus sese moveat versus magnetem. In *secundo casu* 1*ma Nota*: Tere electrum in panno aut linteo. 2*da*. Suspende vel pone frustula chartacea cominus. 3*tia*. Ita tamen, ut frustula chartae ab electro non tangantur. 4*ta*. Observa, quomodo frustula chartacea versus electrum in certa distantia sese moveant.

His praemissis, quodsi jam notas, in quibus uterque casus est similis, a notis, in quibus uterque casus est dissimilis, notas scilicet essentiales ab accidentalibus, distin-

guas

guas, et tot notas essentiales sumas, quot ad vim attractivam ab omni alia vi e. gr. *gravitatis*, distinguendam sufficiunt, tunc sequentem habes definitionem nominalem vis attractivae.

Vis attractiva corporis est continuus nisus (seu conatus ad motum) alia quaedam corpora in certa distantia determinandi, ut ea versus ipsum ante contactum se moveant. En definitionem, in qua vim mortuam in genere sumptam definivimus per nisum seu conatum. Cum autem ex eo, *quod non detur actio in distans*, Philosophi concludant, dari aliquod effluvium invisibile magnetis et electri fricti, quo alia corpora prope posita invisibiliter attinguntur, ideo definitio praefata ita perfici potest. *Vis attractiva corporis est continuus nisus alia quaedam corpora in tali distantia, in quali ab invisibili effluvio attingi possunt, determinandi, ut ea versus ipsum ante contactum visibilem sese moveant.* *Vis mortua* magnetis et electri fricti scilicet in quadam certa distantia redditur *viva*, id est, conjungitur cum motu locali, et ad motum localem porro producendum tendit. In hac definitione *vis attractivae* nonnisi essentiales

positae sunt determinationes: accidentia seu modi omittebantur. Hinc est definitio bona.

Scholion.

Attributis opponuntur *modi* sive *accidentia*: est autem modus seu accidens nihil aliud quam affectio, cujus ratio sufficiens extra essentiam in entibus aliis continetur. Sic *eruditio* est modus sive accidens hominis; eruditio enim quamvis sit in homine tanquam suo subjecto inhaesionis, tamen nec est *pars hominis*, nec ex *essentia hominis* fluit; alias non existere posset homo, quin esset eruditus: sed rationem sufficientem habet in *volitione hominis* seu *studio*. Unde satis intelligitur, modos a re, cujus sunt modi, separari posse. *Accidentia* autem sunt duplicis generis; alia sunt *praedicabilia*, seu apta, ut praedicentur de subjectis: haec accidentia possunt adesse et abesse sine interitu subjecti, et contradistinguuntur a proprio sive attributo, quod necessario et constanter rei inest. Accidentia *praedicamentalia* opponuntur substantiae, et sub accidenti praedicamentali continentur tum *propria*, tum accidentia *praedicabilia*, seu stricte sic dicta: dein accidentia praedicabilia a veteribus scholasticis dicebantur *modi*. Quamvis autem *modi* quoad actualitatem suam et existentiam non ex essentia rei fluunt, possibilitatis tamen modorum rationem sufficientem in essentia agnoscant ne-

neceſſe eſt. Sic eruditio, tanquam modus et accidens hominis non fluit quoad actualitatem ſuam ex eſſentia hominis, uti dictum eſt; quod autem homo poſſit eſſe eruditus, id dependet ab ipſius eſſentia. Sollicite proin actualitas et poſſibilitas modorum ſunt diſtinguendae. Homo eſt ens ad modos admittendos per eſſentiam aptum, id eſt, naturaliter diſpoſitum. Gaudet ergo aptitudine ſeu diſpoſitione naturali ad eruditionem recipiendam, quia eruditionem tanquam modum homo per eſſentiam recipere poteſt. Hinc non actualitates modorum, ſed poſſibilitates eorum pro attributis ſunt habendae. Poſſe calidum eſſe, eſt attributum lapidis, etſi calor actualis ſit inter modos lapidis referendus.

§. 65.

Ratio formandae definitionis realis ſeu geneticae eſt ſequens. 1) Indaga in elementa generantia. 2) Indaga in modum generationis, ut adeo eluceſcat, quid quodvis eorum ad geneſin ſeu originem rei contribuat.

Scholion.

In hac definitione reali: *Circulus eſt figura, quae radio circa punctum fixum circumacto deſcribitur;* radius et punctum fixum ſunt *elementa generantia;* motus lineae rectae ſeu radii circa

centrum eſt *modus generationis.* Definitio genetica *tempeſtationis aeſtivae calidioris* eſt haec: tempeſtas aeſtiva calidior eſt illa, *quae oritur, ſi ſol terram radiis perquam fervidis calefacit, oleoſasque et ſulphureas evaporationes aſcendentes, et ob gravitatem ſuam in inferiore regione aerea haerentes commiſcet, adauctoque calore accendit.* In hac definitione elementa generantia ſunt *particulae terreſtres, oleoſae* et *ſulphureae*; act *attractio*, *commixtio* et *accenſio* eorum ſunt modus quo generatur *brontia*. In Phyſica pluribus ex generatione lapidum oſtenditur, quod unico temporis momento brontia generari non poſſit. Unde intelligitur, quod definitionem realem formaturus aut examinaturus Phyſicae doctrina tinctus eſſe debeat, aeque ac mathematicis principiis inſtructus ſit oportet, qui hanc definitionem parabolae intelligere cupit: Parabola eſt linea curva, in qua quadratum ſemiordinato aequale eſt rectangulo ex abſciſſa in parametrum. Matheſeos ignaro fors dicere deberem: *Parabola eſt linea, quae ex interna parte coni abſciſſi repraeſentatur, quando pars aliqua coni, parallele cum latere coni, abſciſſa eſt.* Et fors multos eſt invenire, qui nec horum terminorum claram ideam habent.

§. 66.

Ens finitum eſt ens, in quo omnia ſimul ineſſe nequeunt, quae eidem actu ineſſe poſſunt.

ſunt. De omnibus igitur finitis definitio realis eſt poſſibilis, quia habent *geneſin*, quae indagari poteſt, ob imbecilitatem autem intellectus humani cum cauſas et ortum plurimarum rerum ignoremus, mirum non eſt, multarum rerum nullas dari a nobis poſſe definitiones reales: cumque *DEUS* nullam habeat generationem ſeu originem, de eo nominalem quidem habemus definitionem, non autem realem. Cum autem *exiſtentia DEI* jam in Theologia naturali a poſteriori ſatis ſuperque demonſtretur, definitione *DEI* reali facile carere poſſumus, et nominali eſſe contenti, etſi per hanc non demonſtretur, rem definitam actu exiſtere. Inſuper nulla ratio urget, omnes ut omnes res poſſint aut debeant definiri realiter, uti ſupra ſuo loco dictum eſt.

§. 67.

Quoties video, quod unus ab altero aliquid *emat*, toties deprehendo, 1) quod conſentiant et conveniant, 2) quod conſentiant in *rem*, *in commercio exiſtentem*, et pro *certo pretio* in pecunia numerata conſiſtente *transferendam*: *experiundo*

igitur didici, quod *emtio - venditio* ſit conſenſus utriusque in rem, in commercio exiſtentem, et pro certa pecuniae ſumma transferendam. Si *omitto* circumſtantiam *certae pecuniae*, tunc talis conventio eſt *conſenſus in rem, quae eſt in commercio, transferendam.* In priori caſu habeo definitionem *emtionis - venditionis:* in ſecundo autem definitionem *contractus in genere*, quam poſteriorem non *experiundo*, ſed *abſtrahendo* acquiſivi, cum de pecunia abſtraxerim: ſin fingo, contrahentes conſentire in rem *gratis* transferendam, tunc *mutando* circumſtantiam pecuniae acquiſivi definitionem *donationis.* Ubi demum circumſtantias aliquas *addo*, ſcilicet quod res talis transferatur *ea conditione, ut elapſo certo tempore, refuſoque pretio reſtituatur*, tunc acquiſivi ideam diſtinctam completam *retrovenditionis*, quae nihil aliud eſt quam conventio de re, quae eſt in commercio, pro pretio transferenda, ea conditione, ut elapſo certo temporis termino, refuſoque pretio venditori reddatur.

§. 68.

Quando definitio *experiundo* reperitur, vel a definitione per experientiam reperta *ab-*

Digitized by Google

ſtrahitur, tunc negare non poſſumus, quod res definita exiſtat, ut adeo ſecuri ſimus tam de *exiſtentia* quam *eſſentia* rei definitae: quando autem definitio per *mutationem* vel *additionem* unius pluriumve circumſtantiarum reperta eſt, tunc ſumus quidem ſecuri de poſſibilitate, id eſt, *de eſſentia rei*, ſed non *de exiſtentia rei definitae* actuali.

Scholion.

Haec definitio: *Mons eſt pars terrae exſtantior ex particulis heterogeneis regni vegetabilis et mineralis compoſita*, me certiſſimum reddit de montis exiſtentia aeque ac de ſua eſſentia, quia definitionem experiundo inveneram. Aſt ſi *mutando particulas heterogeneas in aureas* mihi repraeſento montem, et dico, montem eſſe partem terrae exſtantiorem ex meris particulis aureis compoſitam, tunc haec definitio montis mihi ſiſtit quidem eſſentiam montis aurei, aſt me ſecurum non reddit, quod mons aureus in rerum natura exiſtat, adeoque fundamentum demonſtrationis veritatisque reperiendae non praebet, niſi prius *definiti* exiſtentia aliunde probetur: haud abſimiliter idea *entis perfectiſſimi* quidem concipi poteſt, et doceri, quod ens perfectiſſimum ſit poſſibile; quod autem actu exiſtat, non doceri poteſt inde: aliunde ergo *exiſtentia* entis perfectiſſimi demonſtrari debet.

§. 62.

§. 69.

Cum omnis definitio fit *idea distincta completa*; ad ideam autem distinctam completam aliis communicandam requirantur *termini proprii* et *fixi*, quia alias ab aliis non intelligimur, consequens omnino est, ut termini *vagi*, *improprii* et *metaphorici* ex definitione *excludantur*, aut saltem *prius* rite *explicentur*, adeoque ut aliorum definitiones non memoriae tantum infigantur, (quod non est *sapere*) sed ut intelligantur.

Scholion.

In *Ciceronis* libro de *Senectute cap. XXI.* occurrunt haec verba: *Non me solum ratio ac disputatio impulit, ut ita crederem, sed nobilitas etiam summorum philosophorum et auctoritas.* Si vis, ut discipulus haec verba Ciceronis intelligat, non jube eum ea memoriter tantum edisscere, sed explica illi per bonas definitiones, quid sit *ratio*, quid *disputatio*, quid *credere*, quid *nobilitas*, quid *philosophus*, quid *auctoritas*. Illustra etiam horum verborum definitiones exemplis obviis, atque iterum iterumque, quae dixisti, inculca, dictaque examinando repete, si vis, ut discipuli sapiant. Si dico: *Dolor est solutio continui*, tunc prius explicari debet, quid sit *solutio*, quid *continuum*.

Agi-

Digitized by Google

Agitur hic de dolore corporis; aſt cum non omnis continui ſolutio ſit dolor, definitio doloris completa erit, ſi dico, quod *dolor* ſit ſenſatio ex ſolutione continui nervoſi in corpore noſtro orta. Eſt haec *definitio* doloris *genetica*. Si dico: *Anima noſtra eſt ſubſtantia, id eſt, ſubjectum perdurabile et modificabile*, tunc mihi incumbit explicare, animam noſtram eſſe eatenus *perdurabile quid*, quatenus easdem retinet facultates cognoſcendi et appetendi &c. et *modificabile quid*, quatenus nunc cogitat, nunc judicat, nunc ratiocinatur, nunc appetit, nunc averſatur &c. adeoque accidentia et modos ſuſtinet, e. gr. ſcientiam, agilitatem, pietatem &c.

§. 70.

Deſcriptio differt a definitione, quatenus illa eſt idea diſtincta incompleta alicujus rei, haec autem diſtincta completa. *Deſcriptio* eſt igitur recenſio notarum aliquot tam eſſentialium quam accidentalium individui alicujus: et conſequenter deſcriptio exhibet notas etiam externas, temporis, loci, magnitudinis, figurae, qualitatis, ſtaturae et quasdam alias, quas in individuis deprehendimus. Individua enim tantummodo ſunt objectum deſcriptionis.

§. 71.

Digitized by Google

§. 71.

In descriptione individuorum allegantur notae, quae rei descriptae non perpetuo et constanter, sed ad tempus competunt: *Individua* ergo sunt tantummodo objectum descriptionis: ea autem, quae definiuntur, abstracta sunt, et communiter in classe specierum constituuntur. Ex his patet, quomodo descriptiones confici, et examinari debeant.

Scholion.

Si dico: *Baro de Laudon fuit expugnator Albae graecae fortunatissimus*; id plane non sufficeret ad eum ab aliis Albae graecae expugnatoribus discernendum. Si sufficientem illius dare vellem descriptionem, requireretur, ut et de patria ipsius, familia, summa dignitate militari, tempore, quo vixit, item de ipsius actionibus et fatis, de sociis, caeterisque circumstantiis, praesertim de modo expugnandi claram mentionem facerem. Huc conducit illud hexametrum: *Quis, quid, ubi, qaibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Nam hoc versu venire possumus in cognitionem circumstantiarum, ne eas praetereamus. Huc faciunt etiam *praedicamenta*, quae scholastici cate-

categorias vocant, seu decem series summorum generum, seu terminorum magis et minus communium, in quibus sub uno genere summo multa genera inferiora, species et individua continentur: sunt autem haec, quae sequenti disticho comprehenduntur.

Arbor sex servos ardore refrigerat ustos;
Ruri cras stabo, sed tunicatus ero.

Arbor denotat *substantiam*, sex *quantitatem*, servos *relationem*, ardore *qualitatem*, refrigerat *actionem*, ustos *passionem*, ruri *ubi*, cras *quando*, stabo *situm*, tunicatus *habitum*.

§. 72.

Substantia est ens, quod ad sui naturalem existentiam non opus habet subiecto inhaesionis, cui scilicet inhaereat, uti *Homo*, *Petrus*, *Bucephalus*, *Cera*, *Accidens*, quod substantiae opponitur immediate, est ens, quod ad sui naturalem existentiam requirit subjectum inhaesionis, uti *mollities*, *durities*, quae inhaerent cerae. *Cera* enim, quatenus nunc fieri potest mollis aut dura, est subjectum modificabile. Accidens praedicamentale in *novem* praedicamenta dividitur, quorum tria sunt intrinseca, scilicet *quantitas*, *qualitas*, *situs*; tria extrinseca, scilicet, *ubi*, *quando*, *ha-*

habitus. Tria denique tum in - tum extrinſecâ, ſcilicet, *relatio*, *actio*, et *paſſio*. *Quantitas* eſt multitudo unitatum junctarum, quae rem conſtituunt: ut adeo, ubi determinata multitudo locum habet, ibi etiam quantitas locum habere recte dicatur. *Relatio* eſt id, quod rei abſolute non convenit, ſed tum demum intelligitur, quando ad alterum refertur. Mevius non intelligitur eſſe pater, niſi praeſupponatur, quod habeat filium: fundamentum hujus relationis eſt generatio, ita inter dominum et ſervum, magiſtrum et diſcipulum, regem et ſubditos, creatorem et creaturas datur relatio. *Qualitas* eſt determinatio rei interna, quae ſine alio aſſumto intelligi poteſt. Si dixeris, te veſci cibo dulci, quivis homo intelliget, qualis ille ſit, idque ſine alio cibo vel potu, ad quem cibus guſtatus referri debeat. *Dulcedo* igitur eſt qualitas. *Actio* eſt mutatio ſtatus, cujus ratio continetur in ſubjecto, quod eundem mutat. Status loquentis differt a ſtatu tacentis. Si ergo incipio loqui, muto ſtatum meum, et ratio hujus mutationis ſufficiens repe-

reperitur in me ipso, quia ego ipse me ad loquendum determino. Hinc dum loqui incipio, *agere* quid dicor. *Passio* est mutatio status, cujus ratio sufficiens extra subjectum, quod statum mutat, continetur. Si spongiam comprimis, tunc in spongia accidit mutatio; ratio autem sufficiens hujus mutationis non in spongia compressa, sed in manu tua, adeoque extra spongiam deprehenditur: atque sic spongia intelligitur aliquid *pati*. Nam status spongiae non compressae differt a statu spongiae compressae. Quando quis te virgis caedit, tunc status tuus mutatur in statum dolorosum: ratio hujus mutationis non est in te, sed in manu parentis tui, qui caedit. *Ubi* est praesentia rei in loco; *locus* autem est modus determinatus, quo tu simultaneis Petro, Paulo, et Jacobo &c. coexistis, e. gr. in agro, foro, museo. *Quando* est duratio rei ut connotans tempus. *Tempus* autem est ordo successivorum in serie continua. Entia, quorum alterum esse incipit, alterum autem esse desinit, dicuntur successiva; cum vero quodlibet horum sua

gaudeat duratione, hinc uniformitas harum durationum dicitur ordo ſucceſſivorum, adeoque tempus. Sic una hora, unus annus ſuccedit alteri. *Situs* eſt ordo ſimultaneorum non continuorum ſed interruptorum, quatenus coexiſtunt. Si ſunt plures homines in muſeo, et ſi accipimus unum eorum, tanquam primum, tribuimusque unicuique ſtationem reſpectu illius, quatenus eidem non eſt continuus, cum tali aut tali partium diſpoſitione, e. gr. ut caput ſit ſurſum, pedes autem deorſum e gr. ſtare, ſedere, cubare &c. *Habitus* eſt promtitudo agendi: *promtitudo* agendi autem eſt, qua quis actiones ſimplices, ad compoſitam requiſitas, cito, nec ullis inter eas interjectis morulis, producere poteſt. Ita loquitur *promte*, qui ſine mora non modo ſingulas ſyllabas et voces, ſed integram earum ſeriem et conſtructionem enuntiat. Habitui contradiſtinguitur *diſpoſitio*, quae eſt mera facultas agendi. Aſt ſi *habitus* ſumitur pro re externa corporis, tunc ſub eo intelliguntur *veſtitus* et *ornatus*, e. gr. *pallium*, *catena*, *tunica*, *pileus*, *toga*,

toga, *ocrea*, *annulus*, *gladius*, *corona*, *calceus*. Hinc homo dicitur *ornatus*, *veſtitus*, *coronatus*, *gladiatus*, *ocreatus*, *catenatus*, *annulatus*, *togatus*, *palliatus*, *calceatus*, quia ſunt corporis adjacentia.

Sectio VI.

De Diviſione.

§. 73.

Hactenus egimus de definitione tanquam idea diſtincta completa ſermone expreſſa. Jam transeamus ad ideam diſtinctam completam adaequatam, ſermone expreſſam, quam acquirere non poſſumus, niſi et notarum omnium, quae illam ingrediuntur, diſtinctas habeamus ideas. Cum ad eas nos nihil magis manuducat quam *diviſio totius in ſuas partes*: hinc jam de diviſione tractandum eſt in genere. Eſt autem *diviſio* nihil aliud, quam reſolutio totius in ſuas partes; et ſpeciatim *diviſio logica* eſt reſolutio ideae univerſalis in plures particulares, ſeu *generis in ſuas ſpecies* ſolutio.

Scholion.

Triangulum ſi volo dividere, tanquam genus in ſuas ſpecies, ante omnia mihi vigilandum eſt de bona definitione illius. Talis eſt ſequens; *Triangulum* eſt ſpatium tribus lineis incluſum. Jam circumſpiciendum mihi eſt, quotuplex ſit *linea*; ſcilicet *recta* vel *curva*. Jam dico: triangulum eſt ſpatium tribus lineis rectis incluſum. Item dico: triangulum eſt ſpatium tribus lineis curvis incluſum. Tandem divido triangulum tanquam genus in triangulum rectilineum, et curvilineum, tanquam in ſuas ſpecies. En *diviſionem* generis in ſuas ſpecies, adeoque *logicam* ſeu *mentalem*. Id, quod ita reſolvitur, vocatur *diviſum*; triangulum ergo eſt diviſum: partes autem, in quas reſolvitur diviſum, nuncupantur *membra dividentia*, qualia ſunt rectilineum et curvilineum.

§. 74.

Quando membrum aliquod dividens iterum ſolvitur in partes novas, tunc talis ſolutio dicitur *ſubdiviſio*. Quemadmodum bona definitio ſuis nititur regulis, ita etiam bona diviſio et ſubdiviſio. Cum *ſubdiviſio* ſit reſolutio cujusvis membri dividentis in novas partes, tam ex natura diviſionis, quam

quam ſubdiviſionis ſequitur, 1) ut membra diviſionis debeant exhaurire totum diviſum: omne enim totum, partibus ſuis ſimul ſumtis eſt aequale, et viciſſim: 2) ut membra eſſe oporteat disjuncta, nec unum in altero contineri: 3) ut in tot membra dividi debeat idea, quot natura diviſi ſuppeditat: 4) ut ante diviſionem idea dividenda ab omni ambiguitate liberari debeat: 5) ut reſolutio, quae non rem in ſuas partes dividit, ſed tantum vocabuli diverſas ſignificationes diſcernit, *diſtinctio*, non autem *diviſio* dici debeat. 6)

Scholion.

1) Apud Mathematicos latus illud, cui concipitur triangulum inſiſtere, vocatur *baſis*. Reliqua latera baſin complectentia vocantur *crura*, crurum autem ſupremus apex dicitur trianguli *vertex*. His praemiſſis obſervamus in triangulis, vel duo crura, vel tria crura eſſe aequalia. Hinc triangulum rectilineum *ſubdividitur* in *iſoſceles*, quod habet duo crura aequalia, ſeu duas lineas rectas aequales, et in *aequilaterum*, quod habet tria latera aequalia, ſeu tres lineas rectas aequales. 2) Hinc mala eſt diviſio, ſiquis omnes libros

divideret in hiſtoricos, poeticos et rhetoricos; nam idea univerſalis *liber* complectitur adhuc alia membra dividentia, nempe theologicos, juridicos, medicos, philoſophicos &c. 3) Si quis diceret, alius Chriſtianus eſt *pius*, alius *malus*, alius *hypocrita*, tunc mala eſſet haec diviſio, quia hypocrita jam continetur in malis. Vitioſa quoque eſt haec diviſio, animalium aliud eſt *homo*, aliud *rationale*; nam homo et rationale inter ſe non ſunt diſtincta membra dividentia. Bona econtra eſt haec diviſio: Terrae pars alia eſt *Europa*, alia *Aſia*, alia *Africa*, alia *America*, et, ſi cum modernis geographis loqueris, alia eſt *nova Hollandia*. 4) Si ſcilicet natura ſuppeditat duas, tres, quatuor, vel plures partes revera oppoſitas, tunc diviſio fieri debet in duo, tria, quatuor, plurave membra dividentia, perinde ac haereditas pro numero haeredum in duas, tres, quatuor, pluresve portiones haereditarias dividenda venit. Hinc bona eſt diviſio operationum intellectus in *ideas*, *judicia*, et *ratiocinia*. Bona etiam eſt diviſio corporis humani in *ſupremum*, *medium* et *infimum*. Pariter bona eſt diviſio *metaphyſicae* in doctrinam de DEO, mundo, anima, et rebus in genere ſpectatis. 5) Ad bonam diviſionem enim aeque requiruntur termini proprii et fixi: ſi igitur ſunt vagi, improprii, indeterminati et metaphorici, aut ambigui, tunc prius debent definiri

niri et rite determinari ac explicari, prouti id ipſum fieri oportet in omni bona definitione. 6) Hinc diviſio per terminos ſynonymos non eſt legitima, ſed vitioſa, e. gr. *finitum* dividitur in *ens*, in quo omnia ſimul ineſſe nequeunt, quae eidem actu ineſſe poſcunt, et in *ens*, quod habet fines, ſeu limites, nam *finitum eſſe*, *et habere fines* ſunt ſynonyma grammatica. Perinde ac *infinitum eſſe et nullos habere limites* ſunt termini ſynonymi. Ergo mala eſt definitio antedicta.

§ 75.

Quando totum dividitur in *partes*, tunc vel genus in *ſpecies*. 1) Vel ſubjectum in *ſua accidentia* ſeu *modos*. 2) Vel accidens in *ſua ſubjecta*, quibus inhaeret. 3) Vel effectus per *ſuas cauſas*. 4) Vel cauſa per *ſuos effectus*. 5) Vel qualitas per *ſua objecta*. 6) Vel totum integrale in *partes integrantes*. 7) *Tota* nimirum erga partes ſuas in multiplici deprehenduntur relatione: hinc multiplices etiam oriuntur diviſiones, ſcilicet metaphyſicae, logicae, phyſicae et integrales &c. unde etiam totum eſſentiale *in partes eſſentiales*; 8) et poteſtativum totum in *realitates* ſolvi ſolent. 9)

Scholion.

1) Sic animal dividitur in *hominem* et *brutum* veluti in ſpecies.

2) Homines vel ſunt *docti* vel *indocti*, pii aut impii; homo enim eſt *ſubjectum*, doctrina et pietas &c ſunt *modi* ſeu *accidentia*.

3) Albedo, alia eſt lactis, alia nivis &c. lac et nix ſunt *ſubjecta*, albedo autem eſt *accidens*.

4) Peccatum dividitur in peccatum *infirmitatis* et *voluntarium*: voluntas et infirmitas ſunt *cauſae*, peccatum autem eſt *effectus*, adeoque effectus eſt diviſus per cauſas.

5) Verbum DEI, aliud peccata arguit, ut *lex*, aliud peccatores erigit, ut *evangelium*. En diviſionem cauſae per ſuos effectus, *peccata arguere et peccatores erigere* ſunt effectus, *cauſa* eſt verbum DEI: ſeu *lex* et *evangelium* ſunt effectus.

6) Amor vel eſt DEI, vel ſui ipſius, vel proximi. Amor eſt *qualitas*, *DEUS*, *is ipſe* et *proximus* ſunt objecta, quo tendit amor.

7) Corpus humanum ſolvitur in caput, truncum, membra, pedes, manus. *Corpus humanum* eſt totum integrale: caput, truncus &c. ſunt membra. Templum hieroſolymitanum dividebatur in atrium, ſanctum, et ſanctum ſanctorum: *atrium*, *ſanctum*, et *ſanctum ſanctorum* ſunt membra integrantia, et *templum* eſt totum integrale.

8) Ho-

Digitized by Google

8) *Homo* dividitur in animam et corpus. Homo eſt *totum eſſentiale* ſeu tota *eſſentia:* anima et corpus ſunt *partes eſſentiales.*

9) *Vis* animae humanae dividitur in facultatem cognoſcendi et appetendi. Vis eſt *totum poteſtativum:* facultas cognoſcendi et facultas appetendi ſunt *realitates* ſeu *partes poteſtativae.*

§. 76.

Ratio faciendae diviſionis eſt ſequens. Cum diviſio ſecundum naturam diviſi fit inſtituenda, et natura rei cujusvis nobis per definitionem ejusdem innoteſcat, ante omnia indagandum eſt in definitionem. *Conſcientia* definitur eſſe judicium de actionibus noſtris, utrum bonae ſint vel malae. Haec definitio conſcientiae exhibet nobis *tres notas characteriſticas*, 1. judicium, 2. judicium de actionibus noſtris. 3. judicium de moralitate actionum noſtrarum. *Judicium* eſt genus; *moralitas*, id eſt, *bonitas* vel *malitia actionum noſtrarum* eſt differentia hujusce definitionis. Cum autem quodvis judicium vel veritati conſonum vel diſſonum ſit, adeoque vel verum vel falſum, hinc nova emergit conſci-

entiae divisio, scilicet judicium verum de moralitate actionum nostrarum dicitur *conscientia* recta: falsum autem conscientia erronea. Quoties *causam judicii* considero, scilicet rationem judicandi, tunc haec ratio vel est *evidens* et *convincens*, vel *probabilis* tantum vel adhuc *dubia*. Inde dividitur rursus *conscientia* in certam, probabilem et dubiam. Hactenus divisimus Judicium, qua *genericam allatae definitionis notam*. Jam ad *notas differentiales* definitionis. Judicium de actionibus nostris, quatenus malae sunt, est *conscientia mala*. Judicium de actionibus nostris qua bonis est *conscientia bona*. Judicium de actionibus nostris, quatenus bonae vel malae sunt, est *conscientia docens*: quatenus et utrum committendae sunt, vel omittendae, est *conscientia practica*. Dum actiones perpendo vel ut jam perpetratas, vel perpetrandas adhuc, tunc illud judicium est *conscientia consequens*, istud autem *conscientia antecedens*. En divisiones *conscientiae*, quae omnes regulis bonae divisionis et subdivisionis supra allatis omnino respondent: sunt igitur legitimae divi-

Digitized by Google

visiones, et norma, secundum quam aliae divisiones veniunt faciendae.

Exercitii causa juvat adducere divisiones et subdivisiones cujusvis praedicamenti seu categoriae, et primo quidem substantiae, quae in *materialem* seu extensam, et *immaterialem* seu intensam, haecque posterior in *spiritum* et *elementa simplicia* dividitur.

§. 77.

Substantia, prout opponitur accidenti, est ens per se subsistens completum, seu subjectum perdurabile et modificabile, quia sustinet accidentia et modos; dividiturque in *primam*, quorsum pertinent omnia individua, res ve singulares; et *secundam*, quo referuntur omnia genera et species seu substantiae universales; substantia prima subdividitur in *materialem* et *immaterialem*. Ad illam pertinet *omne corpus*, quod est ens ex materia, id est, partibus compositum; et vi motrici praeditum: ad hanc omne ens incompositum e. gr. *spiritus* et *ens simplex* quodcunque, uti elementa simplicia. Corpus rursus subdividitur in *vivens* et *non vivens*. De corpore *organico* seu *viventi* supra

in

in §o. de *Arbore porphyriana* dictum est. Corpus autem non vivens dividitur in *perfectum* et *imperfectum*: ad illud pertinent metalla, lapides, et horum medium e. gr. succinum; ad hoc referri oportet igneum, aqueum et aereum meteorum.

§. 78.

Inter *accidentia* primum sibi vindicat locum *quantitas*, quae nihil aliud est, quam multitudo unitatum junctarum, quae rem constituunt. Illa dividitur in *continuam* et discretam: ad illam referuntur quantitates *permanentes* et *successivae*; ad permanentem pertinent linea, superficies et corpus mathematicum, id est *extensum in longum, latum*, atque *profundum*. In matheſi tam lineam, quam superficiem et corpus ulterius dividi et subdividi, ex lectione librorum mathematicorum satis superque constat. Quantitas successiva dividitur in *tempus* et quidem vel *naturale* e. gr. *praeteritum, praesens, futurum*, vel *artificiale* e. gr. *dies, menſis, annus, luſtrum, indictio, seculum, aevum*. Quantitas discreta dividitur

in

in orationem et in *numerum parem* et *imparem*; hinc etiam *numerica* dicitur.

§. 79.

Quantitati succedit immediate *qualitas*, quia, quomodo a similibus aequalia differant, recte perspici nequit, nisi prius quid sit qualitas et quantitas et quotuplex, sit expositum. Quid sit qualitas, supra definivimus; ad *qualitates* referuntur *omnia attributa*, quae rei constanter insunt. Attributum enim est determinatio rei interna, quae efficit, ut res aliqua praecise haec res sit et non alia. Ad qualitates etiam pertinent *omnes modi* et *accidentia*, quae rei tantum ad tempus insunt. Qualitas dividitur in *physicam* et *moralem*, haec deprehenditur in *actionibus hominum liberis*, scilicet bonitas aut malitia actionum: illa in *aliis rebus naturalibus* consideratur, e. gr. forma, figura, potentia et impotentia, passio et patibilis qualitas, dispositio et habitus. *Dispositio* est aptitudo entis ad modos admittendos, quos per essentiam suam recipere, sed facile iterum amittere potest; uti ars inchoata cantandi, pingendi, sylle-

ſyllogizandi. *Habitus* eſt aptitudo entis ad modos, quos per eſſentiam ſuam recipere poteſt, ſed quae difficulter amitti poteſt e. gr. ars cantandi, numerandi, ſyllogizandi, actibus repetitis, frequentique exercitio acquiſita et ſtabilita. De diviſione habitus infra in praedicamento *habitus* plura dicemus. Qualitas dividitur proin in *qualitates animae* et *corporis*. Qualitas animae vel eſt ex parte *intellectus* vel *voluntatis*. Qualitates *intellectus* ſunt ſapientia, intelligentia, ſcientia, ars et prudentia, de quibus plura in Metaphyſica. Qualitates *voluntatis* ſunt virtus moralis, vitium, omnesque affectus boni vel mali. *Potentia* dividitur in *facultatem rerum animatarum* et *inanimatarum*. Rerum inanimatarum eſt calefaciendi vis activa in *vino*, refrigerandi in *zyto*, ſoporandi in *mandragora*, comprimendi ebrietatem in *amelito*, attrahendi ferrum in *magnete*, expellendi choleram in *rhabarbaro*, vis medicinalis in *lapillis pretioſis*, vis paſſiva, e. gr. ductilitas in *auro*, frangibilitas in *vitro*, fuſibilitas in *metallis* &c. Rerum animatarum facultates, ſcilicet in *plantis*

vis

vis calefactiva amaraci, refrigerativa cicorii, sanativa dictamni, in *belluis* vis rugiendi, latrandi, hinniendi &c. in *hominibus* vis ridendi, loquendi, admirandi, ratiocinandi &c. deinde qualitas *patibilis* seu *sensibilis* et *insensibilis* : *qualitatem sensibilem* habent omnes res visibiles, audibiles, olfactiles, gustabiles, et tactiles; *visibilis* est vel color vel lumen, *color* est purpureus, rubeus, viridis, flavus, caeruleus &c. *lumen* est proprium vel coelis et sideribus, vel igni, item crystallis et corporibus lucidis; *audibilis* est sonus articulatus, uti sermo, vel non articulatus, uti brutis proprius et musicalis tam multisonus quam unisonus; *olfactilis* est odor suavis et molestus; *gustabilis* est sapor tam gratus quam ingratus; *tactilis* qualitas dividitur in *primam* et *secundam*, ad illam pertinent calor, frigus, humiditas, siccitas, ad hanc leve, grave, molle, durum, aridum, lubricum, stipatum, subtile, spissum, asperum, rarum, densum. Hactenus diximus de qualitatibus intimis, jam pauca loquamur de extimis: qualitas extima vel est *mathematica*, vel *naturalis*; illa

dicitur

dicitur *figura*, haec *forma*: haec est determinationum essentialium congeries in rebus animatis aeque ac in inanimatis. Illa, scilicet *figura*, est limes extensi, et dividitur in *planam* et *solidam*; plana subdividitur in *unilinearem*, uti *orbis* seu *circulus*, et in *multilinearem*, uti in *triangulum*, *quadratum*, *rhombum*, *rhomboidem &c. solida* subdividitur in unius superficiei, uti *globus*, vel plurium superficierum, uti *pyramis*, *cubus*, *octohedra*.

§. 80.

Relatio dicitur id, quod rei absolute non convenit, sed tum demum intelligitur, quando ad alterum refertur. Sic *paternitas* absolute Mevio qua homini non convenit: convenire eidem autem intelligitur, quando Mevius refertur ad Sempronium non qua hominem, sed qua filium suum. Fundamentum, cur Mevius ad Sempronium et viciſſim referantur, est *generatio*. Relatio dividitur in *realem* et *rationis*; haec est *praedicati subjectum*, item huc pertinent *species intentionales*. Realis dividitur *ratione fundamenti proximi* et *remoti*: ratione fundamenti proximi

mi datur relatio *similitudinis* et *aequalitatis*: item *identitatis* et *proportionalitatis*. Pariter relatio *actionis et passionis*, item *causae efficientis*, *formalis*, et *materialis* ad effectum, item *causae instrumentalis* et motivae, pariter exemplaris ad imaginem. Jam transeamus ad praedicamentum actionis et passionis.

§. 81.

Actio quid sit, supra definivimus, pariter quid sit *passio*. *Potentia activa* seu *facultas* est possibilitas agendi. *Potentia passiva* vero est possibilitas patiendi. *Vis* est id, quod in se continet rationem sufficientem, cur potentia actu agat, seu est nisus et conatus continuus agendi. Ex vi scilicet, non ex mera facultate, constanter sequitur actio, nisi vi resistatur. *Impedimentum* igitur est id, quod vi versistit, adeoque rationem in se continet sufficientem, cur aliquid non existat, cujus existentiae ratio sufficiens ponebatur. Sic *ignavia* continet rationem, cur scientia logica in Mevio ad existentiam non pervenit: hinc ignavia est impedimentum scientiae logicae. Actio dividitur in *naturalem* et *artificialem*; haec est *pulsatio cytharae*: illa est vel *ani-*

Digitized by Google

mae vel *corporis*. Actio animae versatur vel circa *intellectum*, uti operationes intellectus; vel circa *voluntatem*, uti intentio et fruitio: item volitio consensus, electio et usus mediorum ad finem consequendum: vel circa *appetitum* in bonum vel malum, quorsum pertinent affectus, scilicet amor vel odium, desiderium vel fuga, spes vel desperatio, audacia vel timor, patientia vel ira, gaudium vel tristitia, commiseratio vel invidia. *Actio corporis* econtra vel est *spontanea* vel *necessaria*. Actiones corporis necessariae sunt *nutritio*, cui inserviunt alimenti attractio, retentio, concoctio, distributio, et excretio: item *augmentatio* et *generatio* et *corruptio*; rursus *accretio* et *decretio* secundum quantitatem, *alteratio* secundum qualitatem, et *ratio motus localis* orbicularis aut recta, sursum vel deorsum, uti motus elementorum. Insuper actio vel est *immanens*, uti intellectio, vel *transiens* uti calefactio: denique vel *instantanea*, uti generatio substantialis, vel successiva, ut conversio caelorum, et operationes rerum sublunarium. Postremo *actio in distans*, quae absque

ſine corporum contactu fieri ponitur. Talis olim dicebatur actio magnetis in ferrum, quia ferrum trahi a magnete ſine contactu corporum a veteribus putabatur. Cum cuivis actioni reſpondeat *ſua paſſio*, ideo haec eodem modo dividi poteſt, quo actio, ejusque intenſio et remiſſio ſeu gradus et modus.

§. 82.

Ubi ſeu *eſſe in loco* dividitur in *abſolutum* et *reſpectivum*: ad hoc pertinent ſupra, infra, ad dextram vel ſiniſtram, ante vel retro. Ad abſolutum refertur eſſe in aere, in aqua, terra vel igne, in vel ſub caelo empyreo; item eſſe extra vel intra urbem, in foro vel platea, vel ſub tecto publico aut privato, et quidem in propria vel aliena domo, item in loco profano e. gr. in curia vel ſchola, aut ſacro, in templo aut coemeterio.

§. 83.

Situs dividitur in *accidentalem* et *proprium*. Huc pertinent eſſe erecto capite, pronis brachiis in homine, eſſe prono corpore in beluis. Illuc refertur *motus ſpontaneus* in rebus animatis, et *artificioſus* in inanimatis. Huc referuntur domus bene ſita, arx male ſita &c.

Illuc ſtatio, ſeſſio, cubatio, inclinatio, et quidem iſta in anteriorem vel poſteriorem partem, vel in latera. *Cubatio* vel eſt *naturalis*, prona ſcilicet aut ſupina; vel *non naturalis*, ſi pedes altiores ſint capite, aut ſiquis, dum cubat, pedes verſus caelum erectos teneat.

§. 84.

Eſſe in tempore dividitur in *eſſe in tempore ſpeciali* e. gr. in ſeculo, anno, menſe, die, hora, vel in *ſpeciali* e. gr. in *praeſenti*, uti nunc, vel *futuro*, ut brevi, poſt menſem, aut poſt aliquot annos, vel *praeterito*, uti nuper, olim, a ſeculo, a luſtro.

§. 85.

Habitus dividitur in *habitum animae* ſcientificum, aut vitioſum, aut moralem, et in *habitum corporis*: habitus corporis in *ornatum* et *indumentum*. Illuc refertur eſſe coronatum, mitratum, annulatum, togatum, laureatum, teſſera equeſtris ordinis aut militaris, item Camerae regiae clavi ornatum, aut alias praemiatum: huc pertinet indumentum *militare* e. gr. armatum, galeatum; et *domeſticum* vel *ſecundum partem* e. gr. eſſe calceatum, pilea-

pileatum, vel *secundum totum* e. gr. esse tunicatum, palliatum. Absolvimus jam *artem bene cogitandi*, id est, materiam de ideis; jam transeamus ad *artem bene judicandi.*

Caput II.

Sectio I.

De *Judicio*, seu secunda mentis operatione, ejusque partibus; de *Judicio simplici* et *composito*, eoque vel *hypothetico*, vel *disjunctivo* vel *copulativo*; item de Judicio *modali* ac *exponibili*, tandem de *affirmativo* et *negativo*, *universali* et *particulari*, *theoretico* ac *practico.*

§. 86.

Egimus in praecedente capite de *Idea* seorsim considerata, adeoque etiam de *Idea distincta completa*, seu de *Definitione* ac *Divisione*

visione, sermone expressa. Jam ut naturalem sequamur ordinem, de *Judicio* nobis est discurrendum.

Est autem *Judicium* nihil aliud, quam combinatio aut separatio idearum. 1) Gaudet illud tribus partibus, sine quibus *notio* judicii concipi nequit: *Idea* scilicet, quae combinatur aut separatur, et vocatur *subjectum*: dein *idea*, quacum illa combinatur, seu a qua illa separatur, et appellatur *praedicatum*: tandem particula *est*, per quam binae ideae nectuntur, aut particulis *non est*, per quas eaedem separantur. 2)

Scholia.

1) *Judicare* in sensu logico dicimur, quando ideam e. gr. *Logicae* cum idea *artis artium* combinamus, ita, ut perspiciamus, *Logicam esse artem artium*. Pariter dicimur *judicare*, quoties binas ideas e. gr. *amoris* et *odii* separamus, dicendo, *amorem non esse odium*.

2) Judicium, quo fit combinatio idearum, dicitur *affirmativum*; *negativum* econtra, quo earundem fit separatio, uti videre est in exemplis mox allatis. Quando judico, Logicam esse artem artium, tunc *affirmo*, id

id eſt, intelligendum praebeo, quod in Logica *aliquid* deprehendatur, propter quod ei *ars artium* tribui queat, ſcilicet, quia *Logica in omni objecto operationes mentis ad rectitudinem dirigit:* quando judico, amorem non eſſe odium, tunc *nego*, id eſt, intelligendum praebeo, quod idea amoris *aliquid* in ſe contineat, propter quod ipſi *odium* non poſſit tribui, ſcilicet, *quia amor eſt gaudium ex alicujus rei felicitate ortum, et amans delectatur felicitate aliorum:* odium econtra eſt gaudium ob alicujus rei infelicitatem, et is, qui alterum odio habet, voluptatem percipit ex alterius infelicitate, ſeu quia ei placet alterius infelicitas aut imperfecto. Inde judicium dividitur in *affirmativum* et *negativum*.

§. 87.

Judicium aeque, ac definitio et idea, uti ſupra oſtenſum eſt, ſuis pollet divisionibus: ſolet autem *divisio Judicii* ex diverſis, quae circa illud oriuntur, quaeſtionibus deſumi; nam ſi quaeritur, *quodnam* ſit judicium, tunc reſpondetur, illud eſſe vel *ſimplex* vel *compoſitum*. Sin interrogatio fiat, *quale* ſit judicium, tunc reponi ſolet, illud eſſe vel *affirmativum* vel *negativum*: denique ad interrogationem

nem praeviam, *quantum* ſit judicium, reſpondetur, illud eſſe vel *univerſale* vel *particulare*, *indefinitum* vel *ſingulare*. 2)

Scholia.

1) Judicia monſtrant etiam *modum praedicationis*, an ſcilicet aliquod praedicamentum ponatur ex parte praedicati per modum *generis*, *ſpeciei*, *differentiae*, *proprii* aut *accidentis*. Ideo hic de *praedicabilibus* agi ſolet, veluti claſſibus vocabulorum res ſignificantium, quae de alio dicuntur et praedicantur: ſunt enim *praedicabilia* nihil aliud, quam claſſes, quibus vocabula, ſimplices rerum naturas ſignificantia, et in praedicamentis contenta, ex *modo praedicationis* diſtinguuntur.

2) Signa *univerſalitatis* ſunt voculae, *omnis*, *nullus*, *nemo*, *quicunque*, *quilibet*, *quisquis*, *ſemper*, *nihil &c.* *Particularitatis aliquis*, *quidam*, *pauci*, *plerique*, *multi*, *rari*, *ex parte*, *interdum*, *ſaepe*, *non omnes*, *non nulli*, *non ſemper &c.* e. gr. omnis homo eſt mendax, aliquis homo non eſt mendax. Multi ſunt vocati, ſed pauci electi. Nemo eſt exemtus a lege naturae. Judicium inſuper dividi ſolet in *intuitivum* et *diſcurſivum*: *illud* eſt, cujus praedicatum ſubjecto ineſſe per experientiam cognoſcitur: e. gr. *video*, *quoties aer ſub campana antliae pneumaticae in cylindrum*,

ab

ab aere vacuum intromittitur, quod toties discus et campana firmiter cohaereant: hoc est, cujus praedicatum cum subjecto per ratiocinium conjungitur, e. gr. si ex priori judicio concluderem: *aer externus campanam premit versus discum, ut ei arcte adhaereat*, tunc *haec conclusio* esset judicium discursivum, verum quidem, ast non per experientiam acquisitum, sed primum legitime demonstrandum.

§. 88.

Judicium *simplex*, quod alias etiam *categoricum*, uti et *absolutum* dicitur, est illud, quod unico gaudet subiecto et praedicato, seu intercedente unica copula. 1) *Compositum* est illud, quod plures continet, si non expresse, saltem implicite, copulas principales. 2) Et *hoc posterius* reperitur tripartitum, scilicet *disjunctivum* 3) *hypotheticum* 4) et *copulativum*. 5) In primo conjunguntur duo judicia simplicia per conjunctionis particulam *vel*, in secundo per particulam *si* vel *quando*, in tertio denique per particulam *et* vel aequivalentem.

Scholia.

1) Petrus est homo. Leo rugit. Sol lucet. 2) Dum sol currit, sol movetur: item ubi sol currit,

currit, ibi movetur. Dein quandocunque sol existit, sol lucet. 3) Vel Petrus currit, vel equitat. 4) Si Petrus currit, tunc non scribit. 5) Petrus et sperat, et confidit in Deo.

§. 89.

Judicium *disjunctivum* est, ubi ex pluribus praedicatis quidem unum subjecto tribuendum esse affirmatur, ast, quodnam eorum tribui debeat, non determinatur. 1) In judicio disjunctivo *omnia membra disjuncta* enumerari, atque ita composita esse debent, ut simul consistere non possint. 2) Hinc propositio disjunctiva vel est *completa*, vel *incompleta*: illa est, si omnia membra dividentia enumerentur; haec vero, quoties quaedam tantum recensentur. 3) *Hypotheticum*, quod alias etiam *conditionale* nuncupatur, est illud, in quo duo categorica combinantur per conjunctionem *si* aut *quia*. 4) Copulativum denique, in quo duo judicia simplicia per conjunctionem *Et* combinantur. 5)

Scho-

Scholia.

1) Aut anima eſt *ens ſimplex* aut *compoſitum. Petrus aut currit, aut dormit.* Alterutrum horum praedicatorum ibi animae, hic Petro tribuendum eſt; quodnam autem tribuendum ſit, non determinatur.

2) Unde falſa eſt propoſitio: *peccatum eſt ens creatum aut increatum.* Datur enim adhuc ens introductum. Pariter falſa eſt propoſitio ſequens; *Aqua vel eſt calida vel frigida:* poteſt enim eſſe tepida. *Petrus aut eſt pius aut doctus:* poteſt enim ſimul doctus et pius eſſe. *Vita ſtudioſi aut eſt pia aut decora:* poteſt enim eſſe pia et ſimul decora.

3) Sic haec propoſitio disjunctiva eſt *completa. Quod rei ineſt, illud eſt vel eſſentiale, vel attributum, vel modus, vel relatio:* econtra *incompleta* eſt ſequens: *quidquid eſt ex metallo confectum, eſt vel aureum, vel argenteum, vel ferreum:* poteſt enim eſſe *plumbeum* aut *ſtanneum &c.*

4) *Si aut quia luna currit, luna movetur:* item *ſi datur ens ſentiens et ratiocinans, tunc datur homo.*

5) *Urſula ludit organo et cantat. Studioſus ambulat et diſputat.* Jam ad *veritatem judicii disjunctivi* ſufficit, alterutram partem eſſe veram, ad *falſitatem ejus* vero requiritur, utramque eſſe falſam; atque hanc ob rationem valet conſequentia ab una ejus parte

parte ad totam disjunctivam, et non econtra. Unde sequitur bene: *Petrus cantat: igitur Petrus cantat, vel homo scribit.* Dein ad *Judicii hypothetici falsitatem* sufficit, quod antecedens possit esse verum, consequente existente falso: e. gr. *si animal est, homo est.* circa hoc judicium duo sunt notanda, nimirum quod conditio nihil ponat in esse, et dein quod conditio impossibilis habeat vim negandi: e. gr. *Si ego sum dives, tunc dabo tibi centum ducatos;* hic neque affirmo, me esse divitem, neque affirmo, me tibi dare centum ducatos. Item: si siccis pedibus per flumen transieris, tunc te in filium adoptabo; fieri enim nullo modo potest, ut siccis pedibus flumen quis trajiciat. Denique ad *veritatem copulativi Judicii* omnino requiritur, utramque partem esse veram, et ad *falsitatem ejus* sufficit. alteram esse falsam. Ob id valet consequentia a toto copulativo ad quamlibet ejus partem, et non e converso. *Ursula ludit organo, et cantat:* in hoc casu si Ursula tantum organo ludit, et non simul cantat, totum judicium copulativum est falsum. Idem dicendum est, *si Ursula cantat, et non simul organo ludit.*

§. 90.

Cum *modum* definimus, quo praedicatum cum subjecto conjungitur, tunc illud Judicium

cium a Philosophis vocatur *modale*. *Modi* autem sunt quatuor in Logica: *Possibiliter*, *impossibiliter*, *contingenter*, *necessario*. Subjectum et praedicatum judicii sunt *materia* ejus: respectus praedicati ad subjectum dicitur *forma* judicii. Materia autem vel est *necessaria*, hoc est, praedicatum est de essentia subjecti, vel proprium ejus: 1) vel *contingens*, id est, praedicatum potest adesse vel abesse praeter subjecti corruptionem: 2) vel est *possibilis* tantum: 3) vel denique *impossibilis*, quoties scilicet praedicatum conjungi cum subjecto non potest: 4) est igitur Judicium modale, cujus copula aliquem dictorum modorum affert. Caeterum ex his Judiciis illud, quod *necessarium* dicitur, est fundamentum *demonstrationis directae et firmissimae*: *impossibile* vero dat *demonstrationem indirectam*, quam et Mathematici aliquando non negligunt. *Contingens* denique et *possibile* raro aliam, quam *probabilem* suppeditat *veritatem*: non enim statim, quod contingit aut possibile est, etiam actu existit.

Scho-

Digitized by Google

Scholia.

1) *Neceſſe eſt, ut homo ſit animal. Homo eſt neceſſario rationalis. Homo non poteſt non eſſe viſibilis.* 2) *Contingit, ut qui eſt doctiſſimus, ſit tamen ſceleratiſſimus. Petrus contingenter ridet. Mundus contingenter exiſtit.* 3) *Fieri poteſt, ut pecunia ſit tibi noxia. Poſſibile eſt, ut mons aureus exiſtat.* 4) *Qui non ſtudet, eruditus ut evadat, fieri non poteſt. Circulus quadratus eſſe nequit. Circulus et triangulum neceſſario repugnant invicem.*

§. 91.

Fit nonnunquam, ut judicia obſcurum habeant ſenſum propter *aliquam particulam*, adeoque *expoſitione* indigeant et *declaratione* per duo aut tria judicia, ut verus appareat ſenſus, et utrum ſit affirmativum vel negativum; atque inde hujus generis judicia vocantur *exponibilia*. Eſt autem particula vel *excluſiva*, 1) vel *exceptiva*, 2) vel *reduplicativa*, ſeu *reſtrictiva*, 3) vel denique *comparativa*. 4)

Scholia.

1) Tales particulae ſunt *tantum, ſolum, duntaxat, unicum.* e. gr. *Solus Petrus eſt inſignis Logicus et ſimul inſignis Muſicus. Vera Religio duntaxat ducit ad ſalutem animae.* 2) Id genus particulae ſunt *praeter, niſi, praeterquam.* e. gr. *Nunquam Algebra et Matheſis Philoſopho, niſi*

niſi in hoc ſeculo, neceſſariae fuerunt: item *Matheſis tantum acuminis intellectui humano non affert, quantum de ea ſperari poteſt, niſi methodus mathematica in tradenda Matheſi obſervetur.* Kurſus: *caelum tegit omnia praeter ſeipſum.* 3) Hujusmodi particulae ſunt, *qua, quantum, ſecundum quid.* e. gr. *Logicus qua Logicus diſputat, Aethiops eſt albus ſecundum dentes.* 4) *Conſideratio mentis operationum eſt praeſtantior conſideratione corporis operationum.* Huc pertinent *omnes gradus comparativi.*

§. 92.

Judicium tandem dividitur in *Univerſale* et *particulare.* In illo praedicatum eſt *omni* aut *nulli ſubjecto*; 1) in hoc praedicatum *alicui tantum*, aut *alicui non*, aut *non omni* ineſt. 2) An univerſale aut particulare debeat eſſe judicium, facile intelligitur, ſi attendas, utrum cauſa, cur praedicatum ſubjecto tribuatur, in ſubjecti natura et indole reperiatur; quodſi in ea reperiatur, tunc judicium eſt omnino *univerſale:* ſin in ea non inveniatur, ſed in alia quadam re extra ſubjecti naturam, tunc judicium erit *particulare*, ſive praefigantur notae univerſalitatis et particularitatis, ſive non. Quodſi denique in judicio uni-

universali notae universalitatis non praefigantur, tunc illud vocatur *judicium indefinitum*. 3) judicium econtra, in quo subjectum est *idea individualis*, dicitur *singulare*. 4)

Scholia.

1) *Omnis oratio est elegans. Nullus versus caret pede.*

2) *Quaedam elegia constat centum distichis.*

3) Judicium *hypotheticum* quod attinet, illud transire solet in *absolutum*, id est, universaliter et generaliter efferri, si causa seu hypothesis sit valde rara: e. gr. *Nullus frater cum sorore ineat connubium.* Cum tamen illud admisit Deus in liberis Adami. Econtra non possum dicere: *omnis vel nullus aer est rarefactus*, quia hypothesis extra naturam aeris posita, sc. calor, non est rara.

4) *Tacitus multum adjumenti affert ad latinam linguam. Bucephalus erat equus Alexandri Magni.*

§. 93.

In quibusdam Judiciis aliquid, quod subjecto inest, aut adest, de eodem affirmatur, vel negatur: et talia judicia dicuntur *theoretica*. 1) In aliis aliquid fieri posse affirmamus, aut fieri debere volumus: et hujusmodi Judicia vocamus *practica*. 2)

Quodsi

Quodſi *Judicium theoreticum* ſit indemonſtrabile, tunc vocatur *axioma*: 3) Sin demonſtrabile, tunc audit *theorema*: 4) Pariter ſi judicium practicum ſit indemonſtrabile, tunc nuncupatur *Poſtulatum*: 5) Secus *Problema*. 6) *Corollaria* denique nominantur judicia, quae ex definitionibus, aliisve judiciis immediate ſeu levi brachio eruuntur, ſeu ſine longa ratiociniorum ambage inferuntur. 7) *Scholia* econtra ſunt ea, quibus explicamus, quae adhuc obſcura videri poterant, aut uſum indicamus judiciorum. 8) *Lemmata* autem ſunt illa, quae ex alienis diſciplinis deſumta et in ſubſidium adducta ſerviunt ad demonſtrationem alicujus judicii in diſciplina, quam tractamus, obvii abſolvendum. 9)

Scholia.

1) *Omnis creatura eſt limitata: nullum ens ſimplex gaudet figura: omne ens compoſitum habet figuram, ſeu limitem extenſionis.* 2) *Emendatio morum eſt inchoanda a converſione intellectus. Serva mandata DEi. DEus eſt colendus.* 3) *Nihil eſt ſine ſufficienti ratione. Idem non poteſt ſimul eſſe, et non eſſe.* 4) *Anima eſt immaterialis, eſt immortalis. Ens*

ſimplex nec poteſt generari, nec corrumpi. DEus eligit optimum. Theoremati adjici debet propoſitio, qua veritas theorematis ante oculos ponitur, nexusque veritatum oſtenditur: atque talis propoſitio ſpeciali nomine nuncupatur *Demonſtratio.* 5) Fac, quod te, tuumque ſtatum vel internum vel externum reddit perfectiorem, et omitte, quod te, ſtatumque tuum internum vel externum reddit imperfectiorem. 6) *Dividere numerum A, quando diviſor B conſtat unica tantum nota.* Judicium, per quod ſolvitur Problema, ſpeciali nomine dicitur *ſolutio. Aream cujusvis trianguli A B C invenire. Polygonum regulare metiri. Ut affectus dirigere valeamus, imaginationi imperandum eſt.* 7) Sic ex hoc judicio, *ſol eſt contingens*, deducere potes ſequens conſectarium ſeu corollarium: *ergo alii ſoles praeter hunc ſunt poſſibiles*, ſeu *ergo plures ſoles dari poſſunt.* 8) Uti ſi ex hiſtoria exemplum aliquod, aliudve quid commemoratu dignum ſubjungis cuicunque ſupradictorum Judiciorum. 9) Uti ſi ex theologia naturali ſumas hoc judicium, *exiſtit DEus*, et inde in Ethica demonſtres neceſſitatem cultus divini dicendo: " exiſtit DEus, infinite perfectus, benefi-„ cus, omniſcius, omnipraeſens &c. er-„ go obligamur eum colere, cum cultu „ ſupremo ſolus ſit digniſſimus. „ Caeterum tam theoretica quam practica judicia cum ſint vel *clara* vel *obſcura*, cavendum

Digitized by Google

dum est, ne obscurae perceptarum idearum combinationi acquiescamus, quasi esset clara. Propositio obscura proin prius satis expendenda venit, quam ei assensum praebeamus aut denegemus. Malae interea educationi aut neglectae institutioni est adscribendum, quod a juventute soleamus, quin et cogamur propositionibus obscuris aut antehac non satis expensis, praesertim in historia, fidem praestare indubiam.

§. 94.

Judicia tam *theoretica* quam *practica* fluunt ex aliis judiciis. Ipsae definitiones *nominales* aeque ac *reales* sunt fontes, unde supradicta judicia *mediate* vel *immediate* deducuntur. Si ex definitione aliquod judicium vel per *oppositionem* vel per *conversionem*, aut *aequipollentiam* fluit, tunc judicium dicitur *fluere immediate*, et vocatur *axioma*, si nempe sit theoreticum: 1) Sin practicum, tunc denominatur *Postulatum*. 2) Hinc si ratio concludendi aeque bona est ac definitio, tunc axioma et postulatum ulteriori non indigent probatione: dicuntur enim *indemonstrabilia judicia*, quia *unica* nituntur definitione: demonstratio autem *plures* exigit definitiones pro formando ratiocinio.

Digitized by Google

Scholia.

1) Sic ex hac definitione: " Eloquentia eſt facultas pulchre loquendi: „ ſequentia dedu-"ces axiomata: Qui eloquentia gaudet, etiam gaudet facultate pulchre loquendi. Sine facultate pulchre loquendi nulla intelligitur eloquentia: quo quis pulchrius loquitur, eo eloquentior judicandus eſt. „ 2) Pariter ex ſupra allata definitione ſequentia fluunt poſtulata: " Qui vult eloquentiam conſequi, debet facultatem pulchre loquendi ſibi comparare. Qui vult pulchrius loqui, debet majorem adhibere eloquentiam. Siquis alteri viam ad eloquentiam monſtrare cupit, nae is alterum rationem pulchre loquendi docere debet. Mevius pulchre loquendi facultate gaudet, ergo eloquens eſt. „

§. 95.

Quoties econtra judicia fluunt ex *pluribus definitionibus*, inter ſe collatis, tunc illa, ſi ſint theoretica, *theoremata*: ſin practica, *problemata* nuncupari conſueverunt. 1.) Tam theoremata, quam problemata, ſi ratio concludendi non luculenter in oculos cadit, debent demonſtrari, partim ut appareat, genuina principia ibidem adhiberi, partim ut con-

conſtet ignaris, unde ipſorum certitudo haurienda ſit. 2)

Scholia.

1) Sic ex definitione *orationis ornatae et orationis copioſae*; item ex definitionibus *eloquentiae et cognitionis rerum diſtinctae* ſequentia fluunt theoremata: "Oratio ornata eſt etiam „ copioſa. Eloquentia nititur clara et di„ ſtincta rerum enuntiandarum cognitio„ ne. „ Problemata ſunt, *qua ratione oratio panegyrica ſit conficienda*: item, quo ordine analyſis alicujus orationis ſit inſtituenda.

2. Duo autem ſunt, quae in omni theoremate ſunt notanda, *Propoſitio* ſcilicet atque *demonſtratio*. Iſta quidem enuntiat, quid rei cuidam ſub certis conditionibus convenire poſſit, quid non: in hac autem rationes exponuntur, ob quas intellectus concipere valet, illud ipſi convenire. Circa problemata econtra attendendum eſt, quod illa aliquid faciendum proponant, et tribus conſtent partibus: *Propoſitione* ſcilicet, *Reſolutione* et *Demonſtratione*. Propoſitio indicat, quid fieri aut omitti debeat. In *Reſolutione* ſinguli actus ordine decenti recenſentur, quibus efficitur, quod erat faciendum aut omittendum. In *Demonſtratione* demum evincitur, factis iis, quae reſolutio fieri praecipit, effectum intentum

Digitized by Google

obtineri. *Generalis* enim omnium problematum demonstrandorum tenor hic est: " Factis iis, quae resolutio praecipit, illud „ quoque efficitur, quod erat faciendum. „

§. 96.

Diximus supra § 94, axiomata et postulata elici ex *unica definitione* per *omissionem generis aut differentiae*, item per *conversionem* et *aequipollentiam*: et § 95. theoremata et problemata *ex pluribus definitionibus* per viam syllogisticam. Jam restat dicendum, quod ex axiomate, postulato, theoremate aut problemate immediate etiam adhuc alia fluant judicia, quae *corollaria* sive *consectaria* vocantur, et tantum per *oppositionem* aut *consequentias immediatas alias* eliciuntur, ita ut demonstratione non amplius egeant. 1) Singulis his judiciis praecedentibus quoties adjungitur aliud judicium, per quod *origo* alicujus vocis, vel ejusdem *Vis* lectoribus explicatur, tunc illud *Scholion* vocari § 93. diximus: eodem loco annotavimus, quidnam nomine *Lemmatis* intelligatur. 2) Superest igitur, ut haec nomina etiam in germanicam vertantur linguam

guam. Scias proin, quod apud Germanos axioma ſignificet einen Grundſatz, poſtulatum einen Heiſchſatz, theorema einen Lehrſatz, problema eine Aufgabe, corollarium einen Folgerungsſatz, ſcholion eine Anmerkung, lemma einen Lehrſatz. His omnibus accedit adhuc *obſervatio*. Eſt autem obſervatio nihil aliud, quam perceptio alicujus eventus, in natura obvii, et noſtra opera, ſub diverſis circumſtantiis antecedentibus, concomitantibus, ſubſequentibusque contingentis. 3) *Ars obſervandi*, qua veritates ex obſervationibus eruuntur, non modo adjuvat facultatem ratiocinandi, ſed etiam ad experimentandum nos invitat. Id quod veritatis indagatori maximo eſt adjumento. Nam *ars experimentandi*, cum ſit via ex experimentis veritates eruendi, nobis ſuppeditat *artificia Heuriſtica*, id eſt, regulas, quibus mens apta efficitur, per principia, ipſi perſpecta, veritatem incognitam eruendi, quam, ſolo ratiocinandi habitu adjuta, per ea eruere non poteſt. An non ab eo tempore melioratio phyſices et Pſychologiae rationalis e.. repetenda, quo

physica experimentalis, et *Psychologia empirica* magis, magisque coli ac perfici coepit?

Scholion.

1) Quale corollarium est hoc, quod *a genere procedit ad Speciem.* In hoc theoremate: " Vera Eloquentia omnibus animi commotionibus ciendis, sedandisque sit accommodata. " Sequitur corollarium: " ergo etiam amori, odio, irae, spei, metuique vel reprimendis vel concitandis apta sit necesse est. " Corollarium, borisma et confectarium hoc loco sunt synonyma. 2) e. gr. si in *arte oratoria* hoc effatum demonstrare velles: *ornatus orationis debet cedere ejusdem perspicuitati.* Ad hoc autem demonstrandum in subsidium vocares judicium illud ex *Metaphysica* desumtum: *Non nunquam est exceptio faciendi a regula perfectionis.* Hanc propositionem: *Juvenis voluptuosus semetipsum reddit infelicem*, demonstraturus ex Psychologia mutuo sequentem propositionem, quae proin *lemma* dicitur: " Affectus inordinatus est impedimentum, quo minus homines legibus rationis actiones suas conformare queant. " 3) *Clar. Hagen* in libro *de methodo mathematica* hoc affert observationis exemplum. *Ita* (*inquit ille pag.* 114.) *sine mea etiam actione fit, ut hyeme non nunquam tonitru oriatur:* observatio autem ejusdem consistit in *enarratione* antecedentis tempestatis, solito calidioris, annotatione temporis,

poris, quo contigit, v. gr. *vespertini* post solis occasum, *descriptione* loci, plagae nimirum occidentalis, *determinatione* durationis, concomitantium et subsequentium circumstantiarum.

Sectio II.

De Iudiciis, quae ex aliis *immediate* fluunt, seu de affectionibus judiciorum, de *oppositione*, *conversione* et *aequipollentia*.

§. 97.

Experientia nos docet, quod, quandocunque subjectum transfertur in locum praedicati, et hoc in locum subjecti, novum emergat judicium. 1) Idem contingit, quando conferuntur duo judicia universaliter affirmantia et particulariter negantia, id est, quando illa quoad affirmationem et negationem, universalitatem et particularitatem sibi opponuntur. 2) Pariter quando bina judicia, quae verbis discrepant, eodem pollent sensu. 3) Vel denique quoties intellectus duas ideas cum tertia confert, expenditque, an

Digitized by Google

illae duae cum tertia componi poſſint nec ne. 4) Idem obvenit propter additam vel ſubtractam particulam *non*: tunc enim judicium univerſale mutatur in particulare, et negativum in affirmativum juxta illud proverbium: *Duplex negatio eſt affirmatio.* 5) Ex his, quae diximus, patet, duo judicia interdum *aequipollere*, interdum autem ſibi invicem *opponi*. Eſt autem *oppoſitio* nihil aliud, quam pugna duarum enuntiationum, quae ex affirmatione et negatione, univerſalitate et particularitate ejusdem praedicati de eodem ſubjecto oriri ſolet, quatenus utrumque eodem modo et eodem ſenſu intelligitur. 6)

Scholia.

1) Homo eſt animal rationale: animal rationale eſt homo. 2) Omnis homo eſt animal rationale; aliquis homo non eſt animal rationale. 3) Cicero eſt Princeps eloquentiae Romanae. Cicero inter oratores principatum tenet. Cicero eſt Princeps oratorum. 4) Omnis homo gaudet intellectu et voluntate: nullus lapis gaudet intellectu et voluntate: ergo nullus lapis eſt homo. 5) Omnis homo eſt rationalis: non omnis homo eſt rationalis. Homo non latrat:

Digitized by Google

latrat: homo latrat. 6) Qui matheſeos expers eſt, non intret ſcholam Philoſophiae: qui matheſeos expers eſt, intret ſcholam Philoſophiae.

98.

Judicia quaedam tam in ſubjecto quam praedicato participant, hoc eſt, quaedam judicia habent idem praedicatum et idem ſubjectum 1.) Quaedam in altero tantum, 2.) Quaedam in nullo 3.) Denique judiciorum aliqua, in ſubjecto et pradicato participantium, participant ordine converſo, 4) alia ordine eodem. 5) Ex his, ultimo ordine enumeratis, accidit *oppoſitio*, *partita quadrifarie*. Hinc quaedam judicia oppoſita dicuntur *contraria*, quaedam *contradictoria*, nonnulla vocantur *ſubcontraria*, alia denique *ſubalterna*. Jam ad ſingula deſcendamus. *Contraria* ſunt illa, quorum unum eſt univerſale affirmativum, et alterum univerſale negativum ejusdem ſubjecti et praedicati. 6.) *Subcontraria* ſunt illa, quorum unum eſt particulare affirmativum, et alterum particulare negativum. 7) *Contradictoria* ſunt illa, quorum unum eſt univerſale ne-

Digitized by Google

negativum, et alterum particulare affirmativum, aut unum universale affirmativum et alterum particulare negativum ejusdem subjecti et praedicati. 8) *Subalterna* demum sunt, quorum unum est universale affirmativum, et alterum particulare affirmativum ejusdem subjecti et praedicati, aut quorum unum est universale negativum, et alterum particulare negativum. 9) Interea oportet judiciorum oppositorum subjecta et praedicata *eodem in sensu et iisdem in circumstantiis* accipi: nec silentio praetereundum est, judicia opposita certis constringi legibus, secundum quas veritas et falsitas eorundem simul esse potest, et non esse, quasque facile non perspicimus, nisi et materiam judicii intelligamus. 10)

Scholia.

1) *Cicero* est eloquentissimus orator: Cicero non est eloquentissimus orator. 2) *Cornelius Nepos* plurimum adjumenti adfert ad puritatem sermonis latini. *Livius* plurimum adjumenti adfert ad puritatem sermonis latini. 3) *Aristoteles* est ampliator Philosophiae; *Parmenides* est auctor et inventor Logices. 4) *Wolfius* est restaurator

Ma-

Digitized by Google

Matheſeos in Germania: reſtaurator Matheſeos in Germania eſt Wolfius. 5) *Homo* eſt ſubſtantia cogitans: omnis homo eſt ſubſtantia cogitans. 6) Omnes ſpecies Matheſeos ſunt neceſſariae ad philoſophiam: nullae ſpecies Matheſeos ſunt neceſſariae ad philoſophiam. 7) Aliquae ſpecies Matheſeos ſunt neceſſariae ad philoſophiam; aliquae ſpecies matheſeos non ſunt neceſſariae ad philoſophiam. 8) Nullus modernus Philoſophus melius ſentit de anima hominis quam Plato: aliquis Philoſophus modernus melius ſentit de anima hominis quam Plato. Omnis Mathematicus eſt diſpoſitus ad philoſophiam facilius percipiendam: aliquis Mathematicus non eſt diſpoſitus ad philoſophiam facilius percipiendam. 9) Omnis geometra accuratius penetrat logicam: aliquis geometra accuratius penetrat logicam. Nullus ruſticus intelligit principia Euclidis: aliquis ruſticus non intelligit principia Euclidis. Eſt autem *ſubalternatio* nihil aliud, quam illa judicorum affectio, qua judicium latius ſive majoris extenſionis includit judicium anguſtius, ſeu minoris extenſionis; univerſale enim judicium continet in ſe particulare. 10) Sicut de iisdem ſeu ſimilibus dicitur, quod *eorundem ſeu ſimilium eadem ſit ratio*, ita de oppoſitis ſeu diſſimilibus habetur regula, quod *diſſimilium diver-*

diverſa ſit ratio, ſeu *quod oppoſitorum oppoſita ſit ratio*; nam oppoſitorum oppoſita eſt conſequentia: e. gr. *homo eſt diſciplinae capax*; ergo, *qui non eſt homo, non eſt diſciplinae capax.* Item *gravitas eſt qualitas, ſecundum quam materia deorſum ad centrum terrae fertur*: ergo *levitas eſt qualitas, ſecundum quam materia non deorſum ad centrum, ſed potius ſurſum tendit.* Diximus de ſimilibus et paribus ſequentem haberi regulam: ſimilium ſeu parium eadem eſt ratio: e. gr. *homo poteſt ſentire: ergo etiam beſtia poteſt ſentire*; quia homo et beſtia quoad animalitatem ſeu quoad principium ſentiendi ſimiles ſunt ſeu pares, et *ſenſatio* eſt animalitatis effectus. Animal enim eſt *genus*; quod utrique perinde convenit, ac aliud proprium commune, e. gr. *creſcere.* Non enim uni eorum privative *proprium* eſt creſcere. Unde ſicut non poteſt dici, ſimilium oppoſitam eſſe rationem ſeu convenientiam, ita nec licet dicere, *diſſimilium* ſeu *oppoſitorum eandem eſſe rationem et convenientiam.* Ex his regulis ſequeretur, dices, amicos, parentes, et fratres eſſe amandos, inimicos autem odio habendos; quia oppoſitorum oppoſita eſt conſequentia, et diſſimilium oppoſita eſt ratio. Sed contra reſpondetur, quod ratio, cur debeamus invicem amare, non ſit *unice* et praeciſe *amicitia aut conſanguinitas*, quamvis amicitia et conſanguinitas ſint cauſae,

cur

Digitized by Google

cur *magis amemus*: sed ratio invicem amandi est natura humana, quae in inimicis aeque, ac in amicis reperitur: cum inimici sint aeque homines ac amici, et jure naturae teneamur quemvis hominem amare et diligere, hocque dilectionis officium erga inimicos non desinat deberi, quoties ipsi desunt huic dilectionis officio erga nos; obligatio enim naturalis est immutabilis, sicut ipsa natura humana mutari nequit; consequens est, ut eadem ratio amandi in inimicis aeque ac amicis reperiatur. Amici enim et inimici in hoc semper conveniunt, quod sint homines; et obligatio quosvis homines amandi aeque non tollitur, ac ipsa natura humana, ex qua praefata obligatio oritur. Hinc manet regula: *similium eadem est ratio*, etiam inconcussa, quando sermo fit de inimicis, et altera regula, *oppositorum opposita est ratio*, in dato casu non habet locum; cum natura humana inimici non sit nostrae naturae humanae opposita. Interea ad inimicos *magis* amandos, quam quosvis alios homines, nulla eruitur obligatio ex natura humana.

§. 99.

Lex contrariorum est: *contraria nunquam possunt simul esse vera aut falsa de materia impossibili*; de materia contingenti autem possunt simul

esse

esse falsa. 1) *Lex subcontrariorum* est: *si unum est falsum, reliquum erit verum*, non tamen e converso: possunt etiam ambo esse vera in materia contingenti. 2) *Lex subalternorum* est: *si universale est verum, particulare quoque est verum*, non tamen e converso. 3) Lex contradictoriorum est: *si unum est verum, reliquum erit falsum*, et e converso, de quacunque materia. 4)

Scholia.

1) *Omnis homo est doctus: nullus homo est doctus. Omnis homo est substantia cogitans: nullus homo est substantia cogitans. Omnis homo plerumque non ex ratione, sed ex analogo rationis agit: nullus homo plerumque non ex ratione, sed ex analogo rationis agit.*

2) *Quidam homo est Rex Galliae: quidam homo non est Rex Galliae.*

3) Verum est, *quemdam hominem esse amatorem methodi mathematicae*: non autem ideo verum est, omnem hominem esse amatorem methodi mathematicae. Sic etiam quia falsum est, *omnem Logicum esse cultorem Algebrae*, non sequitur, falsum esse, *quemdam Logicum esse cultorem Algebrae.* Bona econtra est argumentatio sequens: *nulla scientia nocet; quaedam scientia non nocet. Omnis confusio est periculosa: quaedam confusio est periculosa.* In hoc et simili casu Judicium u-

tini-

niverſale vocatur *ſubalternans*; et particulare dicitur *ſubalternatum*, quia hoc poſterius eſt anguſtioris extenſionis, quam illud prius, uti ſupra dictum eſt. Particulare enim continetur ſub univerſali.

4) Quaevis propoſitio plures poteſt habere contradictorias. *l'art. de penſer chapit. 9. p. 206. Ce n'eſt pas des richeſſes, mais de la ſcience que dépend le bonheur.*

On peut contredire cette propoſition en tout ces manieres.

Le bonheur dépend des richeſſes, et non pas de la ſcience.

Le bonheur dépend ni de richeſſes, ni de la ſcience.

Le bonheur dépend des richeſſes et de la ſcience.

Sed haec ſufficiant de oppoſitione et ſubalternatione.

§. 100.

Converſio eſt mutatio praedicati in ſubjectum et vice verſa, *ſalva tamen qualitate ſeu veritate judiciorum.* Prius judicium, cujus ſubjectum et praedicatum transponitur, nominatur *convertendum* ſeu *converſum.* Poſterius, quod ex tali permutatione emergit, vocatur *convertens.* 1)

Scholion.

1. Omnia ea, quae pertinent ad humanitatis ſtudia, elegantioris latinitatis culturam juvant; omnia ea, quae elegantioris latinitatis culturam juvant, pertinent ad humanitatis ſtudia. *Item:* quidquid eſt taedium ex alterius infelicitate perceptum, illud eſt commiſeratio: commiſeratio eſt taedium ex alterius infelicitate perceptum.

§. 101.

Triplex ſtatuitur *converſio*, nimirum *ſimplex*, *per accidens*, et per *contrapoſitionem*. *Converſionem ſimplicem* dicimus, quae fit ſervata eadem quantitate et qualitate Judiciorum. 1) *Converſio per accidens* fit, quoties quantitas judiciorum immutatur, ita, ut univerſale affirmativum convertatur in particulare affirmativum, aut univerſale negativum 2) in particulare negativum. *Converſio per contrapoſitionem* denique nihil eſt aliud quam mutatio praedicati in ſubjectum, et vice verſa, mutatis tantum ideis finitis, quae ſibi non habent praefixam particulam *non*, in ideas indefinitas, quae ſibi illam habent immediate praefixam, manente qualitate et quantitate judiciorum. 3) In quotidiano colloquio experimur, ſi attendimus, pro-

Digitized by Google

propositiones in discursu afferri solitas *converti*: cum autem cuivis interfit, scire, utrum utraque propositio, tam *convertens* quam *conversa*, maneat vera, ne forte falsa nobis pro vera obtrudatur, necesse est, ut intellectus examinet, utrum conversio rite, id est, ita, ut utraque propositio maneat vera, sit facta. Non poterit autem quis examen quoddam instituere, nisi in promptu sint regulae, ad quas examinet; igitur agamus *de regulis conversionis*. Idem nobis dicendum restat de *oppositione*, et, si juvat, etiam de *aequipollentia*. Confuse quidem hasce regulas quivis illiteratus et perspicit, et in sermonibus suis observat: at distincte tamen non perspicit, et hinc majori errandi periculo est expositus. Idem enim accidit iis, qui sola logica naturali contenti juxta analogum rationis agunt et loquuntur, quod evenire illis observamus, qui solo usu linguam aliquam didicerunt. Hi enim regulas grammatices nec distincte perspiciunt, nec sine periculo labendi applicant.

Scholia.

1) *Omne animal est ens sentiens, et omne ens sentiens est animal*: haec judicia dicuntur con-

verti. Prius vocatur *convertendum* seu *conversum*, posterius vero *convertens.* Nulla commiseratio est gaudium ex alterius felicitate perceptum: nullum gaudium ex alterius felicitate perceptum est commiseratio.

2) *Omnis commiseratio est taedium ex infelicitate alterius perceptum. Aliquod taedium ex infelicitate alterius perceptum est commiseratio.* Nullus amor est odium. Igitur quoddam odium non est amor.

3) *Nullus virtuosus calumniis delectatur*: ergo *nullus, qui calumniis delectatur, est virtuosus.* Quidam equus non est generosus: ergo quoddam, quod non est generosum, est equus. Omnis homo est animal: ergo omne non animal est non homo. Quidam homo non est machina ex meris atomis: ergo quaedam non machina ex meris atomis non est non homo. Interim postremam hanc conversionem *Aristoteles* non posuit, eoquod ad syllogismorum *Reductionem* minime valeat. Ex hac ratione juxta mentem ipsius *particulare negativum* non convertitur. Est autem idem judicium de infinitis singularibus et particularibus quoad conversionem et ratiocinationem. *Judicium exclusivum* porro convertitur in universale de ideis transpositis: e gr. *tantum homo est risibilis: ergo omne risibile est homo. Exceptivum* autem, v. gr. *omnis homo praeter Socratem scribit*: vertitur in hoc: *quoddam scribens aliud a*

Socra-

Socrate eſt homo. Aſt *reduplicativum* e. gr. *omne animal, in quantum eſt rationale, eſt riſibile,* convertitur in iſtud: Igitur quoddam, quod, in quantum eſt rationale, eſt riſibile, eſt rationale. Pariformiter alia hujus generis convertenda ſunt.

§. 102.

Tertia Judiciorum paſſio ſeu proprietas vocatur *aequipollentia*, quae nihil aliud eſt, quam duorum judiciorum *quoad affirmationem* et *negationem*, *veritatem* et *falſitatem*, *univerſalitatem* et *particularitatem* aequivalentia per adventum *negationis* facta, ita, ut haec judicia verbis quidem diſcrepent, at ſenſum tamen habeant eundem. 1)

Scholion.

1) *Nemo, niſi graece doctus, ad interiorem linguae latinae notitiam pervenit:* quidvis potius, quam latine vel ſcribendi vel dicendi facultatem ſibi polliceri poteſt, qui literarum graecarum expers eſt. Item *commiſeratio eſt taedium ex alterius infelicitate perceptum*: ubicunque non adeſt taedium ex alterius infelicitate perceptum, ibi eſt commiſeratio. Item: *non omnis homo eſt dives*: quidam homo non eſt dives. Item: *Impius virtutem non amat.* Improbus ex virtute nullam capit voluptatem.

Digitized by Google

§. 103.

Aequipollentiae Judiciorum cognoſcuntur per regulas, quae ſequuntur: 1) Si ideae univerſali vel particulari *praeponitur negatio*, tunc aequipollet ſuo contradictorio. 2) Quoties ideae univerſali *poſtponitur negatio*, toties aequivalet ſuo contrario. 3) Quando ideae univerſali vel particulari *praeponitur ſimul et poſtponitur* negatio, tunc aequipollet ſuo ſubalterno. 3) Fit autem omne id ex natura *negationis*, quae malignantis naturae eſt, et hinc quidquid invenit, deſtruit, oppoſitumque ejus inducit. *Subcontraria* denique non poſſunt aequipollere: nam ſi negatio praeponatur, aequipollebit ſuo contradictorio vi regulae primae: quoties vero poſtponitur, toties non erit aequipollentia, ſed idem judicium. 4) Aequipollentia nimirum eſt *aequivalentia duorum judiciorum prius oppoſitorum per additionem particulae negativae Non*, quae, cum ex affirmativo faciat negativum, et ex univerſali particulare, cauſa eſt, cur judicia prius oppoſita ſibi reddantur aequipollentia, ita, ut ab uno ad alterum bona fiat argumen-

Digitized by Google

mentatio, cum utrumque eodem omnino ſenſu polleat. Eſt autem aequipollentia triplex: vel enim judicium aliquod aequipollet ſuo contradictorio; et dicitur *aequipollentia contradictoriorum*: vel aequipollet ſuo contrario, et vocatur *aequipollentia contrariorum*, vel denique aequipollet ſuo ſubalterno; et dicitur *aequipollentia ſubalternorum*.

Scholia.

1) Haec judicia ſunt *contradictorie* oppoſita. *Omnis canis latrat: aliquis canis non latrat*: Quodſi ergo primo judicio praeponas ſignum adverbiale *non* dicendo: *non omnis canis latrat* tunc aequivalebit huic particulari: *aliquis canis non latrat.*

2) Haec ſunt *contrarie* oppoſita: *omnis orator imitatur Ciceronem: nullus orator imitatur Ciceronem.* Quodſi jam prioris Judicii ſubjecto ſignum negativum poſtponas, et dicas: *Omnis orator non imitatur Ciceronem*, tunc fiet aequipollens huic ſuo contrario: *nullus orator imitatur Ciceronem.*

3) Haec ſunt *ſubalternatim* oppoſita. *Omnis ſtudioſus eſt decus Reipublicae; aliquis ſtudioſus eſt decus reipublicae.* Si jam ſubalternantis ſubjecto particulam *non* prae-- ſimul et poſtponas, hoc modo: *non omnis ſtudioſus non eſt*

eſt decus reipublicae, tunc aequipollebit alteri judicio ſubalternato, perindeque erit, ac ſi diceres, *aliquis ſtudioſus eſt decus reipublicae.* Paritas enim negationum affirmat, imparitas negat.

4) Aequipollentia *ſubcontrarie* oppoſitorum judiciorum non datur: ratio eſt, quia unum dictorum judiciorum alteri aequipollere nequit, ſive enim *prae* -- ſive *poſtponas*, ſive *prae* et *poſtponas* ſimul negationem ſubjecto judicii cujuscunque ex ſubcontrariis, nunquam tamen unum alteri aequipollebit. Uti ad oculum patebit examinanti. Regulae triplicis hujus aequipollentiae verſiculo indicari ſolent ſequenti:

„ Prae contradicit, poſt contra, prae, poſtque ſubalter. „

Ne diutius ſubtilibus inhaereamus, et uſitatiora negligamus, exempla *modalium judiciorum* in figura ſubſcripta exhibebimus: judicia enim *modalia* aeque ac *copulativa* et *hypothetica* iisdem regulis reddunturſibi aequipollentia, quibus ſimplicia reddi diximus.

Pe-

Digitized by Google

Petrum non esse non est possibile. Petrum non esse non est contingens. Petrum non esse est impossibile. Petrum esse est necesse.	contraria	Petrum esse non est possibile. Petrum esse non est contingens. Petrum esse est impossibile. Petrum non esse est necesse.



Petrum esse est possibile. Petrum esse est contingens. Petrum esse non est impossibile. Petrum non esse non est necesse.	subcontraria.	Petrum non esse est possibile. Petrum non esse est contingens. Petrum non esse non est impossibile. Petrum esse non est necesse.

Caeterum Veteres dispositionem, ordinationemque subjecti et praedicati secundum regulas oppositionis, conversionis et aequipollentiae vocabant *consequentiam formalem*, connexionem vero inter judicia conversa et caetera nominabant *consequentiam causalem*. Nos his similibusque tricis non immorabimur, sed utiliora attingemus.

Caput III.

Sectio unica.

De *Ratiocinio*, seu *judicio*, quod ex aliis *mediate*, non *immediate* fluit, nimirum *mediante termino medio*, seu de *tertia mentis operatione*, adeoque de *ratiocinii* et *syllogismi* fundamentis, *materia*, *forma*, *regulis*, nec non de *speciebus ejusdem* et *consequentiis* immediatis.

§. 104.

Experientia teste nos non tantum ea, quae coram sunt, et quae nobis sistuntur praesentia, sentire, percipere, nobisque re-

prae-

Digitized by Google

praesentare, sed etiam ea, quae quondam sensimus, nunc autem absentia sunt, nobis seu menti nostrae sistere possumus. 1) Atque haec facultas res absentes, olim sensu perceptas, sibi denuo repraesentandi tanquam praesentes vocatur *facultas imaginandi*: actus mentis nostrae, quo res absentes, olim perceptas, nobis sistimus de novo tanquam praesentes, dicitur *imaginatio* seu *phantasia*; res econtra ipsa, quae ab imaginatione denuo producitur, vocatur *phantasma*. 2) Cum autem per imaginationem absentia nobis repraesentemus, et absentia sint infinite multa, profecto ratio sufficiens adesse debet, cur imaginatio *hanc* potius rem absentem, quam *aliam*, producat. Haec *ratio sufficiens* deprehenditur nullibi nisi in *quadam idearum similitudine*, si scilicet aliquid, quod in una earum est, reperiatur etiam in altera. 3) Aut, si quis duas sensationes simul habuit, earum una recurrente, altera quoque, quae olim cum priori simul extitit, revertitur. 4) Et *hunc ordinem* perpetuo servat imaginatio, ita quidem, ut, vel *minima similitudine observata*, con-

festim

feſtim recurrant omnes illae ideae, quae per ſenſationem externam ſive internam, eodem tempore factam, producebantur; atque haec *aſſociatio idearum* eſt ratio, cur Philoſophi certam imaginationis legem ſtatuerint, quam *legem ſeu regulam imaginationis* vocant, quamque hac propoſitione contineri novimus. *Perceptio praeterita integra redit, cujus praeſens perceptio tantummodo partem in ſe continet.* ς) Quoniam denique non nunquam fit, ut idea, a principio imaginandi reproducta ſit obſcura, et ne quidem recognoſcatur, nos autem, ut idea per imaginationem reproducta recognoſci, ſeu in claram et diſtinctam commutari queat, non nullas vel temporis vel loci, aliasque circumſtantias, tum allegare ſolemus, quibus mediantibus idea reproducta ſit clara et diſtincta, luculenter ſequitur, dari in nobis etiam *facultatem perceptiones praeteritas, per imaginationem reproductas, mediantibus quibusdam circumſtantiis, recognoſcendi*, id eſt, ex obſcuris aut confuſis commutandi in claras et diſtinctas: atque haec facultas, perceptiones praeteritas vi imaginationis reproductas mediate

diate recognoſcendi ſpecialiter a Philoſophis *reminiſcentia* ſeu *recordatio* dicitur.

Scholia.

1) Si heri vel nudius tertius interfuiſti alicui exercitio militari, aut diſputationi publicae, ſi ibi vidiſti milites, officiales eorumque actiones, motus et greſſus; hic viros doctiſſimos, argumentantes aeque ac defendentes, atque audiſti ibi muſicam militarem, armorumque ſtrepitus, hic eruditiſſimas objectiones et reſponſiones, tunc hodie omnes hos abſentes milites et doctos viros, abſentia arma, abſentem muſicam et argumentationem vivide tibi, licet hodie ſis in alio loco, repraeſentare potes.

2) Vis, qua milites, doctosque viros &c. abſentes tibi hodie repraeſentas, dicitur *facultas imaginandi.* Actus imaginationis, quo tibi illos repraeſentas, vocatur *phantaſia* aut etiam *imaginatio.* Abſentes illi milites, virique docti nominantur *phantasmata:* hinc illa muſica abſens, illa argumentatio abſens nonniſi *phantasma* eſt. Idem, quod evenit in rebus externo ſenſu perceptis, etiam contingit in cogitationibus ſeu in rebus interno ſenſu perceptis: ſic hodie potes tibi repraeſentare gaudium, quod heri ſenſiſti ex adventu patris tui: hodie potes tibi repraeſentare illas propoſitiones

Digitized by Google

nes et conſtructiones, quas heri excogitaſti in ſeceſſu.

3) Ingolſtadio proficiſceris Monachium, ibique in nundinis occurrit tibi perſona, quae facie, aliisque linearum ductibus pollet, qui lineis, facieique tui Profeſſoris ſunt ſimiles; nunquid mox Profeſſor tuus tibi per *imaginationem* ſiſtitur? ratio latet in obſervata idearum ſimilitudine.

4) Interfuiſti nuper exercitio militari, ubi vidiſti juvenem egregium, olim ſtudioſum Poeſeos, nunc militem, ad nutum imperantis arma moventem: fac, tibi nec opinanti illum juvenem hodie in platea occurrere; nunquid conſpecto juvene mox totus denuo tibi ſiſtitur campus martius aeque ac ſchola Poeſeos, quam cum illo commutavit? Ratio latet in eo, quod juvenem et campum martium, item eundem juvenem et ſcholam ſimul aliquando videris, ſeu ſimul ſenſeris.

5) Haec lex imaginationis ruſticis, plebejisque omnibus aeque ac eruditis nota eſt, confuſe illis quidem, at his tamen diſtincte. Quin ipſa bruta hanc legem non ignorare vel ex hac ratione noſcuntur, quia huic legi conformiter actiones ſuas inſtituunt: per hanc legem *phantaſmata* explicari poſſunt in brutis non minus, ac in hominibus, *vigilantibus* aeque ac *dormientibus*.

bus. Ponas, te audire duos colloquentes de quodam horto: ponas etiam, te in hoc horto olim plures personas vidisse, jucundissimosque cum iis miscuisse sermones et jocos; nunquid illico, audito *horti* nomine, imaginatio tibi reproducit omnes illas personas, cum quibus ibi hilariter vixisti, jocatus et sermocinatus es?

6) Mevius tibi in itinere occurrens te salutat amice, et interroganti tibi, quis ille sit, allegat quasdam loci, temporisque et condiscipulorum circumstantias: nunquid mox *recognoscis*, eum esse eundem Mevium, quocum Ingolstadii ante complures annos Philosophiam absolvisti? vides, mediante narratione Mevii ideam illius reproduci.

§. 105.

Ex hactenus dictis patet, non solum, si perceptiones seu ideas duas aliquando simul habuimus, *excitata una denuo recurrere quoque alteram*, e. gr. viso homine recurrere ideam nominis, et viciſſim audito nomine recurrere ideam hominis; sed etiam, si aliquando judicium quoddam habuimus, menti rursus repraesentari *integrum judicium*, quamprimum alterutra ejus pars, subjectum vel praedicatum, mentem nostram iterum subit. 1) Jam cum fiat saepenumero, ut duo judicia habe-

habeant *ideam communem*, 2) ideo, quoties cogitamus duorum judiciorum ideam communem, toties imaginatio utrumque judicium reproducit. 3) Insuper animae nostrae inest facultas *phantasmatum divisione ac compositione* reproducendi phantasma rei sensu nunquam perceptae, quae *facultas fingendi* a Philosophis appellatur. 4) Per hanc facultatem diversarum idearum partes separamus, et novo modo conjungimus, ex qua conjunctione *novum phantasma* invenimus et producimus. 4) Quoniam autem duo judicia communem ideam habentia, etiam duas habent diversas ideas, per facultatem *fingendi* illas duas diversas ideas a judiciis suis separamus, hancque in locum subjecti, illam in locum praedicati transponimus, sicque novum judicium componimus, quod *conclusio* vocari solet. Atque hac ratione ex prioribus duabus cognitis veritatibus dicimur *concludere*, id est, tertiam veritatem incognitam seu tertium judicium incognitum deducere. Operatio illa mentis, qua ex duobus judiciis ideam communem habentibus eruitur tertium, nomi-

natur

natur *Ratiocinium*; et si pro judiciis substituamus *propositiones*, et pro ideis *terminos* tunc oratio illa, qua significatur ratiocinium, nuncupatur *syllogismus*. 5) Fundata ergo est syllogismi aeque ac ratiocinii natura in ipsa *Psychologia*, adeoque non ad nugas logicas, uti hodie saepius fit ab imperitis turpiter, referenda: per ipsam Psychologiam jam manibus palpamus aptitudinem syllogismorum ad *inveniendum* eo majori in luce collocatam, quo magis constat, syllogismorum originem ex essentia et natura animae humanae esse demonstrabilem; anima enim non potest agere secundum regulas alias, quam quarum ratio in ejus essentia et natura continetur. Enimvero, cum *bruta* intellectu et ratione careant, facile consequitur, ea syllogismos in sensu proprio conficere non posse; *canis* quidem elevato baculo timet cuti suae; *imaginatio* enim in eo reproducit ideam verberum, quae *sentiebat*, dum olim herus eum elevaverat: exspectat quidem canis rursus verbera; *memoria* enim agnoscit easdem nunc adesse circumstantias, quae olim aderant, nimirum si-

milem elevationem, adeoque concludit, verbera prae foribus esse, arripitque fugam: ast ista *conclusio*, quam hic canis format, non intellectu et ratione et termino medio communi seu universali innititur, sed solummodo *imaginatione, memoria* et *sensu*: hinc cani *analogum rationis*, seu casuum similium exspectationem, non vero *ratiocinium* tribuimus. Qui recte ratiocinatur, nunquam fallitur. Ast is, qui casus similes exspectat, saepius fallitur et falli potest.

Scholia.

1) Fac, te sufficienti attentione esse meditatum hanc propositionem: *Homo est animal rationale:* atque iterum data occasione cogitamus hominem, in eoque attentionem defigimus, tunc recolimus integram propositionem: *Homo est animal rationale.*

2) Nobis cogitantibus, animal rationale esse principium sentiendi et ratiocinandi; et data occasione iterum perpendentibus, mox in mentem veniet altera propositio: *Homo est animal rationale.*

3) Quando ergo cogitamus *animal rationale* tanquam communem notionem, tunc mentem nostram subibit tam haec propositio *homo est animal rationale*, quam illa: *animal rationale est principium sentiendi et ratiocinandi.*

4) Potes tibi *alas*, quas olim vidisti, licet nunc absentes, imaginationis adminiculo re-

repraesentare: potes etiam sistere menti tuae equum, quem olim videras, et cornua, quae pariter olim conspexisti propriis oculis. Jam has ideas alarum, equi, cornuum, imaginatione productas potes pro arbitrio componere, et tibi sistere equum alatum et cornutum, cui nullum extra mentem objectum respondet. Haec idearum particularium seu phantasmatum particularium combinatio vel divisio, ab imaginativo principio pro arbitrio producta, si ita instituitur, ut nullum extra mentem objectum ideae totali productae, scilicet equo alato et cornuto, respondeat, tunc appellatur *fictio*. Sic poëtae Harpyias sibi repraesentant, combinant faciem virgineam, flavam comam, alas et corpus accipitris, aures ursinas, manus humanas. Et quis comprobabit, dari Harpyias, nisi in poetarum cerebro?

5) Sic haec duo judicia: *ens simplex est ens incorruptibile: Deus est ens simplex:* habent ideam cdmmunem, scilicet ideam *entis simplicis*, et duas ideas diversas; quodsi vi fingendi has duas diversas comparas, et unam ex parte subjecti, alteram ex parte praedicati ponas, habebis ratiocinium sequens: *Ens simplex est ens incorruptibile. Deus est ens simplex.* Ergo *Deus est ens incorruptibile.*

6) Honorem syllogismo debitum ab injuriis ei per inscitiam quorundam sciolorum mo-

dernorum adſperſis inſigniter vindicavit Illuſtris *Michael Gottlieb Hanschius* S. Caeſ. et Cathol. Majeſt. G. M. Conſiliarius in ſuo libello, cui titulus: *Harmonica in ratiociniis humanae mentis omnibus detecta nuper et demonſtrata, nunc exemplis etiam ſinguluribus illuſtrata proportio.* Vindobonae, ipſis Kalendis Junii 1744 edita. Is primus *ordinem* mentis humanae in cogitando naturalem in tanta luce poſuit, ut non ſolum ex unico proportionis trium in omnibus poſſibilibus infallibiliter ratiocinandi modis terminorum harmonicae principio potentiam illationis infallibilis univerſam mortalibus reddiderit manifeſtam, ſed et *artem characteriſticam combinatoriam* theoriae ſyllogiſmorum regularium ſimplicium univerſae primus applicaverit, adeo, ut jam pateat omnibus, quidnam novi, per iſtud medium hoc in modo ratiocinandi utili de re data quacunque infallibiliter poſſit inveniri. Optandum ſcilicet eſſet, ut Matheſi methodo demonſtrativa pertractatae, cum ea intellectum inſigniter acuat, et cogitandi ſecundum regulas conſuetudinem conciliet, graecorum more noſtra juventus inſignem operam navaret.

§. 106.

Ratiocinari dicimur, quoties ex duobus judiciis, ideam communem habentibus, tertiam

am, aut ex datis ideis tribus proportionalibus quartam elicimus. Prius fit a logicis *ope syllogismi*, posterius ab arithmeticis seu mathematicis *adminiculo aequationis*. Cum enim idearum convenientiam vel separationem non immediate semper perspicere queamus, illud fiat, necesse est, ope alicujus *ideae tertiae*, cum nimirum ex comparatione duarum idearum cum tertia colligimus, conjungendaene sint, an separandae, id est, an dissensum vel assensum nostrum mereantur. Et hac ratione oritur syllogismus: quoties econtra quatuor ideae seu termini ita comparantur, ut ex hac combinatione nova emergat veritas prius incognita, toties quidem non syllogismus, ast talis ratiocinatio tamen conficitur, quae apta est ad inveniendam novam veritatem: ratio est, quia inter terminos proportionales quatuor, quin et plures aeque reperitur nova veritas, scilicet *numerus quartus proportionalis*, ac inter tres. Est enim *Proportio arithmetica* duarum rationum arithmeticarum similitudo, seu series trium, quatuorve quantitatum in qua major minorem superat, eodem excessu,

ſu, uti 2, 4, 6, vel 8, 6, 4, 2. quia uti ſecundus primum ſuperat binario, ita binario ſuperatur a tertio, ac proinde, qui eſt in medio, dicitur *medius proportionalis arithmeticus*, quia hinc inde differentias habet cum extremis aequales. Et *proportio geometrica* eſt duarum ratiónum geometricarum 2) ſimilitudo, uti 8 : 2 = 24 : 6. Mathematici axiomata generaliora ſuis opuſculis praemittunt, inter quae etiam eſt illud: *quae ſunt aequalia uni tertio, ſunt aequalia inter ſe.* Et Philoſophi dicunt: *Quae ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Ut adeo doctrina de proportione mathematica et doctrina de ſyllogiſmo iisdem fundamentis nitantur, et conſequenter concluſio per ſyllogiſmum detecta aeque ſit infallibilis, ac veritas per proportionem aliquam mathematicam inventa, modo praemiſſae, unde illa fluit, prius ſint infallibiles.

Scholia.

1) Hinc *Matheſis* facile intelligitur pars eſſe Philoſophiae ſublimior, ingeniorumque aciem inſigniter acuere. Accedit, quod Matheſis *reliquas philoſophiae partes*, non ſolum *theoreticas*, ſed *practicas* quoque mirum quantum

tum adjuvet et promoveat. Errat, quicunque credit, Matheſin ad ſolas lineas atque figuras et ad ſolas ideas ſenſibiles dimetiendas eſſe condemnandam. *Univerſalis* eſt Matheſis: et ejus objectum eſt *omnis quantitas finita* tam *intenſionis*, quam *extenſionis*. Adde quantitatem virium, affectuum, probabilitatis &c. Quamvis magna ejus pars ſit adhuc in votis. 2) In proportione geometrica primus ſe habet ad ſecundum, ut ſecundus ad tertium e. gr. 2. 4. 8.; uti enim ſecundus eſt duplus primi, ita tertius duplus ſecundi, et qui eſt in medio, dicitur *medius proportionalis geometricus*. Tertia *Proportio* prioribus mixta, quia in ſonis auri grata accidit, vocatur *harmonica*: haec inter tres numeros tunc datur, quando primus ſe habet ad tertium, uti differentia primi et ſecundi ad differentiam ſecundi et tertii: e. gr. 12. 8. 6. uti enim ſe habet primus 12. ad tertium 6. ita differentia primi et ſecundi 4. ad differentiam ſecundi et tertii 2. *Ratio* denique eſt duarum ejusdem generis quantitatum mutua quaedam ad ſe habitudo quoad aequalitatem vel inaequalitatem. *Arithmetica* eſt comparatio unius quantitatis cum alia ſecundum differentiam, ſubtrahendo minorem a majore invenienda m. *Geometrica* vero eſt comparatio ſecundam quotum, qui indicat, quoties una quantitas contineat alteram dividendo.

§. 107.

§. 107.

Syllogismus est argumentatio, in qua duobus judiciis praemissis et rite dispositis, tertium judicium a duobus prioribus distinctum *necessario* infertur et concedi debet. 1.) Id quod *necessario* infertur, vocatur *conclusio*, seu *consequens*. Est autem illa *necessitas*, qua conclusio infertur, duplex, scilicet consequentis et consequentiae. *Necessitas consequentis* est necessaria connexio idearum, ex quibus componitur illud Judicium, quod conclusio seu consequens vocatur. *Necessitas consequentiae* autem est necessitas *illationis*, quae provenit non ex necessaria connexione seu habitudine idearum inter se, sed ex necessaria connexione judiciorum priorum et consequentis, tanquam *includentis* et *inclusi*, ita, ut posito antecedente necesse sit ponere et consequens, et concessis praemissis necessario etiam concedi debeat conclusio. Unde et conclusio contingens ex praemissis necessario infertur. 2)

Scholia.

1) Ex allata definitione satis patet, per quid *syllogismus* seu *ratiocinium* differat a reliquis argu-

Digitized by Google

argumentandi ſpeciebus; et quidem ab *Enthymemate et exemplo*, quia in his ex una ſolum propoſitione praemiſſa infertur concluſio. *Ab inductione* autem et *ſorite &c.*, quia in iſtis ex pluribus, quam ex duobus judiciis ſeu propoſitionibus deducitur concluſio.

2) *Omne, quod in gyrum agitur, movetur; terra circa ſolem in gyrum agitur:* ergo *terra movetur.* Cum terra contingenter moveatur, eſt quidem haec concluſio *contingens:* ſed eſt ſolummodo contingens quoad *materiam* et ideas illius judicii; non tamen contingenter, ſed neceſſario infertur ex praemiſſis, cum *conſequentia*, id eſt, illatio et connexio illius cum praemiſſis *neceſſaria*, non *contingens* ſit. Igitur quoad formam illa concuſio eſt neceſſaria. Idem dicendum eſt de ſequenti ſyllogismo. *Omnis diſputans loquitur: ſed Cajus diſputat:* ergo *Cajus loquitur.*

§. 108.

Quemadmodum omnia artefacta ex *materia* componuntur, et *forma*, tanquam *partibus eorundem eſſentialibus*, ſeu *eſſentiam eorundem conſtituentibus*, ita et ſyllogismus, utpote nobiliſſimum rationis artefactum. Eſt autem *materia* ſyllogismi duplex, *circa quam* et *ex qua*. *Materia circa quam* ſunt res, de quibus formari poſſunt ſyllogismi, e. gr. *coeli*, *terra*

tirra, equus, arbor &c. Materia ex qua sunt illa, ex quibus veluti ex materia conſtituitur ſyllogismus: et haec eſt duplex, remota et proxima. *Materia remota* ſyllogismi ſunt tres ideae, quae *majus extremum*, *minus extremum*, et *medium* appellari ſolent. *Materia* autem *proxima* ſunt tria judicia, ex tribus ideis praefatis conſtructa, quorum unum dicitur extremum *majus*, alterum *minus*, et tertium *concluſio*. 1) Idea, de qua interrogatur, dicitur *minor extremitas*, ſeu *minus extremum*. Quod de ea interrogatur, illud vocatur *major extremitas*, *maius extremum* ſeu *praedicatum concluſionis*, et ea idea, quacum hae duae antecedentes combinantur, ſolet *medium* appellari. 2) Dein *omnis ſyllogismus tribus conſtat judiciis* ſeu *propoſitionibus*, quia tres ideae pluries aut aliter combinari nequeunt, quam ut ſingulae cum ſingulis conjungantur. 3) Primum illud judicium ſeu prima illa propoſitio, quae ex majori extremo et medio conſtat, vocatur *major*: altera propoſitio, ex minori extremo et medio conflata, dicitur *minor*: et tertia propoſitio, ex majori extremo et minori extremo coagulata nominatur *concluſio*. Haec de mate-

materia ſyllogismi dicta ſunto; jam pergamus ad *formam ejusdem.*

Scholia.

1) *Principia materialia remota* ſunt igitur tres ideae in ratiocinio, ſeu tres termini in ſyllogismo. *Principia materialia proxima* ſunt tria judicia in ratiocinio ſeu tres propoſitiones in ſyllogismo. Sic in hoc ſyllogismo: omnis affectus turbat attentionem: ira eſt affectus: ergo ira turbat attentionem. *Affectus, ira, turbans attentionem*, ſunt tres termini, adeoque materia *remota*: iſtae duae voces *turbans attentionem* ſumuntur pro unico termino, quia in nominativo quilibet terminus debet poni in ſyllogismo. Talis eſt ens turbans: vox *attentionem* autem importatur in caſu obliquo, ſcilicet accuſativo, adeoque non ſumitur pro ſpeciali termino ſyllogismi, ſed conſtituit cum ente turbante unicum ſyllogismi terminum.

2) Terminus *medius* eſt ille nimirum, cujus interventu praedicatum concluſionis connectitur cum ſubjecto concluſionis. Fere ſicut in proportione duo termini extremi per medium proportionalem arithmeticum aut geometricum comparantur. Hunc in finem bis in praemiſſis ponitur *medius terminus*, atque hanc ob rationem *concluſionem ingredi* nequit, quia ſolum extremi termini, qui

per

per eum conjungendi ſunt, concluſionem ingredi debent.

3) Hinc quodvis ratiocinium habet *ideas* tantum *tres*, et quivis ſyllogismus habet tantum *tres terminos*. *Medius terminus* bis ponitur in praemiſſis, et extremorum quilibet in alterutra praemiſſa occurrit aeque ac in concluſione. Hinc *in ſyllogismo nec plures, nec pauciores, quam tres termini, quorum tamen quilibet bis occurrit.*

§. 109.

Forma Ratiocinii eſt apta idearum et judiciorum diſpoſitio, juxta praecepta dialectica, eſtque duplex, *figura* videlicet et *modus*, quarum prior correſpondet *materiae remotae*, poſterior autem *proximae*. *Forma* ſyllogismi e contra eſt apta terminorum et propoſitionum diſpoſitio, regulis dialecticis conformis, eſtque aeque duplex ac ratiocinii forma. Cum enim ideae praemiſſarum diverſae bene pariter ac male diſponi ſeu combinari poſſint, hinc, ne diſpoſitio fiat mala, et ex mala diſpoſitione concluſio ſequatur falſa, *regulis* opus eſt, huic combinationi praeſcriptis, quas *ſyllogiſticas* vocant.

§. 110.

§. 110.

Figura est apta terminorum dispositio, seu medii cum extremis combinatio secundum subjectionem et praedicationem. Quoniam autem haec dispositio seu combinatio extremorum cum medio quadrupliciter fieri queat, hinc *quadruplex communiter* assignari solet *figura*, nimirum *prima*, *secunda*, *tertia* et *quarta*. Figura *prima* est forma syllogistica seu terminorum dispositio, ubi medium in majore propositione subjicitur, et in minore praedicatur. 1) *Secunda* figura est terminorum dispositio ubi medius terminus in majore et minore propositione praedicatur, id est, locum praedicati tenet. 2) *Tertia* est dispositio terminorum talis, ubi terminus medius, seu, quod idem est, communis in majore et minore simul subjicitur, seu locum subjecti occupat. 3) *Quarta*, ubi medius terminus in majore propositione praedicatur, et in minore subjicitur. 4)

Scholia.

1) Omnis studiosus est flos gymnasii: atqui Mevius est studiosus: ergo Mevius est flos gymnasii.

2) Nul-

2) Nullus piſcis eſt rationalis : atqui omnis homo eſt rationalis : ergo nullus homo eſt piſcis.

3) Omnis homo eſt rationalis: atqui omnis homo eſt animal: ergo aliquod animal eſt rationale.

4) Omne animal eſt principium ſentiendi: omne principium ſentiendi eſt ſubſtantia. ergo quaedam ſubſtantia eſt animal. *Quarta* figura *a prima* hoc criterio facile diſtinguitur, quod in hac figura plerumque conſequentia maxime prona ſit et expedita, in illa econtra perquam contorta et perplexa. Inde praeſtantiſſimi quique Logici hanc figuram ne nominarunt quidem, multo minus in uſum deduxerunt. Alias vocatur figura *Gallenica*. Memoriam adjuvat ſequens metrum. *Sub: prae: prima ſed altera bis prae: tertia bis ſub: quartaque prae: ſub:* —

§. III.

Ut autem *ſtructura ſyllogismi* ſeu ratiocinii bene procedat, obſervandae ſunt *quaedam regulae dirigentes*, ad quarum dictamen quilibet ſyllogismus in qualibet figura conſtrui debet. Harum regularum dirigentium aliae ſunt *primae*, aliae *ex primis deductae*, eaeque vel *generales* pro omnibus figuris, vel *ſpeciales* pro ſingulis.

1) Re-

1) *Regulae primae* ſyllogismi ſeu potius *principia prima* ſunt quatuor. Scilicet *Dictum de omni.* 2) *Dictum de nullo.* 3) *Quaecunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* 4) *Quaecunque diſtinguuntur in uno tertio, diſtinguuntur inter ſe.* 5) Priora duo dicuntur *logica*, poſteriora vero *metaphyſica.*

Scholia.

1) Dantur etiam *regulae perficientes ſyllogismi*, quae nihil ſunt aliud, quam media, per quae ſyllogismi *imperfecti* reducuntur ad perfectos: et de his infra nobis erit ſermo; nunc de *dirigentibus.* 2) Senſus utriusque principii logici eſt iſte: quidquid dicitur vel negatur de aliquo ſubjecto *univerſaliter* ſumto, dicitur etiam vel negatur de quovis contento ſub illo: e. gr. *omne animal eſt vivens: omnis homo eſt animal: ergo omnis homo eſt vivens.* In *majori* de omni animali dicitur et affirmatur *vivens* et *homo* continetur ſub animali, tanquam ſpecies ſub genere, etiam de homine *vivens* in concluſione affirmari debet. 3) *Nullum animal eſt lapis. omnis homo eſt animal:* ergo *nullus homo eſt lapis:* Quia in majori de omni animali negatur lapis, et homo continetur ſub animali, etiam de homine lapis negari in concluſione debet. Alioquin duae contradictoriae ſimul eſſent verae: *nullum animal eſt lapis: aliquod animal eſt lapis.* Idquod implicat. 4) Si *utrumque extremum* in praemiſſis cum me-

dio

dio conveniat, tunc etiam *extrema* inter se in conclusione convenire debent: e. gr. *omnis homo est rationalis: aliquod animal est homo: ergo aliquod animal est rationale.* §) Sensus hujus regulae est iste: si unum extremum *cum medio* in praemissis identificetur, seu conveniat, alterum autem ab eo differat seu distinguatur, tunc etiam *extrema* in conclusione inter se disconveniunt: e. gr. *nullus homo est cancer: aliquod animal est cancer: ergo aliquod animal non est homo.* Illud principium logicum *dictum de omni*: dicitur *affirmativum*; alterum vero: *dictum de nullo*, *negativum*. Metaphysica duo principia maxime relucent in *secunda* et *tertia* figura. Quoniam autem secunda et tertia figura ad *primam* tanquam clariorem et evidentiorem reducuntur, patet omnino, priora illa principia logica, de *omni* videlicet, et de *nullo*, omnium esse evidentissima. Principium logicum *dictum de omni* clarissime relucet in *Barbara* et *Darii*. *Dictum de nullo* autem in *Celarent* et *Ferio*. Et vel ideo prima figura est omnium perfectissima et notissima, quin etiam addiscendis tradendisque scientiis accommodatissima.

§. 112.

Regulae ex quatuor hisce principiis deductae *generales*, quibus omnium figurarum syllogismi

gismi dirigi debent, ſunt ſex. 1) Regula 1ma: *In omni ſyllogismo tres tantum ideae ſeu termini eſſe debent.* Probatio hujus regulae jam ſupra continetur in Scholio tertio ad §. 8. Unde vitioſus omnino eſt ſyllogiſmus, ſiquis terminus in eo accipiatur *aequivoce*, vel varietur ejus *ampliatio*, *reſtrictio*, *appellatio*, aut alia ex proprietatibus terminorum: e. gr. *Scholion: omnis leo rugit: aliqua conſtellatio coeleſtis eſt leo: ergo aliqua conſtellatio coeleſtis rugit.* *Leo* enim, cum ſit terminus aequivocus, in majori indicans *animal rugibile*, et in minore *conſtellationem*, ideo non tres, ſed quatuor ſunt termini.

§. 113.

Regula 2da. *Medium ſub ratione medii non ingrediatur concluſionem.* Probatur: ſi enim medius terminus ingrederetur concluſionem, nihil a praemiſſis diſtinctum inferretur in ea, ſed probaretur idem per idem: aſt hoc eſt contra eſſentiam ſyllogiſmi, cum ſyllogismus ſit argumentatio, in qua duobus judiciis praemiſſis et rite diſpoſitis, tertium judicium a duobus prioribus proſſus diſtinctum neceſſario infertur.

Scholion.

Omnis homo eſt rationalis: ſed *Petrus eſt homo*: ergo *homo eſt rationalis*. Hic ſyllogismus habet concluſionem non differentem a majori: nam ut differat, concluſio ita ſonet: *ergo hic homo, id eſt, Petrus eſt rationalis.* Imo nec ex parte ingrediatur medius terminus concluſionem: e. gr. *omnis bonus Logicus eſt homo*; atqui *Sejus eſt bonus Logicus*: ergo *Sejus eſt bonus homo*: nam poteſt aliquis eſſe bonus Logicus, et tamen malus homo.

§. 114.

Regula 3tia. *Medius terminus in aliqua ſaltem praemiſſarum diſtribuatur.* Ratio eſt, quia ſi medius terminus non diſtribuitur, tunc ſyllogismus non dirigitur principiis illis primis logicis: *dictum de omni*, et *dictum de nullo.* Quibus tamen omnes ſyllogismi dirigi debent.

Scholion.

Unde ſequens ſyllogismus male concludit: *aliquod animal eſt irrationale: omnis homo eſt animal*: ergo *omnis homo eſt irrationalis*: medium enim, quod eſt animal, in nulla praemiſſarum diſtribuitur.

§. 115.

Regula 4ta. *Ex puris particularibus vi formae*

Digitized by Google

mae nihil sequitur. Ratio est, quia syllogismus ex puris particularibus constans in nullo principio primo fundatur, e. gr. non in *dictum de omni*, nec in *dictum de nullo*, ut per se patet, nec etiam in illo metaphysico: quaecunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se &c. possunt enim duo aliqua cum uno particulari disjunctive sumto identificari, quin identificentur inter se, ergo ex puris particularibus nihil sequitur.

Scholion.

Unde mala est conclusio sequens. *Aliquod album est nix: aliquod album est lac:* ergo *lac est nix.* Item *Sejus est aliquod animal: Mevius est aliquod animal:* ergo *Sejus est animal.*

§. 116.

Regula 5ta. *Ex puris negativis vi formae nihil sequitur.* Probatur: cum enim conclusio syllogistica ideo sit vera, quia extrema in praemissis cum medio connectuntur: ubi autem omnia negantur, ibi nulla est connexio, sed mera dissipatio: consequens est, ut conclusio ex meris negativis non sit syllogistica.

Digitized by Google

Accedit, quod talis ſyllogismus nullo principio primo regulétur; non illo: *dictum de nullo*: nam, ut ex hoc principio aliquid concludatur, oportet aliquid univerſaliter de ſubjecto negari, ſub quo aliud particulare continetur; atqui unum ſub alio et in alio contineri eſt aliquid affirmare, non negare. Facit enim hunc ſenſum: *nullus homo eſt planta*: ergo *nec Petrus, qui eſt homo*. Si enim homo non ſit, non deducitur ex illo antecedenti, quod tantum de *homine*, non de aliis negat. Et ita deduceretur conſequens ex antecedenti, in quo tamen conſequens deductum non continetur. Nec talis ſyllogismus fundatur in principio illo metaphyſico: *quae diſtinguuntur in uno tertio &c.* quia ſenſus illius principii eſt hic: Quae diſtinguuntur ab uno tertio, ita, ut unum non ſit illud tertium, aliud ſit ipſum tertium, id eſt, unum extremum non identificetur, alterum autem identificetur illi tertio, etiam inter ſe diſtinguuntur. Atqui *unum tertio identificari*, exprimi neceſſario debet per affirmativam propoſitionem. Ergo ſyllogismus praefatus non fundatur in principio

Digitized by Google

cipio illo : quae distinguuntur in uno tertio &c. et consequenter ex puris negativis vi formae nihil sequitur.

Scholia.

Aliud est distingui in uno tertio, et aliud est distingui ab uno tertio : illud est principium metaphysicum, non hoc. Quia non sequitur : *duo distinguuntur a tertio : ego etiam distinguuntur inter se.* Nam *homo* et *animal* distinguuntur a tertio, scilicet *lapide*, et tamen homo et animal non distinguuntur inter se. Unde pessimus est sequens : *nullus impius salvatur : atqui nullus pius est impius : ergo nullus pius salvatur.* Dixi in hac et praecedenti regula *vi formae*, *per accidens* enim et ratione *materiae*, qua syllogismus constat, potest conclusio esse vera, quae infertur ex praemissis tum *particularibus*, tum *negativis*, et tunc hi syllogismi sunt quidem *materialiter*, sed non *formaliter* boni; e. gr. *aliquod animal est substantia ; atqui aliquis homo est animal.* Ergo *aliquis homo est substantia.* Item *nullus homo est equus : nullus leo est homo ; ergo nullus leo est equus.* Cum enim spectata praesenti forma et dispositione terminorum ex vero falsum in alia materia deduci posset, ideo formaliter non sunt boni. E. gr. *aliquod animal est leo ; aliquis homo est animal ;* ergo *aliquis homo est leo.* Item *nullus homo est brutum ;* atqui *nullus leo est homo:* ergo *nullus leo est brutum.*

Digitized by Google

§. 117.

Regula 6ta. *Conclusio sequitur debiliorem partem quoad quantitatem et qualitatem.* Hoc est, si una praemissarum est particularis, vel negativa, tunc etiam conclusio debet esse particularis vel negativa. Probatur: conclusio est effectus praemissarum: sed effectus non potest habere plus quam causa: ergo si alterutra praemissarum est negativa vel particularis, talis sit etiam conclusio necesse est. Ast si conclusio non sequitur debiliorem partem, tunc concluderet *universaliter*, quando una praemissarum est particularis tantum, et concluderet *affirmative*, etsi alterutra praemissarum esset negativa: ergo plus contineret in conclusione, quam in praemissis: non potest autem nec plus nec minus in conclusione esse, quam fuit in praemissis, quia alias nova aliqua determinatio vel ad subjectum vel ad praedicatum conclusionis accederet, quae tamen non adfuit in praemissis, aut certe aliqua determinatio in conclusione omitteretur, quae tamen in praemissis adfuit; in utroque casu econtra tam subjectum quam praedicatum in conclusione alium acquirerent sensum, sicque immutato sensu quatuor termini orirentur.

Digitized by Google

Scholia.

Quoad quantitatem damus exemplum: *Omnis homo est animal*: atqui *aliqua res est homo*: ergo *aliqua res est animal*. Jam si concluderes universaliter dicendo: ergo *omnis res est animal*, tunc plus esset in conclusione, quam in praemissis; ex eo enim, quod aliqua res sit homo, concluderes, quod *omnis res sit animal*. Dein tota ratio inferendi conclusionem, id est, praedicandi majus extremum de minori extremo est sita in eo, *quod duo extrema uniantur cum medio*. Ast vero minus extremum in praefato syllogismo non unitur *universaliter* cum medio, sed tantum *particulariter*: igitur nec in conclusione universaliter minus extremum cum majori extremo uniri potest, sed particulariter uniri debet, quia major unitas extremorum inter se, quam cum medio esse non potest. Idem dicendum in alio syllogismo quoad qualitatem: *Nullus equus est bipes*, atqui *Bucephalus est equus*: ergo *Bucephalus non est bipes*. Jam si concludas: ergo *Bucephalus est bipes*: tuno impingis in illud principium universale, *dictum de nullo*: quod enim ibi de nullo in majore dicitur, tu dicis de aliquo, id est, de Bucephalo. Atqui hinc ex hac praemissa debilore: *nullus equus est bipes*, tu infers fortiorem conclusionem affirmando: ergo *Bucephalus est bipes*: atque sic concedis duo contradictoria simul esse vera: e. gr. *nullus equus est bipes: aliquis equus* (Bucephalus scilicet) *est bipes*. Ex hac ultima regula generali corol-

Digitized by Google

larii loco deducimus ſequelam hanc, quod non liceat terminum aliquem diſtribuere in concluſione, qui non fuit diſtributus in praemiſſis: e. gr. *omne animal eſt vivens:* atqui *omnis leo eſt animal:* ergo *omne vivens eſt leo.* Hic ſyllogismus procedit a non diſtributo majori extremo ad diſtributum in concluſione: cum autem ex hoc evidenter pateat, plus eſſe in concluſione, quam in praemiſſis, conſequens eſt, ut ſyllogismus hicce ſit vitioſus.

§. 118.

Quoniam propoſitiones in qualibet figura ſecundum *quantitatem* et *qualitatem*, alia aliave ratione diſponi ſolent; *novae* autem *hae propoſitionum diſpoſitiones* ſecundum quantitatem et qualitatem *modi ſyllogismorum* dicuntur: hinc novas has ſyllogismorum ſpecies paucis delibabimus. Quamvis enim hodierno ſeculo hi modi aeque ac figurae ſyllogismorum vilipendantur, et ad quisquilias antiquae Philoſophiae relegari ſoleant; quoniam tamen per experientiam ſatis compertum habemus, non ab aliis facile ſententiam relegationis in modos et figuras praedictas ferri, quam ab iis, qui a ſolidiore doctrina abhorrent, vel hanc ſolam ob cauſam, quia antiqua eſt, cum

tamen

tamen, intuitu antiquitatis perinde ac aeternitatis ſuae, quaevis veritas ſeu ſolidior doctrina potius placere, quam diſplicecere deberet; hinc nihilominus regulas ſpeciales ſyllogismorum in medium afferemus. Veniet tempus, quo etiam vulgus literatorum illas experietur utiliſſimas. Quicunque enim veritatem inveſtigat ratiocinando, iis carere nequit. Inveſtigator veritatis ſive antiquae, ſive recens detectae ratiocinando vel experiundo inveſtigat. Si *ratiocinando*, tunc ſyllogizat, aut *implicite*, aut *explicite*. Quoties autem ſive implicite Rhetorum more, ſive explicite veterum Philoſophorum inſtar ſyllogizat, toties ei intereſt ſcire, utrum bene fuerit ratiocinatus; quis autem ſe recte ratiocinatum, et nec quidem in aliqua ratiociniorum catena erraſſe perſuaſus eſſe poteſt, *niſi* regulas bonae ratiocinationis in ſubſidium vocet, id eſt, regulas ſyllogiſticas figurarum et modorum, ad quas veluti ad lydium lapidem ſua ratiocinia reducere et examinare poterit?

Scholion.

In omni ſpecie *Arithmetices* intellectus non

modo ſecundum regulas operatur, ſed etiam, ut tutus ſit, te recte eſſe operatum, *probationem* inſtituit. Cum autem *artis ratiocinandi* ſimilis ſit operationi arithmeticae, hinc non ſolum iisdem, quibus *operatio arithmetica*, nititur principiis, *logicis* ac *metaphyſicis* nuncupatis, ſed etiam pariter ad *examen* vocandus eſt, modo ſecurus eſſe velis, te bene ratiocinatum eſſe. Demus inſtantiam. *Mevius*, qui crebriori exercitio naturalem judicandi facultatem ita perfecerat, ut et verum dijudicare, et legitime quoque ratiocinari potuerit; ſecundum caſus ſimiles ſemper egit, atque ſecundum caſus ſimiles ſemper agens, egit hoc ipſo ſecundum regulas ratiocinandi, iis licet nondum diſtincte perſpectis. Fac nunc, Mevium, non eruditum illum quidem, at logica tamen naturali inſtructum, ratiocinari pro conſuetudine ſua. Fac etiam, haec ratiocinia Mevii ab aliis oppugnari, aut in dubium vocari; ubi inveniet Mevius regulas ad defendenda et examinanda ratiocinia ſua neceſſarias? regulas ex natura mentis humanae, ejusque modo agendi deductas? regulas, quibus intellectus noſtri operationes in cognoſcenda et dijudicanda veritate diriguntur? regulas, quas nunquam didicit, nunquam audivit? quomodo ſolvit fallacias, inſtar ſerpentis in herba latentis in ratiocinia adverſariorum irrepentes? ſimilis erit ſcilicet illi, qui ſolo uſu et

exer-

Digitized by Google

exercitatione linguam gallicam didicit, et saepe quid *pro vero atque regulis grammaticalibus conformi* habet, quod iisdem tamen repugnat, et contra. Is pauca novit, nec ea pauca quidem ita novit, ut, se non erralse, certo sciat. Similis erit illi, qui *addendo*, *subtrahendo*, *multiplicando*, *dividendoque* operatus est, ast, utrum bene fuerit operatus, *probam* instituere nequit. Illud Germanorum proverbium igitur: Ein Quintlein Mutterwitz ist beßer als ein Centner Schulwitz: tantum in casu locum habet, quo talis traditur artificialis Logica, cujus regulae ex essentia et natura animae humanae non sunt demonstrabiles, cum anima nequeat agere secundum alias regulas, quam quarum ratio sufficiens in ejus essentia et natura continetur.

§. 119.

Antequam ad *Modos syllogismorum* descendimus, *specialiores regulas de figuris* praemittamus, ne quid circa Argumentationem omisisse videamur. Quoniam *prima figura* a genere ad speciem, sive a propositione subalternante ad subalternatam 1) *secunda* a contrario 2) et *tertia* a convenientia rei cum altera in uno tertio concludit, 3) clare est ad intelligendum, in *prima figura* vi dicti de omni ma-

majorem propoſitionem ſemper univerſalem, minorem vero affirmativam eſſe debere: in *ſecunda* quoque majorem univerſalem, et alterutram ex praemiſſis aeque ac concluſionem negativam eſſe debere; in *tertia* denique minorem affirmativam, concluſionem autem particularem eſſe debere, et quidem in ſecunda et tertia figura hoc fieri debet ex hac regula, *quod concluſio ſemper ſequatur partem debiliorem.*

Scholia.

1) Vi dicti *de omni et nullo*, quidquid affirmatur vel negatur de ſubjecto univerſaliter, id et affirmari, negarive poteſt de ſingulis, quae ſub illo ſubjecto continentur: e. gr. *omnis figura eſt ſpatium ſuis lineis incluſum: triangulum eſt ſpatium tribus lineis incluſum: ergo triangulum eſt figura.* Quod enim de omni figura affirmatur, non poteſt non et de triangulo affirmari, eoquod hoc ſub genere figurae continetur.

2) *Omnis mens cogitat; nulla materia cogitat:* ergo *nulla mens eſt materia.* Quia quaecunque diſtinguuntur in uno tertio, etiam diſtinguuntur inter ſe, atqui mens et materia in facultate cogitandi diſtinguuntur, ſeu quod idem eſt, contrariorum contraria praedicata ſunt eſſentialia.

3) *Omne*

Digitized by Google

3) *Omne, quod cogitat, ſpiritus eſt: atqui aliquid, quod cogitat, eſt in homine:* ergo *ſpiritus aliquis eſt in homine*; quia id, quod in homine eſt, eatenus cum ſpiritu convenit, quod cogitet; ideo bona eſt concluſio, ſpiritum aliquem eſſe in homine.

§. 120.

Hae *quatuor vocales* A. E. I. O. indicant diverſitatem propoſitionum ratione *quantitatis* et *qualitatis*, ita, ut ſub litera A. propoſitio *affirmativa univerſalis*, ſub lit. E. *univerſalis negativa*, ſub lit. I. *particularis affirmativa*, ſub lit. denique O. *particularis negativa* intelligatur. 1) Quoniam ſexaginta quatuor harum vocalium in tribus propoſitionibus transpoſitiones ſeu combinationes ſunt poſſibiles, tot etiam modi dantur. 2) Cum autem aliqui tantum ſint, qui regulis ſyllogiſticis conformes ſunt, quique adeo in ſyllogismis legitimis adhiberi poſſunt; ideo modos legitimos, ſeu qui concludunt, ab illegitimis diſtinguemus. 3) Hinc ut eo facilius perſpicias, quomodo a legitimis illegitimi ſyllogismi diſtingui debeant, ſequentem habeas regulam: „Si vo„cales adfuerint, quae nulli modorum mox

„re-

Digitized by Google

„ recenſendorum reſpondeant, tunc ſyllo-
„ gismum non quadrare ad modum, certo
„ colligas velim. „

Scholia.

1) Unde ſequentes verſus: " Aſſerit A, ne-
„ gat E, ſed univerſaliter ambae: aſſerit
„ I, negat O, ſed particulariter ambo. „

2) *Leibnitius* de arte combinator. Probl. 2. n. 15. p. 13.
Hanſchius; item *Croſa* in Log. p. 572.

3) Vocalibus omnium figurarum modos ſignificantibus Veteres addiderunt *conſonantes*, et vocabula inde orta in *verſiculos* mutarunt, memoriae facile imprimendos.

bArbArA, cElArEnt, *primae*, DArII, fErIOque, cEsArE, cAmEſtrEs, fEſtInO *ſecundae*. *Tertia* dArAptI *ſibi vindicat atque* fElAptON. *adjungens* dIsAmIs, dAtIsI, bOcArdO, fErIsOn. bArAmIs, cAmEntEs, dImAtIS, fEsApO, frEsIſON. (*quartae.*)

Non autem ſolius memoriae aut euphoniae gratia adjunctae ſunt vocales, ſed praecipue propter *reductionem* caeterarum figurarum ad primam. Tu interim judica, quanti aeſtimanda ſint haec vocabula utut barbara, cum multis admodum terminis ſcribere debeas, mi Lector! quod ſignificat unicum *felapton*. §. 121.

§. 121.

Facilioris intelligentiae causa ſubjungere juvat exempla ſingulorum modorum.

Primae figurae modi.

bAr | omnis homo ſiſtetur aliquando coram judicio divino;
b A | omnis Princeps eſt homo: ergo
r A | omnis Princeps ſiſtetur aliquando coram judicio divino.

c E | Nullus homo impius ſalvatur;
l A | omnis Atheus eſt homo impius: ergo
r Ent | nullus Atheus ſalvatur.

d a | Quicunque amat peccatum, diſplicet DEo.
r I | Quidam Chriſtianus amat peccatum: ergo
I | Quidam Chriſtianus diſplicet DEo.

f E | Quicunque non credit in DEum, non poteſt ſalvus fieri.
r I | Quidam homo non credit in DEum.
O | ergo quidam homo non poteſt ſalvus fieri.

Secundae figurae modi.

c E | Nullus vir bonus officium ſuum deſerit:
A r | Omnis Rebellis officium ſuum deſerit.
E | Ergo nullus Rebellis eſt vir bonus.

Omnis

Digitized by Google

cAm Omnis vir bonus eſt laudandus:
E ſ Nullus ſcortator eſt laudandus.
trE ſ Ergo nullus ſcortator eſt vir bonus.

fE ſ Nulla virtus eſt fugienda.
I Quaedam actio virorum magnorum eſt fugienda.
nO Ergo quaedam actio virorum magnorum non eſt virtus.

bAr Omnis homo pius cogitat mortem.
O c Quidam ſtudioſus non cogitat mortem.
ergo
O. Quidam ſtudioſus non eſt homo pius.

Tertiae figurae modi:

dAr Omnis Ars liberalis eſt utilis.
Ap Omnis Ars liberalis eſt difficilis. Ergo
t I Quoddam difficile eſt utile.

fE l Nullus ſtultus ſapit.
A p Omnis ſtultus eſt homo. Ergo
tO n Quidam homo non ſapit.

dI s Quidam Hiſtoricus mentitur.
Am Omnis Hiſtoricus debet dicere verum.
Ergo
I s Quidam, qui debet verum dicere, mentitur.

dAt Omne vitium eſt fugiendum.
I s Quoddam vitium videtur eſſe virtus.
Ergo
I Quoddam, quod videtur eſſe virtus, eſt fugiendum.

Digitized by Google

bOc Quidam homo non est doctus.
Ar Omnis homo vult videri esse aliquid.
Ergo
dO Quidam, qui vult videri esse aliquid, non est doctus.

fEr Nullum tempus inutiliter est consumendum.
Is Quoddam tempus recreationi datur.
Ergo
On Quoddam tempus, quod recreationi datur, non est inutiliter consumendum.

Figurae quartae modi.

bAr Omnis homo est animal.
Am Omne animal est substantia. Ergo
Is Quaedam substantia est homo.

cAm Omnis virtus est medium inter excessum et defectum.
En Nullum vitium est medium inter excessum et defectum.
tEs Ergo nullum vitium est virtus.

dI Aliqua motio fluoris nervei est affectus.
mA Omnis affectus turbat attentionem.
Ergo
tIs. Aliquid, quod turbat attentionem, est motio fluoris nervei.

fE Nulla virtus animi tranquillitatem aufert.
fA Omne, quod animi tranquillitatem aufert, est fugiendum.
pO Ergo aliquid, quod est fugiendum, non est virtus.

Digitized by Google

frE{ Nullus impius adimplet legem DEi.
fI{ Quidam homo adimplet legem DEi.
fOn{ Ergo quidam homo non eſt impius.

Scholia.

Quatuor hae figurae igitur nihil ſunt aliud, quam *claſſes ſyllogismorum generales, per diverſas medii termini cum extremis combinationes in praemiſſis determinatae.* Ponamus enim b medium, c majorem, et a minorem terminum. Et quater variari poteſt diſpoſitio, ſcilicet poſſibiles ſunt majores duae b -- c et c -- b. ;item duae minores a -- b -- et b -- a, atque concluſio una, quae eſt a -- c. Jam utramque majorem cum utraque minore combinatam praeponamus concluſioni, et habebimus ſequentes quatuor combinationes ſeu figuras

b -- c	c -- b	b -- c	c -- b
a -- b	a -- b	b -- a	b -- a
a -- c	a -- c	a -- c	a -- c

Alii excogitarunt in hac quarta figura ſequentes modos. *Cadere, ſedibo, digami, fegano* et *Batani.* Aſt cum in *prima* figura conſequentia maxime prona ſit et expedita, in *quarta* autem ſatis perplexa, et perquam contorta, ideo plerisque haec quarta videtur ſuperflua. Vocatur alias *Galénica*, ab inventore ſuo *Galeno*, celeberrimo Medico, ut quidam ſentiunt, cognominata, aut, uti aliis placet,

Digitized by Google

placet, a Scoto inventa. In primo modo figurae quartae termini ſyllogismi ita ponuntur, ut medius in propoſitione majori locum praedicati et in minore locum ſubjecti teneat.

§. 122.

Hucusque ſatis dictum de ſyllogismis, in quibus *formae ordinariae* habetur ratio. Quoniam autem etiam ſyllogismi dantur, in quibus forma ordinaria occultatur, vel ab eadem receditur, hinc etiam annectere juvat ſequentem doctrinam. *Syllogismus*, in quo forma ordinaria aut per *propoſitionum transpoſitionem* 1) aut per *aequipollentiam* earundem, 2) aut *per praemiſſae alterutrius omiſſionem* 3) occultatur, vocari ſolet *crypticus*.

Scholia.

1) *Omnis mens cogitat: atqui omne quod cogitat, eſt ſpiritus. Ergo omnis mens eſt ſpiritus.* In hoc ſyllogismo turbatur ordo, et minor praeponitur majori. 2) "Nemo, niſi Mathematicus, ad interiorem modernae Philoſophiae notitiam pervenit. Atqui Mevius, Matheſeos doctrina claret; ergo Mevio patent portae ad Sanctuaria hodiernae Philoſophiae." Aſt operoſius non eſt inhaerendum huic luſui veterum ſcholaſticorum. 3)

Digitized by Google

Omnis homo eſt animal rationale. Ergo Sejus eſt animal rationale. Ubi minor eſt omiſſa, *atqui Sejus eſt homo.* Item *Sejus eſt homo*: ergo *Sejus eſt animal rationale.* Ubi major exulat. Talis ſyllogismus cryptícus alias dicitur *enthymematicus* ſeu *Enthymema.* Huc pertinet quoque ſyllogismus *contractus*, in quo concluſio tantum adeſt, annexo termino medio: e. gr. *cogito*: ergo *ſum*, id eſt: quicunque cogitat, ille eſt: atqui ego cogito; ergo ego ſum ſeu exiſto.

§. 123

Syllogismus, qui a forma ordinaria recedit, eſt multiplex. Nimirum huc referuntur ſyllogismus *compoſitus*, *inductio*, *ſorites* et *epicherema.* Eſt autem ſyllogismus compoſitus ille, qui conſtat propoſitione compoſita, qualis eſt conditionalis, ſeu hypothetica, disjunctiva, et copulativa. In ſyllogismo *hypothetico* ſeu *conditionali* majoris propoſitionis pars, quae de ſubjecto conditionem enuntiat, ſeu particulam conditionalem ſibi praefixam habet, vocatur *antecedens*; *conſequens* econtra, quae ſubjecto praedicatum adſcribit. Nexus autem inter antecedens et conſequens nuncupatur *conſequentia.*1) quoties in hypothetico membrum aliquod praemiſſae ita repetitur,

uti

uti in eodem reperitur, tunc dicitur illud membrum *poni*. Sin contradictorium ejus praemissae asseritur, tunc dicitur illud membrum *removeri*. 2) Hic syllogismus duplicem habet modum, vel enim ponit antecedens, ut inde concludat consequens, 3) vel tollit, seu removet consequens, ut tollat seu removeat antecedens. 4)

Scholia.

1) *Si definitio affirmativa entis simplicis haberi nequit, tunc sufficit negativa: atqui affirmativa haberi nequit: ergo sufficit negativa.* Hoc propositionis majoris membrum: si definitio affirmativa entis simplicis haberi nequit, dicitur *antecedens*. Illa propositio: tunc sufficit negativa, nuncupatur *consequens*, quae plerumque per particulam *tunc* indicatur. 2) *Si homo est rationalis, tunc est docilis et libertatis capax.* In hac majori *ponitur* antecedens. *Homo est rationalis:* haec propositio: in minore nimirum repetitur ita, uti in majori habetur: *atqui homo est rationalis:* Quodsi vero dixerimus: " Si Mevius puellarum amoribus capitur, tunc „ perdit tempus studiis literarum sacrum. „ Atqui Mevius non perdit tempus literarum „ studiis sacrum, ergo Mevius puellarum a„ moribus non capitur. „ Tunc removemus antecedens; asserimus enim in minore con-

tradictorium ejus, quod in majori propoſitione affirmabamus. Idem contingit in ſequenti ſyllogismo; *ſi Sempronius colit virtutem, et vitae decus, tunc erit Deo et hominibus gratus*: atqui *Sempronius nec virtutem nec vitae decus colit*: ergo *non erit Deo et hominibus gratus.*

3) Exemplum prioris modi eſt ſequens ſyllogismus. *Si caſtitas juvenem Deo reddit et homininibus acceptabilem, tunc eſt colenda*: atqui *caſtitas juvenem Deo reddit et hominibus acceptabilem*: ergo *caſtitas eſt colenda.* Hic modus ſyllogismorum dicitur *ponens*, quia ponitur antecedens, ut ponatur conſequens.

4) *Si mundus eſt ens neceſſarium, tunc per ſuam eſſentiam exiſtit*, atqui *mundus per ſuam eſſentiam non exiſtit*: ergo *mundus non eſt ens neceſſarium.* Hic modus vocatur *tollens*, quia hic removetur conſequens, ut removeatur antecedens. Ne autem, quando diſputamus, aut operoſius ſcribimus, in modo *ponente* antecedens iisdem verbis repetere neceſſe habeamus, Philoſophi ita ſeſe exprimere ſolent compendioſius: " atqui verum eſt prius: ergo etiam poſterius: „ in *tollente* modo econtra ita ſubſumunt: " atqui falſum eſt poſterius; ergo etiam prius. „

§. 124.

Syllogismus disjunctivus eſt, cujus major propoſitio eſt disjunctiva, et quidem *completus*, ſi major eſt disjunctiva completa: *incomple-*

tus

tus econtra, quoties major est incompleta. 1) Syllogismus disjunctivus duos numerat modos argumentandi, quorum primus ita concludit, ut membrum disjunctum tollatur, et alterum assumatur. 2) Secundus vero, ut unum membrum disjunctum assumatur, et reliquum tollatur. 3)

Scholia.

1) " Omnis homo aut est animal rationale „ aut irrationale: atqui non est animal ir- „ rationale: ergo est rationale animal. „ Syllogismus disjunctivus est completus, quia propositio disjunctiva major est completa; non enim plura membra dividentia animalis dantur, quam isthaec duo. " Omnis mo- „ neta vel est aurea vel argentea: atqui non „ est aurea: ergo est argentea „ Iste Syllogismus disjunctivus est incompletus, quia propositio major ejusdem est incompleta: dantur enim plura membra dividentia monetae, quam duo; sic potest haberi cuprea moneta, et tempore belli etiam coriaria et papyracea.

2) " Anima humana vel est ens simplex vel „ compositum: atqui non est compositum: „ ergo anima humana est ens simplex. „

Digitized by Google

3) " Anima humana vel est ens creatum „ vel increatum: atqui est ens creatum: „ ergo non est ens increatum. „ Interim ad veritatem syllogismi requiritur, ut membra majoris vere disjuncta sint. Hinc male concludit sequens syllogismus. " Mahumetani „ aut blasphemant Christum, aut in eum „ credunt: atqui non blasphemant Christum: „ ergo credunt in Christum. „ Nam in aliquem credere, et aliquem blasphemare non sunt membra vere disjuncta; quamvis enim Christiani credant in Christum, sunt tamen interdum e Christianis, qui Christum nescio qua petulantia blasphemiis proscindunt.

§. 125.

Syllogismus copulativus est, in quo major propositio, quae semper negans esse debet, duas propositiones mediante copula conjungit, quarum alteram minor affirmat, alteram autem conclusio negat.

Scholion.

" Nemo potest simul et Deo servire et „ Mammoni: atqui avarus servit Mammoni: „ ergo non servit Deo. „ Male concludit autem sequens: " Homo potest Christum pro„ fiteri, et impie vivere: atqui Judaei quidam „ improbe vivunt: ergo Judaei Christum pro-

„ fi-

„ fitentur. „ Nam major non eſt negativa, et dein non proceditur in dato ſyllogismo a poſitione unius ad remotionem alterius membri.

§. 126.

Quoties in argumentatione propoſitiones conditionales cum disjunctivis connectimus, toties oritur ſyllogismus, qui dilemma vocatur. 1) Alias etiam ſyllogismus *cornutus* aut *crocodilinus* audit, aut pro numero membrorum etiam *trilemma* &c. *tetralemma* &c. ſyllogismus hic hypothetico-disjunctivus eſt negans, id eſt, talis cujus major propoſitio eſt hypothetica cum conſequente disjunctivo; minor autem ſingula conſequentis membra disjuncta negat, ut concluſio neget antecedens: 2) Hic ſyllogismus ſervit quidem ad adverſarium de aliqua theſeos ſuae abſurditate convincendum, at in ſophisma tamen facile degenerat, ſi vel membra non ſint oppoſita 3) vel quaedam omiſſa 4) vel conſectarie ex ſingulis membris non fluant neceſſario 5) vel non ſint ejusdem ponderis. 6).

Scho-

Digitized by Google

Scholia.

1) " Si ens ſimplex naturaliter ex alio ente „ oritur, tunc aut ex ente ſimplici aut „ ex ente compoſito oriri debet. *Atqui* „ neque ex ente ſimplici neque ex ente „ compoſito ens ſimplex oriri poteſt: *ergo* „ ens ſimplex naturaliter ex alio ente o- „ riri non poteſt. „ 2) Si eclipſis in quadraturis poſſet obſervari, tunc illa vel eſſet ſolaris vel lunaris. Atqui eclipſis non eſt ſolaris: contingit enim ea in novilunio: nec lunaris; evenit enim ea in plenilunio. Ergo in quadraturis nulla eclipſis obſervari poteſt. 3) Hinc bona eſt ratiocinatio Servatoris: *aut bene ſum locutus, aut male? ſi male, cur non probas? ſi bene, quid me verberas? Poculum vel eſt aureum vel argenteum: atqui non eſt aureum; ergo eſt argenteum*: conclüſio non valet, omiſſum enim eſt *vitreum, ſtanneum. &c.* 5) " Si juſtitiam ad- " miniſtras, aut bene aut male adminiſtras: „ ſi bene, offendes homines: ſin male, offen- „ des Deum: ergo plane non adminiſtrabis. „ Ex eo enim, quod bona juſtitiae adminiſtratio pariat offenſam hominum, non ſequitur, quod adminiſtratio ejus debeat omitti: cum per omiſſionem juſtitiae aeque offendatur DEus, ac per malam ejus adminiſtrationem, et offenſa hominum non tanti ſit aeſtimanda, ut propter eam omitti debeat bona juſtitiae adminiſtratio. 6) *Dilem-*

lemmatis regulae, prouti ex ejus definitione clareſcit, deſumendae ſunt ex regulis disjunctivorum et hypotheticorum ſyllogismorum: eſt enim *dilemma* nihil aliud, quam ſyllogismus hypotheticus, cujus conſequens eſt propoſitio disjunctiva, et totum tollitur.

§. 127.

Syllogismis, a forma ordinaria recedentibus inductio annumeratur. *Inductio* eſt modus argumentandi, quo illud de ſuperiori univerſaliter affirmatur vel negatur, quod de inferioribus ſingillatim antea affirmatum vel negatum eſt: 1) eſtque inductio duplex, vel *completa*, ſi ex omnibus inferioribus concluditur; 2) ſin ex quibusdam, *incompleta*. 3) Fundamentum inductionis eſt: "Quidquid convenit ſingulis individuis, id quoque convenit ſpeciei; et quidquid convenit ſingulis partibus ſeu ſpeciebus, illud etiam toti generi convenit, ſub quo ſpecies illae continentur." Quoniam inductio completa conſiſtit in ſimilitudine inferiorum omnium, conſe-

ſequens eſt, ut *inductio completa* bene concludat, *incompleta* autem minus. 4) Inductio autem *incompletiſſima*, ſeu quae ab uno inferiori ad ſuperius concludit, dicitur *exemplum*, quo concludendi modo utuntur *Rhetores*. Huc pertinet etiam argumentum ab *analogia* petitum: eſt autem hocce argumentum nihil aliud quam argumentatio a ſimilitudine rerum ad ſimilitudinem earum latentem concludens, id quod in conjecturis praeſertim phyſicis locum habet. E. gr. Canis non gaudet ſono articulato, adeoque non vi abſtrahendi, etſi polleat vi ſentiendi et imaginandi, uti infra.

Scholia.

1) Nomine *Inferiorum* intelligimus *individua* reſpectu ſpecierum, uti et *ſpecies* reſpectu generum: hinc vice verſa *ſuperiora* nuncupantur reſpectu ſpecierum *genera*, et reſpectu individuorum *ſpecies*. 2) "Infans, puer, adoleſcens, „ juvenis, vir, ſenex pravis cupiditatibus ſub„ jecti ſunt: ergo omnis aetas humana pra„ vis cupiditatibus ſubjacet. 3) Si David, „ ſi Abraham, ſi Iſaac et Jacob per fidem „ juſtificati ſunt, nec inventus quiſpiam eſt, „ qui non per fidem juſtificatus, tunc omnes

„ homi-

„ homines per fidem juſtificantur: „ atqui: ergo. 4) "Habemus inter inſtrumenta noſtra „ mathematica metallica circinum aureum, „ argenteum, cupreum, ſtanneumque: ergo „ ex omni metallo habemus circinos. „ Eſt inductio incompleta: deeſt enim *circinus ferreus*. In cane deprehendimus organa ſenſoria humanis ſimilia, membra diverſimode mobilia, inteſtina, quin et cerebrum humano ſimile. Ergo etiam in cane datur anima, mutationum in organis et corpore exiſtentium conſcia, motusque corporis pariter decernens, atque imaginatione et memoria pollens, non item ratione. Quae interea hactenus de *modis, figuris et expoſitionibus ſyllogismorum tam ordinatiorum, quam a forma ordinaria recedentium* dicta ſunt, ſolida quidem ſunt, et neutiquam, ceu vulgus ſibi perſuadet, abſurda et ſupervacanea: at non ita neceſſaria tamen, ut de verbo ad verbum memoriter addiſcantur: ſufficit, modo capiantur intellectu, et per frequentiorem ſolito uſum in praxin deducantur, atque termini artificiales retineantur.

§. 128.

Sorites eſt ſyllogismorum latentium coacervatio, in qua plures praemiſſae ita ſe ſe excipiunt, ut praedicatum praecedentis ſemper fiat ſubjectum ſequentis, et tandem ex

ſub-

ſubjecto primae praemiſſae fiat ſubjectum concluſionis, et ex praedicato ultimae fiat praedicatum concluſionis. 1) Quodſi ſorites in ſyllogismos ordinarios reſolvatur, ſequentia ſunt obſervanda. 1) Tot ſyllogismi ordinarii dantur in ſorite, quot propoſitiones primam inter et ultimam interjacent. Dein ſecunda ſoritis propoſitio fit major *primi* ſyllogismi propoſitio, prima econtra ſoritis propoſitio fit minor *primi* ſyllogismi propoſitio, atque ita formatur concluſio *primi ſyllogismi.* Jam haec concluſio primi ſyllogismi fit minor propoſitio in *ſecundo* ſyllogismo, tertia econtra ſoritis propoſitio fit major propoſitio ſecundi ſyllogismi, atque hinc denuo formatur concluſio. 2) Dantur etiam *ſorites hypothetici*, qui autem iisdem ſtringuntur legibus, aut certe ſine ullo negotio in categoricos reſolvuntur. 3) *Sorites Goclenianus* eſt ordinarius inverſus, neque peculiari nomine dignus.

Scholia.

1) *Homo virtuti deditus pollet perfectionibus: omnis homo, qui pollet perfectionibus, eſt felix:*

omnis

Digitized by Google

omnis felix perpetuo fruitur gaudio. Qui autem *perpetuo fruitur gaudio, ille nunquam eſt triſtis.* Ergo *homo virtuti deditus nunquam eſt triſtis.* 2) Praefatus ſorites in ſequentes transformatur ſyllogismos. *Primus.* Omnis homo, qui pollet perfectionibus, eſt felix. Atqui homo virtuti deditus pollet perfectionibus: ergo homo virtuti deditus eſt felix. *Secundus.* Omnis felix perpetuo fruitur gaudio: atqui homo virtuti deditus eſt felix; ergo homo virtuti deditus perpetuo fruitur gaudio. *Tertius.* Qui perpetuo fruitur gaudio, ille nunquam eſt triſtis: atqui homo virtuti deditus perpetuo fruitur gaudio. Ergo homo virtuti deditus nunquam eſt triſtis. 3) Si anima humana eſt ens ſimplex, tunc eſt indiviſibilis: ſi eſt indiviſibilis, tunc eſt incorruptibilis: ſi autem eſt incorruptibilis, tunc naturaliter perpetuo durat: ergo ſi anima humana eſt ens ſimplex, tunc naturaliter perpetuo durat. Iſte ſorites hypotheticus facile reſolvitur in *categoricum*, qui ſequitur. Anima humana eſt ens ſimplex: Ens ſimplex eſt indiviſibile: Ens indiviſibile eſt naturaliter incorruptibile: Ens naturaliter incorruptibile perpetuo durat: ergo anima humana perpetuo durat. Caeterum cautela opus eſt, ne *aliqua propoſitio falſa in ſoritem irrepat.* Alias concluſio quoque ſequeretur falſa: et *ne plus in concluſione inferatur, quam in praemiſſis habuimus.*

§. 129.

Digitized by Google

§. 129.

Epicherema est syllogismus, cujus propositioni vel majori vel minori, vel utrique compendii causa adjicitur probatio seu Aetiologia. 1) Syllogismus, cujus conclusio est praemissa alterius, nominatur Prosyllogismus: cujus praemissa econtra est conclusio alterius, nuncupatur *Episyllogismus.* 2) Series syllogismorum concatenatorum facit *ratiocinationem polysyllogisticam*, et quidem *puram*, si omnes fuerint categorici, *mixtim vero compositam*, si fuerint ratiocinia cujusvis generis. 3) De syllogismis *modalibus* et *exponibilibus* non est, quod multa dicamus; cum enim, qui naturam propositionum modalium atque exponibilium, id est, exclusivarum, exceptivarum, restrictivarum atque comparativarum, supra explicatam recte intelligit, atque recordatur, exponibilium sensum non intelligi, nisi in duas resolvantur propositiones, is non potest non et naturam horum syllogismorum cognoscere et perspectam habere.

Scholia.

1) Qui partem primam Logicae fideliter didicit,

dicit, poteſt in ſecunda parte feliciter progredi: *Continet enim illa theoriam, haec praxin; illa principia, haec principiata.* Atqui Lectores et Auditores diligentes partem primam fideliter didicerunt: *frequentes enim fuerunt in ſcholis et admodum attenti;* ergo Lectores et Auditores diligentes potuerunt in ſecunda parte feliciter progredi.

2) Quoniam eadem eſſe debet proſyllogismi concluſio, et epiſyllogismi praemiſſa, neceſſe omnino eſt, ut nihil quicquam mutetur in concluſione, dum illa adhibetur tanquam praemiſſa ſequentis. *Concatenari* enim dicuntur ſyllogismi, quorum unius concluſio eſt alterius praemiſſa.

3) Exemplum talis concatenatae ratiocinationis in materia Contractuum dabimus ad finem partis ſecundae ſeu practicae.

§. 130.

Et haec ſunt principia *prima*, tum *ſecunda*, ſeu ex primis deducta, quae alias etiam regulae vocantur, et quibus tam in genere, quam in ſpecie omnes ſyllogismi ſunt dirigendi. Quodſi hae regulae nimis multae videantur, hanc unam pro omnibus ſyllogismis tam ſimplicibus quam compoſitis, modalibusque &c. obſerva, quae regula eſt omnium

nium *ſynoptica. Quoties conſequens non continetur in antecedente, ſeu in alterutra praemiſſarum, argumentatio eſt mala: Quoties vero conſequens ſeu propoſitio deducta continetur in antecedente, ſeu in una praemiſſarum, toties argumentatio eſt bona.* Ratio hujus *regulae ſynopticae* eſt clara; quomodo enim ex alio deduces, quod in alio non eſt, e. gr. *aurum* ex crumena, in qua aurum non eſt, vel *gladium* ex vagina, in qua gladius non eſt? Cum enim omnis bona argumentatio ſit illatio unius propoſitionis verae ex alia propoſitione vera: et una propoſitio ex alia non poſſit inferri, niſi in illa contineatur, hinc conſequens in antecedenti contineri oportet.

Scholion.

Hinc ſequens ſyllogismus eſt bonus: „ omnis homo eſt bipes: atqui Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt bipes. „ Cum enim particularis iſta propoſitio: *Petrus eſt bipes*, contineatur in illa generica: *omnis homo eſt bipes*, hinc ex generica bene poſſum particularem deducere; econtra iſte ſyllogismus eſt malus: „ Omnis homo eſt animal implume bipes: atqui pullus plumis privatus „ eſt animal implume bipes: ergo pullus plu-

„ plumis privatus est homo. „ Cum enim hic sermo sit de essentia hominis, quae in animalitate et rationalitate consistit, atque bina illa praedicata *implume bipes* non ad essentiam, sed solum ad proprietates hominis pertineant: pullus econtra cum homine quidem quasdam proprietates potest habere et habet communes, etsi in praedicatis essentialibus, saltem in rationalitate ab eo differat, consequens est, ut illatio seu conclusio sit falsa, cum pullus sub praedicato essentiali rationalis animalis non contineatur. Pariter malus est sequens syllogismus modalis: " Omne animal movetur: atqui Pe„ trus necessario est animal: ergo Petrus „ necessario movetur. „ Cum enim conclusio non contineatur in una praemissarum, et ex eo, quod *omne animal moveatur*, non sequatur, quod animal aliquod necessario moveatur, hinc plus in consequente infertur, quam invenitur in antecedente, et consequenter peccatur contra supra allatam regulam syllogismorum synopticam.

§. 131.

Egimus hactenus de principiis syllogismi *dirigentibus*, iisque tam *logicis* quam *metaphysicis*, atque de *regulis generalibus* aeque ac *specialibus* ex uno alteroque principiorum praefa-

ſatorum deductis, ad quarum dictamen et praeſcriptum ſyllogismus conſtrui debet. Superſunt *principia perficientia*, quae nihil ſunt aliud, quam certa quaedam media, per quae *ſyllogismi imperfecti* ad perfectos reducuntur, ut bonitas illationis in eis clarior evadat. Sunt autem tria principia perficientia, ſcilicet *expoſitio*, *converſio* et *transpoſitio*, atque inde triplex eſt *reductio* ſyllogismi *imperfecti* ad *perfectum*, ſcilicet per *expoſitionem*, *oſtenſionem* et *impoſſibile*.

§. 132.

Reductio per Expoſitionem eſt medium, quo ſyllogismus imperfectus, cujus medius eſt terminus communis, ad ſyllogismum expoſitorium ita reducitur, ut loco medii communis ſubſtituatur terminus medius ſingularis, et ex hoc eadem inferatur concluſio, quae ex illo illata erat.

Scholia.

Sequens ſyllogismus communis eſt in Darapti: *Omnis equus eſt hinnibilis: atqui omnis equus eſt animal: ergo aliquod animal eſt hinnibile.* Ponamus nunc, a te praemiſſas concedi, et neſcio qua temeritate conſequentiam

Digitized by Google

tiam negari. In hoc casu substituendus est alius medius terminus, scilicet *singularis* sub-equo contentus, e. gr. *Bucephalus*, et sequens formandus est syllogismus. *Bucephalus est hinnibilis*: *Bucephalus est animal*: ergo *aliquod animal est hinnibile.* Cum hic posterior syllogismus, scilicet *expositorius*, eandem inferat conclusionem luculentissime, quam prior syllogismus communis intulit, plane ridiculum te faceres, si et conclusionem expositorii eodem contradicendi pruritu negare velles, quo conclusionem syllogismi communis negare non erubuisti. Dicitur autem *syllogismus expositorius*, in quo pro medio termino communi singularis substituitur, sub priori contentus.

§. 133.

Reductio per ostensionem est medium, quo praemissae syllogismi imperfecti transponuntur seu convertuntur, ita, ut imperfectus syllogismus in modo, qui incipit a litera C, constitutus, ad modum perfectum, qui ab eadem litera C initium capit, fit reducendus; et sic de caeteris. 1) Dantur enim *quatuor modi perfecti*, qui ab una ex his quatuor consonantibus B. C. D. F. incipiunt: et omnes omnium figurarum modi imperfecti ab iisdem consonantibus pariter inchoant. 2)

Scho-

Digitized by Google

Scholia.

1) Sic *Cesare* reduci debet ad *celarent*, et *festino* ad *ferio* &c. Qua ratione autem praemissae transponendae sint, satis indicant consonantes quatuor S. P. M. C., quas in modorum imperfectorum vocabulis facile invenis.

Id quod signatur per sequentes versiculos.
S, vult simpliciter verti: P, vero per accid.
M, vult transponi: C per impossibile duci.

Per literam S. significatur, quod praemissa per vocalem proxime praecedentem denotata *simpli iter* converti debeat. Litera P. indicat, eam esse convertendam per accid. M manifestat, praemissas ita esse transponendas, ut ex Majori evadat minor. Litera C, denique in medio posita, e. gr. in Baroco, et Bocardo, innuit non aliter, quam per impossibile fieri reductionem.

2) Syllogismus in *fapesmo* e. g. reducatur ad *ferio* sequentem in modum. *Omnis homo est rationalis:* atqui *nullus leo est homo:* ergo *aliquod rationale non est leo.* Antecedens syllogismus ad Ferio ita reducitur. *Nullus homo est leo:* atqui *aliquod rationale est homo:* ergo *aliquod rationale non est leo.* Haud absimiliter syllogismus in *Camestres: omnis virtus est ornamentum juventutis: nulla blasphemia est ornamentum juventutis:* ergo *nulla blasphemia est virtus;* reducitur ad *celarent* hunc in modum. *Nullum*

Digitized by Google

lum ornamentum juventutis eſt blasphemia: atqui *omnis virtus eſt ornamentum juventutis*: ergo *nulla virtus eſt blasphemia.*

§. 134.

Reductio per impoſſibile eſt medium, quo ex una praemiſſarum ſimul et ex contradictoria concluſionis immediate vel mediate 1) contradictoria aut ſaltem contraria alterius praemiſſae eruitur atque infertur, 2) ad convincendum eum, qui conceſſis ſyllogismi imperfecti praemiſſis praefracta fronte negat conſequentiam ejusdem. Cum enim ex principio contradictionis impoſſibile ſit, aliquid eſſe et non eſſe, artificio autem reductionis per impoſſibile convictus adverſarius duo contradictoria, aut duo ſaltem contraria ſimul eſſe vera admittere nolens volens cogitur, conſequens eſt, ut reductio per impoſſibile ſit medium, adverſarium quemvis proterve negantem eousque adigendi, ut, quod eſt impoſſibile, concedere debeat.

Scholia.

1) *Modus* eſt apta propoſitionum diſpoſitio in ſyllogismo ſecundum quantitatem et quali-

Digitized by Google

qualitatem, uti ſupra diximus. Cum propoſitiones in primis tribus ſyllogismorum figuris novendecim modis ſecundum quantitatem et qualitatem utiliter diſponi poſſint, hinc ob oculos ponere juvat novendecim modos quatuor hiſce verſiculis incluſos.

Barbara, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*, *Baralipton*,
Celantes, *Dabitis*, *Fapesmo*, *Friſeſomorum*,
Ceſare, *Cameſtres*, *Feſtino*, *Baroco*, *Darapti*,
Felapton, *Diſamis*, *Datiſi*, *Bocardo*, *Feriſon*.

Per novem prima vocabula *Primae*, per ſequentia quatuor *ſecundae*, et per ſex reliqua *tertiae* figurae modos indicamus. Ex his novendecim modis alii tamen *directe*, alii *indirecte* concludunt. *Directe* concludunt illi, in quorum concluſione majus extremum de minori praedicatur. Tales ſunt quatuor primi modi *primae figurae*, et omnes modi *ſecundae* ac *tertiae figurae*. *Indirecte* concludunt econtra illi, in quorum concluſione minus extremum de majori praedicatur: et ſunt quinque poſteriores modi primae figurae, ſcilicet *Baralip. Celantes*, *Dabitis*, *Fapesmo*, *Friſeſom.* In gratiam ſtudioſae juventutis pro quinque modis indirectis primae figurae ſubjungimus exempla. In Baralip eſt ſequens: *omne animal eſt vivens: atqui omnis homo eſt animal: ergo aliquod vivens eſt homo.* In Celantes eſt ſequens: *nullum animal eſt arbor: atqui omnis homo eſt animal: ergo nulla arbor eſt homo* In Dabitis eſt ſequens: *omnis homo eſt ſubſtantia: atqui aliquod animal eſt homo: ergo aliqua ſubſtan-*

ſtantia eſt animal. In Fapesmo deprehenditur ſequens: *omnis homo eſt animal: nullum brutum eſt homo*: ergo *aliquod animal non eſt brutum.* In Friſeſom locum habet ſequens, *aliquod vivens eſt homo*: atqui *nullum metallum eſt vivens*: ergo *aliquis homo non eſt metallum.* Jam in *Dabitis* et *Friſeſom* contradictoria minoris per converſionem infertur. Econtra in *baralip* et *fapesmo* contraria minoris per converſionem, id eſt, mediante converſione infertur. Tum in *Celantes* contradictoria majoris inferri poteſt: in caeteris modis denique ſemper vel contradictoria vel contraria alterius ex praemiſſis *immediate*; id eſt, absque omni converſione infertur. 2) In his quatuor modis baralip, fapesmo, darapti, et felapton infertur contraria alterius praemiſſae. In reliquis autem modis contradictoria alterutrius praemiſſae.

§. 135.

Reductio per impoſſibile locum habere et fieri poteſt in omnibus trium figurarum modis imperfectis ad quatuor modos primae figurae perfectos. Unde verifice deſcribuntur pro ſingulis figuris ſequentes tres regulae. Pro prima figura: *Major fit minor, ut ſit contradictio majori.* Pro ſecunda figura: *Servat majorem, variatque ſecunda minorem.* Pro tertia: *Tertia majorem variat, ſervatque minorem.*

Scho-

Scholion.

Ad quemnam ex quatuor modis perfectis debeant reduci ſyllogismi perfecti, optime dignoſcitur ex diſpoſitione praemiſſarum ſecundum quantitatem et qualitatem. E. gr. ſi ſecundum regulas ſingulis figuris praefixas aſſumendo contradictoriam concluſionis, et alteram ex praemiſſis retinendo invenias, duas praemiſſas eſſe univerſales affirmativas, ſyllogismus iſte imperfectus reducendus venit ad *Barbara*, utpote cujus praemiſſae pariter ita diſpoſitae ſunt; ſin autem deprehendas praemiſſam unam univerſalem negativam, alteram vero univerſalem affirmativam, reducatur oportet ad *Celarent*; et ſic de reliquis.

§. 136.

Senſus hujus regulae: *Major ſit minor, ut ſit contradictio major*, eſt ſequens: ſi concluſio negatur, tunc contradictoria concluſionis negatae fiat major: econtra ejusdem ſyllogismi major fiat minor. Demum Propoſitio mediate vel immediate contradictoria, aut ſaltem contraria minoris conceſſae fiat concluſio.

Scho-

Digitized by Google

Scholia.

Exempli loco ſit nobis ſyllogismus in Dabitis: *omne animal eſt ſubſtantia:* atqui *aliquis cancer eſt animal:* ergo *aliqua ſubſtantia eſt cancer.* Quodſi jam adverſarius tibi concedat praemiſſas, et proterve neget conſequentiam, tunc dabis eum in ruborem, ſi contradictoriam negatae concluſionis loco majoris ſubſtituas, et majorem prius conceſſam in locum minoris reponas, ac denique *mediante converſione* contradictoriam minoris prius aeque conceſſae in concluſione inferas, ut adeo evadat ſyllogismus novus et quidem perfectus in *Celarent.* En operationem: " nulla ſubſtantia eſt cancer: atqui omne animal eſt ſubſtantia: „ ergo nullum animal eſt cancer.„ In hoc caſu minor prioris ſyllogismi, et concluſio poſterioris ſunt duae propoſitiones contradictoriae, et ambae eſſent verae: nam minor prioris ſyllogismi jam antea fuit conceſſa, et concluſio poſteroris etiam deberet concedi, quia poſterior ſyllogismus eſt in probatiſſimo et evidentiſſimo modo *celarent.* Aſt cum nulla regula ſit ſine exceptione, *excipe Celantes, in quo convertitur ordo*, hoc eſt, quoties ſyllogismus imperfectus reperitur in modo *Celantes*, toties oppoſito modo reducitur, minor videlicet fit major, contradictoria concluſionis negatae autem minor, et denique contradictoria Majoris ponitur mediante converſione in locum concluſionis. Sequens ſyl-

logis

logismus est in modo *Celantes*. *Nullum animal est marmor*: atqui *omnis leo est animal*: ergo *nullum marmor est leo*. Reductio hujus syllogismi ad *Darii* est ejusmodi: *omnis leo est animal*. Atqui *aliquod marmor est leo*: ergo *aliquod marmor est animal*. Atque tali modo iterum duae contradictoriae turpiter admitterentur ab adversario.

§. 137.

Regula pro secunda figura: *Servat majorem, variatque secunda minorem*, ita est exponenda. Noli mutare majorem syllogismi imperfecti: contradictoriam conclusionis econtra muta in minorem, et contradictoriam minoris concessae in conclusionem. Atque sic obmutescere cogitur adversarius, qui concessis praemissis syllogismi imperfecti negavit consequentiam.

Scholion.

Exempli causa nobis servit syllogismus in *Camestres* reductus ad *Darii*. Syllogismus imperfectus sic sonat: *omnis homo est rationis et libertatis capax: nullum brutum est rationis et libertatis capax*: ergo *nullum brutum est homo*. Reductus ad Darii autem se habet hunc in modum: *omnis homo est rationis et libertatis capax. Atqui aliquod brutum est homo. Ergo aliquod brutum est rationis et libertatis capax.* Ubi

bi iterum duae contradictoriae interveniunt in conclusionibus, quarum primam negavit, et alteram negare nequit, cum sit in evidentissimo modo *Darii*.

§. 138.

Regula pro tertia figura: *Tertia majorem variat, servatque minorem*, hunc habet sensum. Contradictoria conclusionis transponitur in majorem, et minor concessa manet immutata: contradictoria majoris autem venit in locum conclusionis.

Scholion.

Syllogismus in *Disamis* sit nobis exemplo iste ita sonat. *Aliquod corpus est organicum*: atqui *omne corpus est substantia*: ergo *aliqua substantia est organica*. Jam reducamus eum ad *Celarent* hunc in modum: *nulla substantia est organica*: atqui *omne corpus est substantia*: ergo *nullum corpus est organicum*. Major prioris syllogismi fuit concessa: et conclusio posterioris debet etiam concedi, cum syllogismus posterior sit in optimo modo *Celarent*. Cum autem istae duae propositiones: *nullum corpus est organicum*, et *aliquod corpus est organicum* sint contradictoriae, hinc iterum duae contradictoriae ab Adversario non sine nota pruritus contradicendi turpiter admitti deberent.

Ex

Ex his, quae hucusque dicta sunt, patet ad oculum, *reductionem syllogismorum* esse illam transformandorum syllogismorum methodum, qua syllogismi imperfecti, uti et secundae, tertiae et quartae figurae in syllogismos primae figurae in ordine ad convincendos adversarios permutantur, et per figurae primae, utpote omnium figurarum simplicissimae et naturalissimae consequentias principiis logicis: *dictum de omni et dictum de nullo*, conformantur. Caeterum cum *doctrina de reductione syllogismorum* subtilis quidem, at respectu illius, qui alias naturam eorum bene perspectam habet, superabundans tamen sit, poterit quis ea carere, quoties petit, sibi ut ostendatur vitium syllogismi, cujus praemissae sunt concessae, et consequentia est negata. Ast alio respectu usus syllogismorum in demonstrando est indispensabilis, cum demonstratio nihil aliud sit, quam continua syllogismorum concatenatio. Perillustris Wolfius in suis scriptis philosophicis nonnisi demonstrationibus plerumque usus est, per syllogismos, non explicitos quidem, at implicitos tamen concinnatis; uti Wolfianarum demonstrationum analysin instituenti Lectori ad oculum patebit. Quin ipsi Wolfiani demonstrationes Wolfianas ad lydium lapidem examinaturi eos in syllogismos resolvere solent, non sine fructu certitudinis et jucunditate mentis in analysi isthac se se exercentes.

§. 139.

Digitized by Google

§. 139.

Coronidis loco pauca quaedam adjicere lubet de *consequentiis immediatis*. Jam supra diximus, per conversionem, et oppositionem, quin et aequipollentiam ex definitionibus et aliis propositionibus *immediate* fluere novas propositiones sine comparatione duarum idearum cum tertia. Nunc addamus praecipuas quasdam regulas, quae ad formandas consequentias immediatas nos dirigunt et quasi manuducunt. Est autem *consequentia immediata* hoc loco nihil aliud quam talis argumentandi modus, quo, posita saltem una propositione, ob rationes logicales conclusio simul poni intelligitur. 1) Cum enim in antecedenti comprehendatur *ratio sufficiens consequentis*: 2) posita autem ratione sufficienti poni necesse sit etiam rationatum 3), facile est ad intelligendum, posito generaliter antecedente poni consequens, et sublato consequente generaliter tolli antecedens. 4)

Scholia.

1. Quidquid experiundo capimus, illius ideam habemus: ergo quidquid non experimur,

mur, illius ideam non habemus. Chronologia et geographia sunt duo oculi Historiae: ergo, qui nec chronologiam nec geographiam callet, utroque oculo Historiae caret: qui autem nonnisi alterutram callet, altero Historiae oculo destituitur. Anima hominis est immaterialis: ergo est incorruptibilis: cum sola entia materialia corrumpi possint. 2. Uti patet ex syllogismo conditionali seu hypothetico. In quo enim continetur ratio, cur de subjecto praedicatum enuntietur, id *hypothesin* seu *conditionem* exhibet, *thesin* reliqua. 3. Id, ex quo, cur aliquid potius sit quam non sit, plenarie, id est, ita intelligitur, ut praeterea nihil amplius ad hoc intelligendum requiratur, dicitur *ratio sufficiens*. Sic tempestas calida veris est ratio incrementi plantarum, quia illud ex hac intelligitur: ergo tempestas calida veris est *ratio* incrementi plantarum: cum autem plura ad incrementum earum adhuc requirantur, hinc non est *sufficiens*. Voluntas DEi econtra est ratio sufficiens existentiae mundi, quia haec ex illa plenarie concipitur, et praeter eam nihil requiritur. 4. Hinc noli ex eo, quia negasti et removisti antecedens, removere quoque consequens: e. gr. *si mundus cogitat, tunc existit.* Atqui *mundus non cogitat;* ergo *mundus non existit.* Major enim est falsa, si sumitur exclusive. Nam multae res existunt, etsi non cogitent. Noli etiam ex eo, quia affirmas et pro vero su-

mis

mis consequens: antecedens quoque affirmare. E. gr. *si mundus cogitat, tunc existit: atqui mundus existit*: ergo *mundus existit;* nam nonsolum, si cogitaret, existit mundus, sed etiam, si non cogitet: modo voluntas creatoris eum ad existentiam produxit. Sic pariter male ratiocinaris: *si quis glande sclopeti trajectus est, tunc e vita migravit: atqui Mevius glande sclopeti non est trajectus:* ergo *e vita non migravit.* Nam plura dantur antecedentia, e. g. si capite plexus est, si aqua suffocatus est, si resti suspensus est, si gladio transfossus est &c.

§. 140.

Jam sequuntur *regulae notabiliores* pro formandis consequentiis immediatis. 1) Ab una contradictoriarum propositionum vera ad alteram falsam valida est consequentia. 2) Ab una contrariarum vera ad alteram falsam pariter valet consequentia. 3) A non posse ad non esse valet consequentia. 4) A propositione universali ad aggregationem singularium valet consequentia. 5) A conjugatis ad conjugata sensu aequipollentia valet pariter consequentia. Huc pertinent regulae supra de judiciis subalternantibus et subalter-

Digitized by Google

natis traditae, uti et de ſyllogismis modalibus et exponibilibus ſupra explicatis.

Scholia.

1) Verum eſt, omnem hominem eſſe natum ad decus vitae et libertatem: ergo falſum eſt, aliquem hominem non eſſe natum ad decus vitae et libertatem. 2) Verum eſt, quod omne faſtidium rerum difficilium quidem, at utilium tamen, ſit turpe: ergo falſum eſt, quod nullum faſtidium rerum difficilium quidem, at utilium tamen, ſit turpe. 3) Bis duo non poſſunt eſſe quinque: ergo bis duo non ſunt quinque. Nec baſis, nec cathedus poteſt eſſe longior ſua hypothenuſa: ergo hypothenuſa longior eſt baſi et cathedo. 4) Omnis auditor logices, in hac aula comprehenſus, eſt attentus: ergo et Paulus eſt attentus, et Petrus eſt attentus &c. 5) Virtus eſt optimus et pulcherrimus veſtitus eruditi juvenis: ergo juvenis absque virtute caret optimo et pulcherrimo veſtitu. Homo a mendaciis et calumniis ſibi temperans eſt ubique gratus: ergo acceptus non eſt ubique, qui mentitur et calumniatur. Studium ſyllogismorum eſt remedium contra fallacias etiam ſubtiliſſimas: ergo ope ſyllogismorum facile evitamus errores ſubtiliſſimos.

§. 141.

Digitized by Google

§. 141.

Triplex eſt finis, quem ſibi proponere ſolent Logici, ſcilicet *veritas*, *opinio*, et *apparentia*. Unde triplex enaſcitur ſyllogismorum ſeu ratiociniorum genus, videlicet, *Apodicticum*, *Topicum* ſcu dialecticum, et *Sophiſticum*. *Ratiocinium Apodicticum* eſt, quod ex veris et neceſſariis praemiſſis veram et neceſſariam concluſionem elicit ſeu infert. 1) *Topicum* eſt illud, quod nonniſi opinionem infert ex praemiſſis non neceſſariis quidem, at probabilibus tamen, quarum initium et regula non eſt, uti ante, in re ipſa, ſed in opinione hominum de re. 2) *Sophiſticum* denique eſt illud, quod aut contra formam proportionis harmonicae, aut contra materiam peccat, ut alios homines inducat in errorem, decipiatque. 3) Uti enim nec in bello, nec in foro melior ſemper triumphat cauſa, ita et in ſchola non ſemper obtinet victoriam, penes quem eſt veritas: ſed is demum in diſputatione palmam praeripuiſſe creditur, qui pugnandi, id eſt, diſputandi artem melius callet; is autem pugnandi peritia excellere

intelligitur, qui non modo veritatem demonſtrare aut opinionem probare, ſed fallacias quoque, ab adverſariis retium inſtar poſitas, melius detegere, et vitia ratiociniorum oſtendere poteſt. 4)

Scholia.

1) *Hic ſyllogismus* alias etiam dici ſolet analyticus, didaſcalicus, acroamaticus, demonſtrativus, ſcientificus, accuratus, ex propriis et ex veris demonſtratio. 2) *Propoſitio probabilis* autem eſt etiam illa, quae in quovis negotio et objecto probatur 1. aut omnibus hominibus ſana mente praeditis, 2. aut plurimis, 3. aut ſapientibus ſeu doctis omnibus, 4. aut eorum plerisque, 5. aut denique maxime notis et probatis; quaeque ex omnibus locis eruitur, excepto cauſarum (internarum, non externarum) atque effectuum loco, qui ad ſyllogismum apodicticum pertinet. Argumentamur ergo in ſyllogismo topico a definitione cauſali cauſae externae, a pari, a ſimili, a conjugatis et notatione nominis, ab oppoſitis, ac teſtimoniis. 3) Iſte ſyllogismus igitur conſtat ex propoſitionibus, vel non revera, ſed apparenter veris, probabilibusve, vel concluſione aut non contradictoria, aut contradictoria quidem, ſed non ex praemiſſis deducta. Is enim propter concluſionis contradictoriam Ariſtoteli dicitur

dicitur *Elenchus*, propter apparentiam *sophisticus*. Huc igitur omnes Elenchi intra est extra dictionem pertinent. *Elenchus* idem est ac vera contradictio: ut adeo *ignoratio Elenchi* nihil aliud sit, quam ignorantia verae contradictionis, adeoque requisitorum ad contradictionem. 4) Ad solvenda ejusmodi sophismata, solvendosque errores vulgo dupliciter respondetur, primo *negatione consequentiae et ostensione vitii syllogistici*, aut in forma aut in materia latentis: *in forma* per regulas consequentiae; in materia per *inficiationem*, quando propositio manifeste falsa est, vel per *distinctionem* et *limitationem*, quando propositio nimis lata ponitur. Interdum etiam ad ejusmodi propositiones nimium latas respondemus per *instantiam* aut *retorsionem*, quae tamen non solvit argumentum. Unde qui in disputatione, conversatione aut scriptione cujuscunque objecti, e. gr. theologici, juridici, medici, philosophici, oeconomici, alteriusve objectiones affert, contra eum scuto indigemus attentionis, ne nos sophismate quodam capiat, expertes artis pugnandi. Sophus quidem demonstrat thesin suam, aut sophista nobis retia tendit, afferendo sive syllogismos, sive propositiones causales, sive consequentias immediatas. Est autem *vitium materiae* in syllogismo nihil aliud, quam falsitas unius aut ambarum praemissarum: e. gr. *mundi partes non nisi tres sunt*: atqui *si tantum tres mundi partes sunt*, *sc. Europa*, *Asia*, *Africa*,

rica, tunc non dantur antipodes: ergo non dantur antipodes. Hic ſyllogismus materiae vitio laborat. Major enim eſt falſa: prout recens detecta America oſtendit. *Vitium formae* eſt repugnantia ſyllogismi cum regulis logicis concludendi: e. gr. *nullus homo eſt equus: nullus lapis eſt animal rationale: ergo nullus homo eſt animal rationale.* Repugnat hic ſyllogismus regulae logicae ſtatuenti, ex meris negativis nihil ſequi.

§. 142.

Ne igitur Logicus veritati noceat, aut falſitati ſuccumbat ex turpi ignorantia pugnandi, *ſalacias*, cum tela praeviſa minus feriant, noſcere et praeſcire oportet, quibus Tyrones praeſertim plerumque oppugnantur. *Sophisma* eſt ſyllogismus, qui occulto vitio formae laborat. *Paralogismus* econtra eſt ſyllogismus, qui materiae vitio laborat. Tam a ſophismate quam a paralogismo diſtinguitur *error*, qui eſt aſſenſus propoſitioni falſae datus: errare enim dicitur, qui judicium falſum pro vero habet, ut adeo alii ex errore, alii ex fallacia nobis falſas propoſitiones afferant. 1) Multipliciter econtra reſpondens

inducti

induci ſolet a Sophiſta: vel enim *nugatur* ſophiſta cum reſpondente, quoties eum ad vitioſam et inutilem ejusdem verbi repetitionem inducit: vel eum circa ſermonis congruentiam hallucinari demonſtrat, adeoque ipſi *ſoloeciſſimum* imputat: vel eum adigit ad aliquid aperte falſum aſſerendum, adeoque *falſitatis* accuſat: vel eum cogit aliquid contra opinionem aut omnium aut certe ſapientum admittere, et conſequenter eum ad aſſertionem *Paradoxi*, ſeu *rei inauditae* et *caſus inopinati* determinat: vel denique reſpondentem eo adducit, ut neget id, quod eadem diſputatione aſſeruit, vel aſſerat id, quod antea negavit. Quam reſponſionem dein excipit redargutio, ſeu *reprehenſio*. Hos quinque fines ut aſſequatur Sophiſta, ex duobus praecipue locis, *verbis* nimirum et *rebus*, ſophismata ſua depromere ſolet. *Ex verbis*, quidem ſeu *vocibus*, quod hae, quae omnino res diverſas ſignificant, videantur ſignificare unam, cum tamen ſignificent plures diverſas: *ex rebus* vero, quia pariter *res* ſignificatae per *voces* propter ſimilitudinem, quam habent cum aliis

liis rebus, videantur esse aliud, cum tamen non sint. Ideo Logici *fallacias* in duo divisérunt genera, in *fallacias* scilicet *dictionis* seu in dictione, et in *fallacias extra dictionem* seu *in rebus* ipsis. 2)

Scholion.

1) Sic errat ille Philosophus, qui auditoribus suis ideam animae inculcaturus *animam* dicit esse *complexum multorum punctorum.* Errat pariter Chalcographus, qui animam hominis sculpturus, diversa punctorum combinatione staturam hominis exprimit. Est enim idea deceptrix, adeoque propositio falsa, quod *anima* sit congeries multorum punctorum.

2) E. gr. " Omnis temperantia est amplectenda: nulla fortitudo est temperantia: ergo nulla fortitudo est amplectenda. " Nam major non debet esse *exceptiva:* e. gr. omnis temperantia nonnisi amplectenda est; ubi major *implicite exceptiva*, adeoque falsa est; nam non solum temperantia, sed et prudentia, fortitudo et justitia &c sunt amplectendae; itaque paralogismus latet in allata argumentatione. Econtra in syllogismo sequenti latet sophisma. " Omnes sancti peccato sunt obnoxii: atqui omne adulterium est peccatum: ergo omnes sancti sunt obnoxii adulterio. " Nam to *peccatum* in majori impor-

portatur in *obliquo* seu dativo, et in minore importatur in *recto* seu nominativo, adeoque terminus non sumitur in *eodem* statu. Quodsi iste syllogismus redigatur in formam manifestam, tunc apparebit, esse illum in prima figura, et habere majorem propositionem particularem, id quod est contra regulam, quae sic sonat: *In prima figura major propositio semper esse debet universalis.* Est autem hujus sophismatis forma manifesta sequens: "Quoddam peccatum est illud, cui sancti sunt obnoxii; „ atqui omne adulterium est peccatum; „ ergo omne adulterium est illud, cui omnes sancti sunt obnoxii, „ Ubi medius terminus *peccatum* deprehenditur nec in majori nec in minori distribui.

§. 143.

Sophisma dictionis est fallacia, quae vel in vocibus seu terminis simplicibus diversimode acceptis, vel in integra propositione committitur, atque in sex species dividitur, quarum tres in terminis simplicibus, uti *aequivocatio*, *diversitas accentus*, *figura dictionis*; et tres in propositione reperiuntur, scilicet *amphibologia*, *fallacia compositionis* et *fallacia divisionis*. Fallacia *aequivocationis* est, ubi vox aliqua aequivoce, metaphorice, vel in diversa suppo-

ſitionis ſpecie accipitur. 1) Fallacia *accentus* eſt, quae ex quantitate ejusdem vocis mutata oritur. 2) Fallacia *figurae dictionis* eſt, quando vel ab uno genere grammaticali transitur ad aliud. 3) vel ab uno genere philoſophico ſeu praedicamento fit transitio ad aliud. 4)

Scholia.

„ 1) Omne, quod ridet, eſt animal riſibile: atqui aliquod pratum ridet: ergo aliquod pratum eſt animal riſibile. „ Omnis cancer poteſt portari in cophino: atqui quoddam ſidus eſt cancer: ergo quoddam ſidus poteſt portari in cophino. „ Verbum eſt ſignum conceptuum et vox evaneſcens: atqui Chriſtus eſt verbum: ergo Chriſtus eſt ſignum conceptuum et vox evaneſcens. „ 2) „ Qui lepores venatur, indiget canibus: atqui poeta lepores venatur; ergo poeta indiget canibus. „ Omnis equus eſt quadrupes: atqui quidam judex eſt aequus: ergo quidam judex eſt quadrupes. 3) „ Omnis homo eſt ſenſitivus: atqui omnis mulier eſt homo: ergo omnis mulier eſt ſenſitivus. „ Homo eſt diſſyllabum: atqui Sempronius eſt homo: ergoSempronius eſt diſſyllabum. „ 4) „ Quod fuiſti heri, es etiam hodie: atqui heri fuiſti ebrius: ergo ebrius es etiam hodie. „

„ die „ Ubi per pronomen *quod* in majori *ſubſtantia*, et per adjectivum *ebrius* in minore qualitas intelligitur, ut adeo ſequentem in modum reducendus ſeu reſolvendus ſit ſyllogismus. " Quam ſubſtantiam habuiſti heri, „ eandem habes adhuc hodie: ſed heri ha- „ buiſti qualitatem ebrietatis: ergo quali- „ tatem ebrietatis habes adhuc hodie. „ En tranſitum a ſubſtantia ad qualitatem, ut adeo quatuor adſint termini. Item " quidquid he- „ ri emiſti, hodie comediſti: atqui heri bo- „ vem crudum emiſti: ergo hodie bovem „ crudum comediſti: „ ubi major eſt falſa, quia, ſi exponitur, uti debet exponi, quatuor deprehenduntur adeſſe termini: " quam- „ cunque ſubſtantiam et qualitatem heri emi- „ ſti, eandem utramque hodie comediſti: „ Qualitatem enim non comediſti. Dein etiam bovem, poſito, quod totus ſit toſtus, non ſimpliciter comediſti, ſed ſecundum quid. " Quodcunque caput Profeſſor noſter habuit „ puer, illud et in praeſenti habet: atqui ca- „ put ab artibus vacuum habuit puer Pro- „ feſſor noſter: ergo caput ab artibus vacu- „ um in praeſenti habet Profeſſor noſter. „ Nam to *puer* ſumitur pro diverſo ſtatu: qua puer ſeu in puerili aetate, dein qui puer ſcilicet qui olim fuit in puerili aetate, nunc autem eſt in virili.

§ 144.

Digitized by Google

§. 144.

Fallacia *amphibologiae* eſt, quando integra aliqua propoſitio in diverſo ſignificatu ſumitur. 1) Fallacia *compoſitionis* eſt, quando ex propoſitione in ſenſu diviſo vera infertur concluſio in ſenſu compoſito falſa, ſeu, quoties ex eo, quod aliqua praedicata conveniant ſubjecto diviſim, infertur poſſe convenire conjunctim. 2) Fallacia *diviſionis* eſt, quando ex eo, quod aliqua praedicata ſubjecto conjunctim convenire nequeunt, infertur, ea nec poſſe convenire diviſim. 3)

Scholia.

1) *Quisquis arat littus, terram proſcindit aratro: ſed operam perdens littus dicitur arare: ergo operam perdens terram proſcindit aratro. Scimus, venatores poſſe capere vulpes: atqui ſcimus Nimrodum fuiſſe venatorem: ergo ſcimus Nimrodum potuiſſe capere vulpes.* NB. quod Nimrodus potuerit capere vulpes: dic quod vulpes potuerint capere Nimrodum. 2) *Duo et tria ſunt par et impar: ſed quinque ſunt duo et tria; ergo quinque ſunt par et impar. Omnis homo poteſt eſſe beatus; ſed quidam homo eſt impius: ergo quidam homo impius poteſt eſſe beatus:* non enim homo, quamdiu eſt impius, ſimul poteſt eſſe beatus

beatus; ſejungenda enim eſt in concluſione idea impii ab idea hominis, uti in majori ſejuncta eſt. Huc etiam pertinet ſequens: *Nullus renatus poteſt peccare*, 1 Joa. 5. v. 18. ſed *quidam homo eſt renatus*: ergo *quidam homo non poteſt peccare*. 3) *Quinque non ſunt par et impar: ſed duo et tria ſunt quinque: ergo duo et tria non ſunt par et impar. Omnes planetae ſunt ſeptem: atqui Mars et Uranus et Jupiter ſunt planetae: ergo Uranus, Mars et Jupiter ſunt ſeptem.* Hucusque de *fallaciis* in *dictione tam ſimplici, quam complexa*, id eſt, tam in termino quam in judicio ſeu propoſitione.

§. 145.

Sophiſma extra dictionem eſt fallacia, quae non ex voce, ſed ex re per vocem ſignificata fallendi occaſionem habet, atque in ſeptem ſpecies, ſcilicet 1) *accidentis*, 2) *a ſimpliciter ad ſecundum quid*, 3) *ignorationis elenchi*, 4) *conſequentis*, 5) *petitionis principii*, 6) *non cauſae ut cauſae*, 7) *plurium interrogationum ut unius*, ordinarie dividitur. Fallacia *accidentis* eſt, quando aliquid ſubjecto convenire vel non convenire infertur ex eo, quod conveniat ejus accidenti. *Accidens* autem hic pro omni eo ſumitur, quod aliquo modo (etſi per ſolam rationem) diſtinguitur ab altero; talia

Digitized by Google

lia accidentia respectu hominis sunt animal, risibile, album, doctum &c. 1) Fallacia *a simpliciter ad secundum quid* est, quando sophista argumentatur ab eo, quod res est vel non est simpliciter et absolute, ad id, quod res est vel non est secundum quid, seu cum limitatione et contra. 2) Fallacia *ignorantiae elenchi* fit, quando in conclusione id infertur, quod videtur esse contradictorium illius, quod assertum est, re ipsa tamen contradictorium non est. 3) Fallacia *consequentis* est, quando ex consequente infertur antecedens, vel ex opposito antecedentis infertur oppositum consequentis. 4) Fallacia *petitionis principii* est, quando idem per idem, vel obscurum per aeque obscurum probatur, aut dum id, quod erat probandum, pro medio assumitur. 5) Fallacia *causae ut causae* est, quando effectus alicui rei, ut causae, tribuitur, quae tamen illius causa non est. 6) Fallacia *plurium interrogationum ut unius* est, quando ad plura et diversa membra quaestionis petitur una responsio, acsi una et simplex foret quaestio. 7)

Scho-

Scholia.

1) *Animal eſt genus: ſed homo eſt animal: ergo homo eſt genus.* Hic enim in concluſione infertur *genus* convenire homini tanquam ſubjecto concluſionis, ex eo, quod conveniat ejus *accidenti*, ſcil. *animali. Quidquid odium parit, illud non eſt dicendum: atqui veritas odium parit: ergo veritas non eſt dicenda. Quodcunque* (per ſe) *ducit ad atheismum, illud eſt malum: atqui philoſophia ducit ad atheismum* (ſcil. per accidens, et non per ſe) ergo *philoſophia eſt mala.* Eadem diſtinctio datur in ſuperiori ſyllogismo. 2) *Quidquid eſt abrogatum, non valet amplius: atqui vetus teſtamentum eſt abrogatum: ergo vetus teſtamentum non valet amplius.* Eſt ſcilicet abrogatum ſecundum partem, ſeu ſecundum leges judiciales, et ceremoniales, non autem ſecundum morales: hinc adhuc valet ſecundum morales. *Aethiops eſt albus ſecundum dentes: ergo Aethiops eſt albus. Cajus eſt bonus ſaltator: ergo Caius eſt bonus.* Aethiops non eſt albus: ergo Aethiops non eſt albus ſecundum dentes. Cajus non eſt bonus (ſcil. in moribus) ergo Cajus non eſt bonus ſaltator. 3) *Homo ut rationalis diſcurrit: ſed homo ut animal non diſcurrit: ergo homo diſcurrit et non diſcurrit.* Ubi in concluſione omnino nulla eſt contradictio: non enim eſt affirmatio et negatio ejusdem de eodem. *Quicunque voluptatem corporis ſectatur, eſt homo levis: ſed Hilarius voluptatem ſectatur: ergo Hilarius eſt homo levis.* In minore intelligitur voluptas animi. Unde anti-

antiſyllogismus ita ſonat: quicunque voluptatem animi ſectatur, non eſt homo levis: ſed Hilarius voluptatem animi ſectatur: ergo Hilarius non eſt homo levis. *Si Chriſtus malo reſiſti non vult, jubetque etiam alteram maxillam offerre, quoties alteri alapa infligitur; tunc nec datur moderamen inculpatae tutelae, nec magiſtratus debet punire delinquentes: atqui Chriſtus malo reſiſti non vult, &c. ergo nec moderamen inculpatae tutelae nec jus magiſtratus delinquentes puniendi defendi poteſt.* Ubi in concluſione nulla invenitur contradictio; Chriſtus enim tantum loquitur de *tutela culpata et de punitione exceſſiva delinquentium.* 4) "Omnis, qui homo eſt, „ animal eſt: atqui equus eſt animal; ergo „ equus eſt homo. „ Pariter: omnis, qui homo eſt, animal eſt, atqui equus homo non eſt: ergo equus animal non eſt. Perinde enim eſt, ac dicere: "homo non eſt, ergo „ animal non eſt. „ Quae conſequentia aperte falſa eſt. „ Qui dicit te eſſe animal, verum dicit; ſed qui dicit te eſſe aſinum, dicit te eſſe animal: ergo qui dicit te eſſe aſinum, verum dicit. „ Perinde iterum eſt, ac dicere: "Animal eſt, ergo aſinus eſt. „ Ubi pariter conſequentiae falſitas aperta eſt. "Quidam Patres Eccleſiae omnino rejicerunt Philoſophiam: atqui ſi quidam Patres eam rejiciunt, tunc illa eſt pernicioſa: ergo Philoſophia eſt pernicioſa. „ Non enim ſtatim id pernicioſum eſt, quod *quidam* rejiciunt. "Quicunque magnum frequentat lyceum, dili-

„ diligenter ſtudet ; ſed Paulus frequentat „ magnum lyceum : ergo Paulus diligenter „ ſtudet. Ex frequentatione magni lycei col- „ ligimus ſupra , quod inde non conſequi- „ tur. „ §.) *Tunc luna movetur, ſi mutat ſi-tum :* ſed *luna mutat ſitum:* ergo *luna movetur.* Quodſi major concedatur, et minor negetur, probeturque hunc in modum : *Luna movetur:* ergo *mutat ſitum:* tunc id, quod erat proban-dum, aſſumis pro medio, ſicque incidis in *fallaciam petitionis principii.* Haud abſimiliter ſi probares , *Alexandrum Macedonem ideo eſſe filium regis Philippi*, quia *rex Philippus erat ejus pater.* Deberes enim prius probare aliunde, quod rex Philippus ſit pater Alexandri. Si con-ſequentiam hujus ſyllogismi enthymematici: *Pontifici romano in omnibus quaeſtionibus facti et juris ſeu dogmatis eſt credendum : ergo Pontifex eſt infallibilis:* probare velles per enthymema ſequens : *Pon-tifex eſt infallibilis :* ergo *Pontifici romano in omnibus facti et dogmatis quaeſtionibus eſt credendum ;* tunc committeres *fallaciam petitionis principii;* adeoque nihil probares. Uti etiam ſequens huc perti-net ſyllogismus : *quicunque delirat , ille eſt ſtul-tus ;* ſed *Marcolphus noſter delirat :* ergo *Marcol-phus noſter eſt ſtultus.* Si hanc propoſitionem, *ens ſimplex non eſt figuratum* , per iſtam pro-bares , quia *ens ſimplex non eſt extenſum ;* interrogatus autem : *cur ens ſimplex non ſit ex-tenſum* , reſponderes , quia non eſt figuratum, tunc pariter incideres in fallaciam petitionis

principii, seu committeres *circulum in demonstrando.* 6) *Quod parit haereses, subjacet maledictioni:* sed *sacra scriptura parit haereses:* ergo *sacra scriptura subjacet maledictioni.* Non enim *sacra scriptura* est *causa efficiens* haeresium, sed *intolerabilis* haeresiarcharum *arrogantia. Pessimi quique athei semper fuere subtilissimi philosophi:* ergo *Philosophia est causa Atheismi.* Non *Philosophia*, sed *malus Philosophiae intellectus* aut *inepta ejus applicatio* est causa *Atheismi. Quicunque noctes ducit insomnes, ille bene est nummatus:* sed *Irus noctes ducit insomnes:* ergo *Irus est bene nummatus:* non sola copia divitiarum, sed etiam extrema indigentia est causa saepius noctium insomnium. 7) Siquis ex te quaerat: *homo et planta suntne animal?* si neges, tunc reponet sophista: ergo homo non est animal. Sin annuas, tunc inferet: ergo planta est animal. In hac ancipiti via nonnisi cum distinctione respondendum est hunc in modum. *Homo est quidem animal, at planta tamen non est animal.* Similiter *esne macer noster homo sapiens, an delirus?* Item *desinesne aliquando furari?* ad primum responsio est: *macer noster sapiens est.* Ad secundum autem: *nunquam coepi furari.* ad has, aliasque hujus generis interrogationes nec affirmando, nec negando respondere poteris, sed tantum *distinguendo* aut *aliud dicendo.* Atque hae sunt praecipuae, magisque usitatae *fallaciarum* species, quibus ut plurimum sophistae incautos, praesertim tyrones, vel decipere, vel implicare conantur.

§. 146.

§. 146.

Tandem non ſolum ſyllogismo, ſed et *epicheremate* et *ſorite* in fallacias et tentationem paradoxi alicujus admittendi interdum deducimur. Paradoxum eſt, quod avarus, qui divitiis abundat, non ſit dives. Et tamen dialecticus avaro ejusmodi objicit, eum non eſſe divitem. In ſubſidium ſuae objectionis ſequens adhibet *epicherema*: Qui virtute praediti ſunt, ſoli ſunt divites: (probatur) ſoli enim poſſident res et fructuoſas et ſempiternas, ſolique, quod eſt proprium divitiarum, contenti rebus ſuis ſatis eſſe putant, quod eſt: nihil appetunt, nulla re egent, nihil ſibi deeſſe ſentiunt, nihil requirunt: (concluditur): improbi autem et avari, quoniam incertas, atque in caſu poſitas res habent, et plus ſemper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inventus eſt, cui quod haberet, eſſet ſatis, non modo non copioſi ac divites, ſed etiam inopes ac pauperes aeſtimandi ſunt. 1.) Idem dicendum de *ſorite*: qui bene bibit, bene dormit; qui bene dormit, non peccat: qui non peccat, venit in coelum: ergo qui

bene bibit, venit in coelum. Cum enim ſorites aeque ac epicherema in *ſyllogismos* poſſit reſolvi, uti ſupra dictum eſt: facile patet, epicherematis et ſoritis vitia eo ipſo poſſe nullo negotio detegi, quia in *ſyllogismos ordinarios* reſolvuntur: detecto enim vitio horum ſyllogismorum ordinariorum, in quos epicherema aut ſorites reſolvitur, etiam *vitium epicherematis et ſoritis* mox detegitur, atque oſtenditur. Jam pergamus ad Logicam practicam, quae *modos* manifeſtat, quibus tres ſupra explicatae mentis operationes in foro et vita communi aeque ac in ſchola applicari et in praxin deduci queant. 2)

Scholia.

1) Ita *Cicero* in Paradox. VI. cap. III. Perinde autem eſt, ac ſi *Cicero* ita ſyllogizaſſet. *Qui virtute praeditus eſt, is eſt dives. Atqui avarus non eſt virtute praeditus: ergo avarus non eſt dives.* 2) Poteſt autem epicherema et ſorites aeque eſſe *formaliter* bonus, et *materialiter* malus, ac ſyllogismus. Non enim *forma* epicherematis atque ſoritis facit epicherema et ſoritem materialiter bonum; perinde ac forma ſyllogiſtica ſyllogismum non facit materialiter bonum. Econtra ſequens *ſorites* eſt *materialiter et formaliter* bo-

bonus. "Quidquid experior, illud ſentio: quidquid ſentio, illud exiſtit: quidquid exiſtit, illud exiſtit omni modo determinatum: quidquid exiſtit omni modo determinatum, illud eſt individuum. Ergo quidquid experior, illud eſt individuum. „ Illud nempe ratiocinium ſolummodo eſt *materialiter bonum*, quod cum caeteris veritatibus ſive per propoſitionem ſyllogiſticam, ſive cauſalem, ſive illativam ſeu enthymematicam connectitur: *materialiter malum* econtra, quod veritatum nexui adverſatur. Sic haec propoſitio: *fieri poſſunt miracula*, eſt materialiter bona: connectitur enim cum his propoſitionibus, quas ratio firmat: *Leges motus poſſunt ſuſpendi.* Item *Deus eſt omnipotens.* Aſt iſta propoſitio: *anima humana eſt mortalis*, eſt materialiter mala, cum aliis propoſitionibus rationi conſentaneis repugnet. E. gr. " Anima eſt ens ſimplex: ens ſimplex „ deſtrui nequit. Vi repraeſentandi et appeten- „ di perdurante ipſae repraeſentationes et ap- „ petitiones durant. Membris et organis cor- „ poris ab exercitio functionum ſuarum ceſ- „ ſantibus, anima adhuc ſupereſt. Vis re- „ praeſentandi et appetendi naturam animae „ conſtituit, ſeu efficit, ut anima ſit anima, „ et non ſit corpus. „ Nexus ſcilicet tot propoſitionum efficit, ut haec propoſitio, *anima eſt mortalis*, ſit materialiter mala.

LOGICAE
PARS II.
seu
Practica, quae methodum, scilicet syntheticam, qua geometrae utuntur, et analyticam, complectitur.

Caput I.
Sectio unica.

De Dispositionibus mentis ad Logicam practicam seu usum Logices tum in vita communi, tum in rebus mere theoreticis ac philosophicis, requisitis.

§. 147.

Quemadmodum *ope elementorum grammatices* linguam componere, voces formare, formatasque in vernaculo aut peregrino idiomate congrue eloqui discimus, ita, postquam habi-

habitum acquisivimus ideas, judicia, et ratiocinia formandi, etiam docendi sumus, quomodo *ideae plures*, *judicia plura*, *plura* itidem *ratiocinia* tam apte ordinari possint, ut per cogitationum seriem ac continuationem in Sanctuarium veritatis penetremus, eam *inveniendo*, *dijudicando* atque *congrue proponendo*.

Scholion.

Modus, quo et in invenienda, et in dijudicanda ac proponenda veritate praecedentes hae tres mentis operationes applicari debeant, traditur in *Logica majori*, id est, *practica*. Hinc prima Pars Logicae theoretica dicitur *Logica parva*, quam solam Scholastici olim e cathedris tradiderunt, neglecta majori: unde et ad cathedras et ad officia publica admoti sunt tunc temporis Candidati, qui *modum tribus mentis operationibus utendi* ignorantes ad Philosophiam, Theologiam, Jurisprudentiam et Medicinam, quin et Oeconomiam illotis manibus accesserunt. Hinc querelae Principum, hinc lamenta populi, quod cruda studia in forum protrudantur.

§. 148.

Experiri dicimur id, quod cognoscimus attendendo ad perceptiones nostras: 1) ut

Digitized by Google

adeo *experientia* nihil aliud ſit, quam cognitio eorum, quae ſentimus *ad perceptiones noſtras attenti*. Quoniam *experientia* eſt idea attendendo ad res ſingulares, ſenſibus ſubjectas acquiſita; hinc ea eſt duplex, *vulgaris* ſcilicet, quae etiam infimae plebi nota eſt, et *erudita*, quae nonniſi eruditis propria eſt. 2) Alias dividitur experientia in *internam* et *externam*, illa eſt idea rei ſingularis acquiſita per ſenſionem internam, 3) haec autem per ſenſionem externam. 4) Experientiae repugnat *vitium ſubreptionis in experiundo*, quod nihil aliud eſt, quam *error in experiundo commiſſus*, quo nobis videmur experiri, quod minime experimur, adeoque judicia diſcurſiva cum intuitivis confundimus. 5)

Scholia.

2) Sic viſu percipimus *ignem exiſtere*, et tactu percipimus, *ignem urere*, ut adeo notio *ignis* per experientiam formata ſit individualis ſeu ſingularis: hinc omnes experientias eſſe *notiones ſingulares* per ſe patet, et ſenſuales. Sic puer non ex meditatione, aut longo ratiociniorum anfractu ſed tactu diſcit, ignem eſſe calidum, mercurium eſſe fri-

frigidum, aquam madefacere, mercurium non madefacere.

2) *Vulgaris experientia* habetur, dum in cubiculo, accensa candela, omnia, quae ante non comparebant, conspicua fieri videmus, eruditi aeque ac illiterati. *Erudita* autem acquiritur nonnisi pluribus experimentis institutis, quibus Philosophis innotescit, *aerem esse gravem.*

3) Siquis sensit aliquando in corde suo oriri *iram*, aliumve affectum, tunc ista sensio dicitur *experientia interna:* idea autem, quam ex hac sensione de isthoc affectu generatim postea sibi format, vocatur *per conscientiam acquisita.*

4) Si quis viso, tactoque annulo imaginem hujus annuli acquisivit, tunc ideam mente circumfert *sensione externa acquisitam*, seu habet experientiam externam de annulo; quodsi dein ex hac sensuali idea cogitationem format de figura, rotunditate, magnitudine ac elegantia annuli generatim, tunc sibi ideam formare dicitur *per abstractionem*, quae idea per *abstractionem* formata utique interna, non externa est, etsi nonnisi ope externae sensionis exsurgat.

5) Extiterunt quidem nonnulli, qui per crebras sensiones se deprehendisse affirmarunt, quod *ad animae nostrae decretum et voluntatem* sequi soleat *motus quidam* in corpore,

e. gr. pedis vel manus, ſi anima vult haec membra moveri, adeoque dixerunt, quod anima *vero et reali influxu* moveat corporis noſtri membra, perinde ac ſi ex pluribus eburneis globulis in eadem ſerie pendentibus unus eorum extremus moveatur, et in reliquos incidat, atque incidendo motum communicet reliquis pendentibus: aſt hoc dixerunt *concludendo ex experientia*, quam nunquam habuerunt: nunquam enim experti ſunt, animam influxu aliquo phyſico et effectivo producere motus in corpore, ſed *judicium intuitivum* confuderunt cum *diſcurſivo*; *percepe-runt* quidem, ad cogitationes et decreta animae noſtrae ſequi motus in corpore determinatos: at *non experti ſunt*, utrum anima ſit cauſa efficiens horum motuum, perinde ac globulus extremus ſupra allatus. Id quod nec *Ariſtoteles*, nec *Malebranchius*, nec *Leibnitius*, experti ſunt. Inciderunt ergo in *vitium ſubreptionis in experiundo.* Hoc ipſo vitio adhuc puer laborabam, ni fallor, quoties incubonibus (germanice Druck) me premi querebar. Philoſophus factus hoc vitio ſubreptionis me liberavi, atque hoc ipſo etiam ab incubis me liberatum ſenſi. Et plane vix dubito, quin *hoc vitium ſubreptionis* ſit origo et fons tot ſpectrorum. Strepitum in aedibus noctu forte exortum dum percipit

anus

anus quaedam, aliusve homo meticulosus, nonnisi *a spectro* illum posse provenire hac ex ratione credit, quia *causam* excitati strepitus ignorat; mox ergo *ratiocinium*, ad quod in instanti conficiendum *metu* inducitur (perinde ac alii homines ab aliis affectibus ad alias falsas ratiocinationes induci solent,) mox ergo falsum ratiocinium, inquam, pro *ipsa sensione* seu pro *perceptione sensuali* habet, atque *se spectri tumultum audivisse* audacter affirmat. Idem contingit saepius, siquis *oculorum* aut *phantasiae* debilitate laborans aliquam *figuram*, aut aliquem *colorem* bruti, hominis, alteriusve rei oculis percipit, atque inde horrorem aliquem sentit; illico enim hanc figuram, hunc colorem terribilem ideo ab aliquo spectro non distinguit, quia causam illius apparitionis non callet: quia ignorat causam hujusce formidabilis coloris et peregrinae figurae esse *debilitatem oculorum cum metu praecoce exorto conjunctam*, aut *phantasiae morbos*, qui hominem aeque impediunt in percipiendo, et in re falso percepta dijudicanda, ac *quaevis febris* hominem reddit ineptum ad recte judicandum de sapore.

§. 149.

Quoties ideam individualem alicujus rei ad-

adminiculo ſenſionis cujuscunque nobis formamus, toties *experiri* dicimur. 1) Quodſi autem ex hac idea individuali judicium *intuitivum* formamus, atque ex hoc judicio intuitivo ope ratiocinationis aliud judicium elicimus, tunc hoc poſterius, quod inde fluit, dicitur *diſcurſivum* ſive *dianoeticum*. 2) Quoniam autem organa ſenſoria, quorum ope ideas individuales nobis acquirimus, apud alios bene, apud alios male ſe habent, et hoc quidem caſu fungi nequeunt ſuo officio, luculenter patet, *organa ſenſoria* ita debere eſſe conſtituta, ut nullo vitio, morbove, laborent, utque is, cui ſenſus ſunt *paulo hebetiores*, huic defectui per alia remedia occurrere teneatur. Cum enim ſenſus ad cerebrum propagentur, ibique mens attendat ad res ſenſibus perceptas, alio modo autem mens noſtra ideas ſibi non formet, facile intelligitur, quod is, qui ſenſibus recte percipere vult ideas, iis *recte* uti debeat, atque rem juſta attentione perpendere; quis enim ignorat, ob defectum juſtae attentionis, aliorumque ad ſentiendum requiſitorum *phantaſiam* in varios labi

mor-

morbos, scilicet in *fatuitatem, stultitiam, insaniam, stuporem, furorem, ac enthusiasmum*? Quasi somnia, quae homini accidunt, sensibus somno sopitis, se habent morbi imaginationis. Excitanda igitur est *attentio*, atque *sensus in vigore conservandi* sunt, si nos rite accingere volumus ad experiendum. 3)

Scholia.

1) De existentia ignis acquiro visu ideam individualem, quamprimum eum oculis percipio. Quodsi postea ipsum deprehendam tactu esse calidum et urere, tunc formo judicium *intuitivum* dicendo, *ignem esse calidum, ignem urere.* 2) Quando dein *memoria* suggerit, quod calor liquefaciat ceram et metalla, tunc sequens formare possum judicium *dianoeticum*: quidquid est calidum et urit, illud ceram et metalla liquefacit; atqui ignis est calidus et urit: ergo ignis ceram et metalla liquefacit. Item in casu, quo *Cajum* video, et quidem ebrium, atque *memoria* mihi suggerit, eum non esse mentis compotem, statim ita concludere et discurrere possum: Cajus est ebrius: sed ebrius non est mentis compos, ergo Cajus non est mentis compos. 3) *Excitari* autem poterit *attentio*, si saepius perpendas, quam praeclara res sit *veritas*: solius veritatis studium S. Augustinum impulit,

ut

ut omnem quaestionem, quam tractat, radicitus discusserit: ut latentem vel veritatem vel falsitatem deprehenderet, medullitus rem examinavit, uti videre est in *Libro quinto de Civitate Dei contra Astrologos et Fatidicos.* Acuitur etiam *attentio*, si seclusis aliis cogitationibus et curis ad experiendum accedas, et nonnisi *lente* festines; nihil enim in experiundo proficit, qui rem obiter considerat. Huc multum adjumenti afferunt *instrumenta apta*, dum objectum in nimia est situm distantia, aut medium in visione non limpidum; item *horae matutinae*, *solitudo* et *locus sine strepitu.*

§. 150.

Nec semper fidendum est unico sensui, v. gr. visui: adhibendi veniunt omnino plures ad proprietates rei penitius explorandas. 1) quoties unico sensu acquisivisti ideam claram, toties eam clariorem facies, si plures sensus in subsidium vocare poteris. 2)

Scholia.

1) Sic aquam mineralem ut discernere queas, *visum* consule non modo, sed et *gustum* et *olfactum.* Isaacus *Jacobum* ab Esavo per sensus distincturus attigit manum *Jacobi*, audivit *Jacobi* vocem, osculatus est *Jacobum*, et

et naribus admovit veſtes *Jacobi*. *En tactum, auditum, guſtum, odoratum*, ſolus *viſus* defuit. Decipiebatur quidem *Iſaacus*, attamen *judicio*, quod ex ſenſione praeceps tulit, *non ſenſibus*. 2) Sic etiam nonniſi ex adhibitione plurium ſenſuum diſcimus, *electricitatem* conſiſtere in exhalationibus ſeu effluviis ſubtilibus, et quidem 1. quia iſta effluvia ſentiuntur *tactu*, quaſi ſubtiliſſima tela, corpus, quod circumfluunt, cingentia, aut leni flamine circa id ſpirantia. 2. *Odoratu*, cum odore graveolenti ſpiritum vitrioli, phoſphorum vel phlegma aquae regiae referunt. 3. *Guſtu*, cum ore excepta, ſapore ſubadſtringente acido ſe produnt. 4. *Viſu*, nam flammarum tenuium vel penicillorum lucidorum (Gallis aigrette) inſtar tumeſcunt, atque hac in forma adhaerere videntur eminentiis vel extremitatibus corporum, quae circumfluunt, et a quibus avolant. *Auditu* denique; flammae enim explodunt non nunquam cum ſtrepitu ingenti, qui ad centenorum pedum intervallum, imo ad 200 paſſus auditur: praeterea flammae majores continuum ſibilum vel ſtrepitum in aere excitant. *Vide Inſtitut. phyſ. Petri Muſchenbroek* pag. 201.

§. 151.

Idem non modo in rebus *naturalibus*, ſed in *moralibus* quoque et *civilibus* faciendum eſt.

Quem-

Quemadmodum enim fruſtra meditaris de *electricitate*, niſi in promtu ſint tuae aliorumve obſervationes, pluribus ſenſibus factae, ita non magis cum ſucceſſu aliquo de *virtute*, *vitio*, *affectu*, quin et *republica*, ejusque *juribus ſimilibusque* meditaberis, niſi, quae harum rerum omnium affectiones, relationes, fines et effecta ſint, pluribus ſenſibus experiundo accurate didiceris, aut obſervationes habeas ab aliis ope plurium ſenſuum inſtitutas. 1)

Scholion.

Sic jura alicujus Reipublicae cum nitantur factis, cognitio autem factorum ope ſenſuum tantummodo acquiratur, facile intelligitur, ad acquirendam notitiam Reipublicae opus eſſe cognitione hiſtorica, quae nonniſi adminiculo ſenſuum haberi poteſt. Ita plures peregrinantur per varias regiones, ut ope ſenſuum acquirant ideam de moribus, juribus, divitiis, aliisque illarum regionum proprietatibus.

§. 152.

Experientia etiam nobis formamus tam *ideas omiſſionis* quam *commiſſionis* 1) ope ſenſuum

ſuum enim nobis repraeſentamus res et actiones, in organis noſtris ſenſoriis mutationem producentes, adeoque etiam omiſſiones aeque ac commiſſiones: et ſic experiundo vel ipſae definitiones formantur. 2)

Scholion.

1) Video, juvenem quemdam ſibimetipſi digitos amputare, ut ad caſtra ſequenda ſit ineptus; nunquid ceſſant illi actus militares, quos alias ope digitorum exercere potuiſſet? Nunquid ceſſatio horum actuum militarium dicitur *omiſſio*? ita etiam de *aliis omiſſionibus*. 2) Ita etiam dum cerno propriis oculis, duos homines inire *contractum emptionis venditionis*, ſatis experior, hunc contractum id *commune* habere cum aliis contractibus, quod contrahentes conveniant, ſeu conſentiant: id vero proprium habere, quod conſentiant in rem, quae eſt in commercio, pro certo pretio, quod in pecunia numerata conſiſtit, transferendam; experiundo igitur hanc inveni definitionem: *emtio venditio eſt conventio de re, quae in commercio eſt, pro certa pecunia transferenda.* Jam ponamus, quod omittatur circumſtantia pecuniae: et habebo mox definitionem *contractus in genere*, quod is ſit *conventio de re, quae eſt in commercio, transferenda.* Si muto circumſtantiam pecuniae, et fingo rem *gratis* transferri, tunc habeo definitionem

donationis. Quoties denique circumſtantias aliquas addo, e. gr. quod res transferatur ea lege, ut elapſo certo tempore et refuſo pretio reſtituatur, toties emergit definitio *retrovenditionis*; et ſic de *reliquis contractuum ſpeciebus*, quae oriuntur ex additione, omiſſione, aut immutatione quarundam circumſtantiarum.

§. 153.

Legitime meditari qui cupit, eum antea jam plures ideas individuales, pluraque judicia intuitiva ope ſenſuum acquiſiviſſe oportet. 1) Cum enim *meditari* in ſenſu logico nihil aliud ſit, quam ex ideis individualibus judicia intuitiva, et ex judiciis intuitivis judicia formare diſcurſiva, quomodo quis poterit diſcurrere, quomodo veritates ex veritatibus, poſitiones ex poſitionibus eruere, niſi jam ante complures ideas individuales, enuntiationesque intuitivas habeat perſpectas? 2) Enimvero cum *cognitio philoſophica* ſit cognitio rationis ſufficientis eorum, quae ſunt vel fiunt, cumque *ratio ſufficiens* ſeu cauſa factorum reddi nequeat, niſi ipſa noverimus facta, *facta* autem nonniſi ope ſenſuum nobis repraeſentemus aeque ac res individuales, plane conſequitur, neminem poſſe

posse *philosophari*, seu in sensu stricto *meditari*, nisi copiam idearum individualium, judiciorumque intuitivorum antea mediantibus sensibus sibi compararit. 3)

Scholia.

1) Tyronibus Logicae, ob ignorantiam complurium idearum individualium, judiciorumque intuitivorum suadendum est omnino, ut *Baumeisteri Philosophiam definitivam* sibi comparent: dein ut justam ad meditandum adferant attentionem. *Amor veritatis* acuit aciem attentionis, *amor iste* excitatur consideratione summi vinculi veritatem inter et virtutem, adeoque et felicitatem hominis. *Sine scientia quippe* (ut divus *Aurelius L. 12. de Trinit. Cap.* 14. testatur) *nec virtutes ipsae, quibus recte vivitur, haberi possunt, per quas haec misera vita gubernetur, ut ad illam, quae vere beata est, perveniat aeternam.* Rursus, *qui hac* (scientia) *pollent, Deum hic saltem per speculum et aenigma, et alibi de facie ad faciem limpidius cognoscent. Nonne myticorax, homo et aquila, etiam in eadem propinquitate ad solem, eundem diverse vident, secundum acuitionem et vigorem oculorum?* Hinc Propheta Daniel: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.* Lactantius *L. de falsa sapientia* ait: *Virtus autem cum scientia juncta sapientia est.*

2) Praeterea is, qui experiundo ſibi hiſtoricas acquiſivit cognitiones, longe melius quam quivis alius applicare factis obvenientibus poterit veritates quasdam metaphyſicas v. gr. *idem non poteſt eſſe et non eſſe in eodem loco et tempore; nihil eſt ſine ratione ſufficienti; ſignum evidens diſtinctionis realis eſt ſeparabilitas quoad locum et tempus;* pariter *ſignum evidens diſtinctionis realis eſt oppoſitio primo producentis et primo producti; quaecunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Et quae ſunt plures hujus generis veritates, quibus vel ipſi geometrae in Matheſi utuntur.

3) Quoniam in *evidentibus* intellectus ex natura ſua divinitus ſibi indita ad aſſenſum rapitur, adeoque Deus non vult, ut contradictoriis aſſentiamur; omnis autem argumentatio, cujus praemiſſae vel judiciis intuitivis, vel veritatibus metaphyſicis ſupradictis conſtant, neceſſario infert concluſionem evidentem; hinc facile eſt ad intelligendum, eum uſui ſanae rationis renuntiare, qui concluſioni, quae ex talibus praemiſſis deducitur in forma legitima, aſſenſum denegat: illum econtra naturae intellectus ſui conformiter agere, qui veritates metaphyſicas et judicia intuitiva ſibi comparat, ut inde per ſeriem ratiociniorum novas veritates detegat.

§. 154.

Digitized by Google

§. 154.

Ad *meditandum* acceſſurus mentem adferat a praejudiciis liberam: 1) Cum *praejudicium* ſit judicium erroneum ob rationes plane inſufficientes, et ex praecipitantia latum: praejudicia autem hominem reddunt ineptum ad rem, de qua cogitat, *accuratius* contemplandam, eumque determinant, ut hanc potius, quam illam ſententiam ob qualitates e. gr. alicujus perſonae, aut ex judicio erroneo de viribus propriis ad veritatem cognoſcendam ſufficientibus recipiat, aut ut ſententiam, *nec accurate nec ordine a ſe expenſam*, tanquam veram aſſumat, aut tanquam falſam rejiciat, vaga et ſuperficiaria contentus contemplatione. 2)

Scholia.

1) Ejusmodi praejudicatae opiniones ſunt *praejudicium auctoritatis*, *confidentiae*, *antiquitatis*, *hypotheſeos vulgo receptae*, *veritatis quaſi poſſeſſae*, *falſae* aut *dubiae experientiae*, *educationis* ſeu *religionis*: *textus male intellecti*, *&c.* Qui praejudicia vitare vult, tamdiu judicium ſuum ſuſpendere debet, donec veritatis rationes intrinſecas intimius et diſtinctius perſpiciat;

atque hinc *dubitatio* ad quodvis praejudicium evitandum apprime utilis est.

2) *Praejudiciorum* origo et prima incunabula sunt non solum quaerenda in *intellectu nostro limitato*, sed etiam in *intellectu per educationem corrupto*. Sic *Ethnicus*, ex praejudicio educationis in erroneam incidit religionem, et male de religione christiana judicat. Quin ipsi Theologo christiano non sufficit a Doctore magno viro doceri, sed ipse etiam suo judicio vera perhiberi perspicere debet, certusque esse, traditam S. Scripturae interpretationem esse rectam, atque Dogmata inde deducta legitimis ratiociniis consequi. De *Theologo* non expectatur fides, ut ajunt, *carbonaria*, sed ab eo *profundior* veritatum religionis christianae requiritur cognitio. *S. Paulus* ipse non vult ferre, ut fideles sint mente pueruli, id est, ut tanquam pueruli absque praevio examine recipiant, quidquid is, cui plurimum tribuunt, praecinuerit; rursusque ex memoria proferant, quod in intellectum nunquam pervenit. Nemo igitur *Paulum* imitans postulare ab auditoribus poterit, ut ceu vagientes infantuli pro cujusvis Doctoris libidine se fascinari, jactarique patiantur. Tales pueruli fluctuationi, agitationique cujusvis venti doctrinae sese permittere alias tenerentur; caecam enim hanc a Theologo fidem *verus Doctor* nulla ratione flagitare poterit, qua idem *falsus* non pollit, utpote qui

non

non minus se veritatem tenere putat, ac is, qui fortasse caeca fortuna, non ratione duce, illam consecutus est; atque hanc ipsam ob causam *religioni nostrae christianae catholicae* nihil honorificentius, nihil ad cognoscendam Scripturarum divinitatem magis est idoneum, quam quod in tanta Mysteriorum et Doctrinarum sublimitate nullam doctrinam moralem, rectae rationi adversam, aut non satis pro et contra discussam suis assectis inculcet, nihilque praecipiat, quod non et ipsa ratio secundum veritatis criteria sanctum, honestum, Deoque agnoscat dignissimum. Cum nemo sit, qui non in puerili et infantili sua aetate crediderit, omne hoc spatium, quod inter extimam terrae superficiem et stellas est, omni corpore vacuum esse, quia nullum ibi corpus viderat, magnum *infantiae* praejudicium est ortum, quo *vulgus* ea judicat non existere, quae oculis corporis sui crassi non videt. Vulgus sibi firmiter persuadet, nullum existere corpus, quod non sit sensibile, quia ab adolescentia de iis tantummodo cogitavit corporibus, quae sub sensus corporis sui crassi caderent. Ast adolescens, qui in Philosophum evasit, et non sensus, sed intellectum pro mensura cognoscibilium habere didicit, abjecto hocce infantiae praejudicio statuit ratiocinio convictus, praeter partes materiae sensibiles dari innumeras insensibiles.

§. 155.

Multo magis *Theologum* decet abjicere praejudicium religionis ac inſtitutionis in rebus, quas ad religionem pertinere aliquis falſo perſuaſus eſt. 1) Neque illi difficile accidet hoc praejudicium deponere, ſi cogitet, parentes aeque ac praeceptores noſtros poſſe falli, et haereditaria quadam ſucceſſione ab Eva, omnium matre, quae prima per curioſitatis vitium decepta legitur, ad nos deſcendiſſe credendi facilitatem, aut, ut verius dicam, fatuitatem, praecognoſcendique futura cupiditatem. 2)

Scholia.

1) Sic dicit quis, a religione praecipi, ut credamus, in nomine JEſu ejicienda eſſe daemonia. Iſte, inquam, ſi putat, *vocabulo* JEſu, quod non ſine veneratione pronuntiari oportet, ineſſe *virtutem ejiciendi daemonia*, praejudicio laborat. Nam juxta PP. interpretationem non *vocabulo et ſono illo articulato* ineſt vis, ſed Chriſtus promiſit, ut, dum hoc vocabulum in fide et vera charitate enuntietur, ſe per *ſuam virtutem divinam*, allato vocabulo non *communicatam*, expulſurum eſſe dae-

daemonia. Et ſic loquendum de ſexcentis aliis. Rurſus, ſi parentes aut praeceptores quem docuerunt, *artem aſtrologicam* non eſſe vanam, tunc merito hanc ipſam materiam filius ſeu diſcipulus ſuſcipiet examinandam: nam etſi doctrina haec fidem mereretur propter paucas experientias, propter innumeras tamen fallacias, juxta *S. Auguſtinum* inſtinctu daemoniorum inductas, eam reſpuendam eſſe inveniet.

2) Sic non raro quis fallitur, fallitque invicem alios, hanc definitionem mentis humanae pro *ariſtotelica* aliis venditans: *mentem eſſe actum primum proximum corporis organici potentia vitam habentis*; cum tamen Ariſtoteles graece docuit, mentem eſſe *entelechian ten proten ſomatos phyſicu zoen echontos dynami:* hoc eſt, juxta verſionem latinam: *mentem eſſe actum primum corporis phyſici potentia vitam habentis.* Sic multi *praejudicio traditionis ſcholaſticae* faſcinati credunt, Ariſtotelem in compluribus ſcholis regnare, legique ab iis, qui eum in libris ſcriptionibusque ſuis citare ſolent. Et haec de praejudiciis, quae *facile* abjici poſſunt. Dantur praeterea *praejudicia abjectu difficiliora*, e. gr. ſi credimus, gentes *ea numerandi lege*, quae hodie et ferme ubique in orbe terrarum eſt recepta, quaque et nos utimur, *neceſſario* uti. *Vide Wolfium in Matheſi de Arithmetica.* Item praejudicio laborat, qui putat ordinem conſtructionis in

Digitized by Google

lingua e. gr. germanica alium non esse naturae cogitationum et methodo cogitandi consentaneum seu conformem, quam qui observatus est a tempore, quo orta est lingua, ad nostra usque tempora. Quod praejudicium abjectu satis difficile Gallis ademit *P. Buffier* Grammaire françoise sur un nouveau.

§. 156.

Certum atque experientia comprobatum habemus, quod quodvis seculum, quaevis gens et natio suas habeat *peculiares persuasiones, suos morbos corporis et imaginationis, suum agendi modum tam in corpore quam in spiritu, suam denique inclinationem ad hoc potius quam illud scelus, ad hanc potius virtutem, scientiam, artemque, quam ad aliam.* 1) Hinc quod hodiernum miratur seculum, contemnitve, non hocipso statim mirandum aut contemnendum censeri oportet. Hinc ex eo, quod modernum seculum talia credenda proponit, non concludendum est, eadem a futuro seculo fore ut credatur. 2) Abjici ergo oportet praejudicium tam seculi quam nationis cujuscunque, qui bene dispositus ad meditandum accedere cupit.

Scho-

Scholion.

1) Huc refertur *Germaniae praejudicium* de maſticatione mortuorum in tumulis, uti videre eſt apud *Michaelem Rauf, et Philippum Rehrium de Maſticatione mortuorum.* Praejudicia ſcilicet non ſolum circa opiniones Philoſophorum, circa artes, ſcientias et exercitia corporis, ſed etiam circa actus religionis et exercitia pietatis e. gr. remotiſſimas peregrinationes, confraternitates, poenitentias publicas et diſciplinam eccleſiaſticam. Et hinc *in rebus diſciplinaribus* Eccleſia pro diverſitate ſeculi et nationis diſpenſare, addere, demere ac mutare poteſt et ſolet.

2) Elapſo ſeculo et adhuc initio hujus ſeculi in Polonia et Hungaria firmiter credebant incolae, mortuos (**Vampiren**) hoc, illove modo apparere et exſuccare ſanguinem. Siquis ab hujusmodi praejudicio liberari cupit, cogitet oportet, *opinionem integrarum nationum et plurimorum ſeculorum ſaepius deprehenſam eſſe falſam*, ipſeque abjecto omni metu in veritatem indaget. Sic doctiſſimus quisque olim credidit, *non dari antipodes, non dari circulationem ſanguinis.* Olim credebatur actio in diſtans magnetis in ferrum, quod Veteres exiſtimarunt, ferrum trahi a magnete ſine contactu corporum. Aſt hodie nemo Philoſophorum hujus eſt opinionis. Oportet, ut inter agens et patiens contactus ſit corpo-

poreus, quod vel ipſe Ariſtoteles 7. *Phyſicorum Cap.* 2. obſervaſſe videtur. Oportet, ut ſint partes ſeu effluvia inſenſibilia, quas particulas ſtriatas vocamus, quae ferrum, aliaque corpora magnetica, intra activitatem magnetis conſiſtentia, ad magnetem pellunt, vel ſaltem alliciunt, ut ferrum magneti ſeſe adjungat. Inde vis attractiva ſeu adjunctiva ſuam trahit originem. Idem dicendum de fruſtulis papyraceis, quae ab electro fricto intra certam diſtantiam attrahuntur.

§. 157.

Aliqua quidem *praejudicia* ſicut naſcente ſeculo oriuntur, ita eodem exeunte pereunt; 1) attamen, quoniam plura praejudicia, niſi mature et cito abjiciantur, non ſolum uni alterive homini, ſed integrae etiam communitati et nationi nocent, quivis, et praeſertim literatus, toto pectore incumbat oportet, ut ex captivitate praejudiciorum, quamprimum poterit, liber exeat, ne praejudicio occupatus errorem eo pertinacius defendat, longiusque propaget, quo majores illud in animo jam egit radices. 2)

Scho-

Digitized by Google

Scholia.

1) Initio seculi 1700 ingens fama de *sagis* circumvagabatur in terris Lotharingicis, de quibus hodie altum est silentium.

2) Sicut febri correpti de potus differentia sane judicare nequeunt, ita etiam homo *praejudicio fascinatus* errorem non agnoscit, et de veritate falso judicat, utpote quae nonnisi difficilem aditum adinvenit in mente praeoccupata; nec (ut *Quintilianus* ait) *facile quid persuadetur invitis:* atque ut *Augustinus* habet Lib. 6. *De Civitate Dei.* "Nimiae stultitiae „ vel pertinaciae nulli quanticunque innu„meri libri satis esse possunt. „ Et ut praevidit *regius Propheta* "turbati sunt si„cut ebrius, omnis sapientia eorum devo„rata est. „ Necnon *Apostolus ad Romanos*: „Evanuerunt in cogitationibus suis, et ob„scuratum est insipiens cor eorum; dicen„tes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt.„ Item *Johannes Zahn* Parthenonis Cellae Inferior. Can. Ord. Praemonstrat. Praepositus contra praejudicia hisce verbis fulminat. "Inter praecipuas errorum causas opinio „ab infantia concepta, educatio, consue„tudo, authoritas eorum, quos colimus, „consensus hominum, et alia ejus generis plu„rima, ne res ipsas sincere et pure intelliga„mus, obstant maxime, et in varios erro„res nos abducunt; unde quod semel nobis

„ bis probatum fuit, aut creditum in ju-
„ ventute, vix dimittimus senes, adeo, ut
„ voluntatis vitia aut affectus mentem ipsam
„ velut contagio quaedam imbuant. Ita in *Specula physico - mathematico - historica. Tom. II.* §. 28. pag. 196.

§. 158.

Dubiatio quidem supra laudata viam sternit ad deponenda praejudicia, sit non qualiscunque, sed illa demum, quae sobria est, hoc est, quae non de criteriis veritatis aut de rebus instituitur, quae evidentiam maximam habent, vel divina auctoritate nituntur: 1) sed de iis rebus, quarum rationes intrinsecas intimius et distinctius nondum perspicimus: 2) enimvero cum *dubitare* nihil aliud sit quam suspendere judicium; *suspendere judicium* autem ille dicatur, qui neque affirmat, neque negat, plane non statim est *praefracte negandum*, de quo dubitatur, neque is statim dicendus est *negare*, qui dubitat; non enim negat, qui suspendit judicium: nec is, qui de mysterio aliquando dubitat, ideo statim *atheus* aut *profanus*, sed *infirmus fide* est. 3)

Scho-

Scholia.

1) Dum *dubitationem* adeo commendamus literarum ſtudioſis, neutiquam ſtatuere volumus, in myſteriis fidei etiam eſſe dubitandum; quamvis enim etiam myſteria fidei non ſint ſine ratione ſufficiciente, intellectus humanus tamen ſuis exiguis circumſeptus limitibus, non poteſt omnium rerum rationes ſufficientes inveſtigare, et praeſertim *myſteriorum* fidei: poſſibile ſcilicet non eſt homini, finitoque ejus intellectui rationes ſufficientes perſpicere, quas Deus ab eo perſpici et inveſtigari noluit, ſuoque intellectu infinito reſervavit.

2) Non igitur de criteriis veritatis, ratiociniisque evidentibus *more ſcepticorum* dubitandum eſt, qui metu erroris committendi veritates univerſales inſuper habent, ſeu nihil affirmant, nihil negant in univerſali, adeoque a *dogmaticis* plane ſeſe diſtinguunt; hi enim veritates univerſales defendunt, ſeu quid affirmant vel negant in univerſali. Dein dogmatici, quando dubitant, aſſenſum ſuum ſuſpendunt *non ſine colliſione probabilitatum in utramque partem*: ſceptici autem ſuum judicium ſuſpendunt ſine juſta ratione, ſeu ſine praedicta colliſione probabilitatum, et potius ex *aliqua neſcientia.*

3) Si-

3) Sicut enim ratione objecti *praejudicia dantur theoretica et practica, juridica, medica et philologica*, ita et *theologica*. Caeterum dubitatio non est confundenda cum *scrupulo*; qui enim scrupulum sibi aliisve movet, is non suspendit assensum circa totam rem. Ita multi viri eximiae pietatis et eruditionis animo circumferunt plurimos scrupulos in quaestionibus bibliorum geographicis, chronologicis, genealogicis, quin et philologicis, etsi toti Scripturae sacrae indubiam habeant fidem. *Scrupulus* est nihil aliud, quam suspensio judicii nostri circa rem vel demonstrativam vel probabilem ex spisso perturbatoque sanguine orta. Hinc scrupulosi pro hominibus acuti ingenii plane haberi nequeunt. Adhaec pessime ageretur cum veritate, si ei non prius velimus assentiri, quam scrupulis omnibus ex animo anxio evulsis. *Dubitatio his circumscripta limitibus* te docebit, et parentes et praeceptores tuos, et viros magnos et probos et senes, quin et integros populos aliquando esse deceptos, et decipi posse, nec veritatem omnibus esse tam obviam, ut, quin diligenter quaeratur, sponte appareat.

§. 159.

Uti ad meditandum, ita et ad *disputandum* corpore et animo dispositus accedas opor-

Digitized by Google

oportet. Animus erit paratus ad eruendam *disputatione* veritatem, si vanum fugias gloriolae aucupium, atque *solam veritatem* inquiras, et quidem non modo ab odio et fraudibus abstinendo, sed convitia quoque, sophismata, scurrilesque invectivas, quibus alter alterum durante disputationis actu lacessat, prorsus omittendo. 1) Cavendum tibi, ne respondere praesumas, priusquam argumentum fuerit perfectum propositum. Quodsi autem cogaris citius respondere, dicas: admitto hanc propositionem *argumenti causa*; aut dicas: *Transeat.* Sic enim, si te postea videris deceptum, adhuc dicere poteris, *te non in eo, sed alio accepisse sensu.* 2)

Scholia.

1) Exulet vehementia ingenii, ardorque dicendi. *Lutherus*, ille reformator Ecclesiae neutiquam invitatus, primum carpsit excessus quaestorum circa indulgentias, sed postea vehementia ingenii, ardoreque dicendi (erat enim vir vivacis ingenii, vehementis eloquantiae et impetu auditorem rapientis) eo abreptus, ut in lite cum Dominicanis habita ipsas etiam indulgentias aggrederetur. *Bossuet* Episcopus Meldensis in Historia Protestan-

ſtantium. Lib. I. ab anno 1517. usque ad 1520. 2) Potius ita te geras, quaſi ab eo, quocum tibi res eſt, id, de quo diſputatur, *diſcere* velles: noli alium decipere per *fallacias*, nec lauda, quando a te interrogatus male reſpondit, et multo minus ad iram provoca. Antequam quidquam obiicere aggrediaris; roga eum, quocum loqueris, ſi utatur verbis obſcuris, interpretationem, quin iraſcaris, memor manſuetudinis Socraticae.

§. 160.

Diſpoſitio denique ad *docendum* et *ſcribendum* haud aliter acquiritur, niſi frequentatis actibus. Antequam publicam quis conſcendat cathedram, ut privatis inſtructionibus, repetitionibus, ac doctionibus domeſticis ſibi *habitum* comparet neceſſe eſt. Non enim ſufficit, ut ipſe prius veritatem ſis aſſecutus, et quomodo cum ſuis principiis ſit connectenda, perſpicias, ſed inſuper requiritur vel maxime, ut debitam habeas aetatem, et non modo ipſe diu ſis meditatus, ſed etiam uſum doctrinae tuae habueris.

Scholion.

Ridendus eſt proin, qui vix ſchola elapſus aliis

aliis et aetate et praxi repetendi praecellentibus docendi ſpartam ſolicitando praeripere conatur. Ridendus etiam, qui a pulvere ſcholaſtico jam per plurimos annos remotus et inter negotia forenſia caneſcere incipiens ad tradendam quandam diſciplinam aſpirat, in qua privatis, publicisque repetitionibus ſe ſe nunquam exercuit. Quomodo enim quis, etiam doctiſſimus, alteri *in ſchola* publica poterit ſuam ſcientiam *communicare*, qui non antea privatis repetitionibus ſeu inſtructionibus ſibi *habitum* acquiſivit ideas ſuas pro captu juventutis evolvendi ac proponendi? num poterit quis in exercitio armorum inſtruere manipulum aut cohortem, niſi antea unum alterumve tyronem militiae inſtruendo artem didicit integros manipulos cohortesque in armis exercendi?

Caput II.

Sectio I.

De Natura

Veritatis evidentis, ejusque *duplici criterio*, experientia ſcilicet et demonſtratione.

Digitized by Google

§. 161.

Vocabulum *veritatis* in ſenſu philoſophico *tripliciter* accipitur. Affectio rei, qua res habet omnia ea, quae ipſius eſſentiae et naturae debentur, dicitur *veritas metaphyſica.* 1) Convenientia oris et mentis in ſermone vocatur *moralis* ſeu *ethica.* 2) Convenientia cogitationis noſtrae econtra cum re ipſa nuncupatur *veritas logica.* 3) Addunt alii *veritatem hiſtoricam*, quae eſt propoſitio ſingularis, ſi fuerit vera. Propoſitio autem vera eſt illa, in qua praedicatum ſubjecto abſolute vel ſub data conditione convenit. Ut proinde veritas ſit in *re*, tanquam in *fundamento*, ſeu objecto; in *intellectu* autem tanquam in *ſubjecto*; et in *verbis* ſeu *geſtibus*, quibus ſenſa animi prodimus, tanquam in *ſigno*, ſeu *ſymbolo.* 4)

Scholia.

1) Hoc ſenſu Chriſtus dicitur *verus Deus* et *verus homo* Hoc ſenſu etiam lapis dicitur *verus lapis*, quatenus habet omnia requiſita lapidis. Quin et mendacium habet *veritatem metaphyſicam*, cum *mendacium* ſit verum mendacium, qua-

quatenus habet omnia requisita mendacii. At falsum, inquis, datur aurum: respondetur, aurum, quod falsum esse asseris, vel est aurum vel non est aurum: si est, verum est aurum; si non est aurum, erit vel verum cuprum, vel verum orichalcum, vel aliud metallum. Ut adeo *veritas metaphysica* sit ordo eorum, quae enti conveniunt; res enim tunc habet essentiam sibi debitam, si is ibi observetur ordo, ut principio rationis sufficientis omnia fiant conformiter, cum veritas metaphysica nihil aliud sit quam *ordo, per quem quodlibet habet rationem sui sufficientem. Gravitas, color, soliditas*, et *ductilitas* sunt proprietates auri; quodsi igitur in aliquo metallo deprehendis hasce proprietates, tunc hoc metallum veritate metaphysica verum est aurum.

2) Hinc qui, quod sentit, eloquitur, *moraliter verum*; qui aliud sentit, *moraliter falsum* dicere perhibetur. Est enim *veritas moralis* nihil aliud quam consensus verborum cum animi nostri conceptibus. Et *falsitas moralis* est dissensus verborum, gestuumque nostrorum cum animi conceptibus. Sermo autem, a mente alienus, si in nostrum, aliorumve damnum vergat, *mendacium* dicitur: si econtra in neutrum redundet, *falsiloquium* vocari coepit; hinc facile intelligitur, falsiloquium cum mendacio non esse *commiscendum*. Enimvero, cum interdum

contingat, ut per id, quod quis verum dicat, se aliosque in funestissimum detrudat exitium, prouti proditores patriae per hoc, quod verum dicant, concives suos in summas miserias praecipitant, veritas nonnunquam *reticenda* est, imo interdum nec verum nec falsum dicendum est, id quod ex circumstantiarum indole dijudicari debet.

3) *Veritas logica* est igitur convenientia idearum nostrarum cum objectis. Si mihi turrim concipio, insistentem basi, tunc veritatem logicam dicor assecutus; sin mihi eam repraesento apici insistentem, tunc in falsitatem logicam incidisse dicor, cum idea mea cum objecto non conveniat. Dum mihi aedes sisto quadratas, cum idea mea cum objecto conveniat, dicor habere veritatem logicam: secus si eas mihi sisto omni ex parte rotundas. *Falsitas logica* igitur est disconvenientia cogitationis nostrae cum objecto.

§. 162.

Veritas logica aeque ac falsitas logica aut deprehenditur in *idea simplici*, quatenus ego mihi rem sisto ita, ut est vel non est. 1) aut in *judicio*, quatenus ideas, quae combinandae sunt, combino, atque illas ideas, quae separandae veniunt, separo, vel contra. 2) aut denique in *ratiocinio*, quandocunque nec in forma, nec in materia ratiocinationis vitium latet, vel contra. 3)

Scho-

Digitized by Google

Scholia.

Quoniam illa idea *falsa* dicitur, quae cum re repraesentata non convenit, uti supra de turri et aedibus diximus, quidni *veram* dicamus, quae cum re repraesentata convenit? verum ergo, falsumve inesse etiam potest *ideis simplicibus*, et consequenter veritas in *una idea* etiam consistit. Quoties mihi per *immortalitatem animae humanae* nihil aliud fisto, quam indestruibilitatem, quatenus ipsa corpore extincto superfit sui ipsius non amplius conscia, nec status praeteriti memor, toties *falsam* seu *deceptricem* habeo *ideam de immortalitate animae.* Ast *veram* de ea mihi comparo ideam, dum illam mihi fisto, machina corporis soluta, in statu perceptionum distinctarum versantem, eandemque se agnoscentem, quae fuerat ante corporis mortem.

2) Sic meum de aqua et saxo judicium est verum, si dico, *aquam esse fluidam*, *saxum esse durum* aut *solidum saltem.* Enimvero cum ideae ita sint combinandae aut separandae, ut quae affirmari debeant, affirmentur, et quae negari debent, negentur: *negatio* autem aeque ac *affirmatio* dicatur qualitas propositionum seu judiciorum; item cum eae, quae judicium ingrediuntur, ideae, ita sint affirmandae aut negandae, ut, quae universalia sunt judicia, *universaliter*, et quae particularia sunt, *particulariter* sumantur, sumptio autem tam uni-

verſalis quam particularis judiciorum vocetur *quantitas* eorundem, facile omnino intelligitur, quod fallitas judiciorum vel in *qualitate* vel in *quantitate eorum* haereat. Hinc ſi dico: *homo non eſt rationalis*: item *homo eſt lapis*, tunc fallitas horum judiciorum latitat in *qualitate* eorum, quia nego, quod affirmandum, et affirmo, quod negandum erat. Lapis enim ſit oportet, qui id non intelligit. Sin dico; *quaedam triangula habent tres angulos*; item *omnia triangula ſunt rectangula*, tunc falſum commitur *in quantitate*. Debuiſſem enim dicere: *omne triangulum habet tres angulos, et quaedam triangula ſunt rectangula*, ſeu *habent angulum rectum*.

3) Falſitas ergo ineſt *ratiocinio*, quando vel *alterutri* praemiſſarum eſt falſa, vel alias contra *regulas ſyllogiſticas* peccatur. In priori caſu committitur *paralogismus*: in poſteriori autem *ſophisma* ſeu *fallacia*. Uti apparet ex ſequenti ſyllogismo, in quo major eſt falſiſſima, adeoque per *negationem* ſolvenda. *Quae in loco ſunt, loco coextenſa ſunt*: atqui *anima hominis eſt in loco* (ſcilicet in corpore) ergo *anima locō coextenſa eſt, adeoque extenſione gaudet*. Econtra in ſequenti ſyllogismo ſophisma latitat: *DEus eſt ubique*: ſed *ubique eſt adverbium*: ergo *DEus eſt adverbium*. Cum autem de *ſolutione ſophismatum* jam ſupra in *prima Parte* hujus opuſculi de ſyllogismo, ejusque vitiis *tractante*, ſatis ſuperque egerimus, hic loci tanto labore ſupersedere poſſumus. Interim cavendum, ne

ex

Digitized by Google

ex conclusione, quae per justam et evidentem consequentiam ex praemissis fluit, dijudices *ipsas praemissas*. Nam conclusio saepe ex praemissis *legitime* deducitur, et vera est, etsi aut *ambae praemissae*, aut *alterutra* saltem earum, falsae sint. Uti in materia de syllogismo loco citato ad oculum ostendimus.

§. 163.

Ex his, quae hactenus de *veritate ratiocinii*, diximus, ad oculum patet, illam philosophiam *veram* esse dicendam, in qua aut nullae aut nonnisi pauciſſimae latitant *fallaciae*; cum autem ibi nullae aut pauciſſimae latitent fallaciae, ubi distinctionibus, per quas illae solvi debent, aut nullus, aut nonnisi rariſſime est locus, plane concludere debemus, illam philosophiam, ubi continuo *objicitur*, adeoque etiam continuo *distinguitur*, nec genuinis principiis, nec genuinae methodo inniti, sed meris constare fallaciarum sordibus. Methodus enim Philosophica non solum requirit, ut ratiocinia tantummodo a principiis certis deducantur, adeoque conclusiones demonstrative probentur, utque ea praemittantur, per quae intelliguntur sequentia, sed etiam nul-

lum assumit terminum, nisi vel accurate definitum, vel per experientiam jam determinatum et aliunde notum. Quodsi autem vi methodi philosophicae omnes termini, quorum significatus vel obscurus, vel ambiguus certe, minusque determinatus est, quodsi etiam omnes propositiones amphibologicae, omnes plures interrogationes in unam compactae, omnes ignorationes elenchi, omnes denique falsae praemissae, quin omnes falsi syllogismi, cujus vitiosa forma vel crypsi vel nulla crypsi tegitur, ideo expresse prohibentur, quia ex iis, si praemittuntur, subsequentia non intelliguntur, quomodo in Philosophia per hanc methodum tractata fallaciis et paralogismis, adeoque et distinctionibus ad solvenda sophismata adhiberi solitis locus esse poterit?

Scholion.

Hinc quia in Philosophia *Scotistica*, *Thomistica* et, ut ajunt, *Aristotelica*, ubique et continuo distinctionibus ad solvendas objectiones, aliasque perplexitates opus est, non possunt non Philosophiae hujus generis esse meris fallaciarum sordibus coagulatae, atque omni ex

parte

parte ſophiſticae. *Haec Philoſophia Sophiſtica* ubi poſtea in Theologiam, quin et in Jurisprudentiam ac Medicinam irrepſit, fere omnes, qui hiſce ſtudiis ſeſe totos dabant, in morum et ignorantiae praecipitium miſerum in modum acti ſunt. *Fleury Jus Eccleſ. Part. I. Cap. 26. de Regularium Reformationibus.* Quantum autem haec Philoſophia ſophiſtica attulerit damni ſtudio Jurisprudentiae civilis, vel ipſe Clar. *Heineccius* teſtatur in praefatione ad Inſtitutiones Juris, ubi damnat methodum analyticam interpretando docendoque Juri Civili illis temporibus adhiberi ſolitam, dicitque nihil a tempore hujus perverſae doctionis eſſe aequum vel iniquum, juſtum vel injuſtum, ad quod defendendum alicui deeſſe poſſit doctorum auctoritas.

§. 164.

Quando *convenientia* aut *repugnantia ſubjecti et praedicati* in quodam judicio a me tam diſtincte perſpicitur, ut, quod huic judicio contrarium et oppoſitum eſt, locum invenire non poſſe intelligam, adeoque non formidem, ne judicium oppoſitum eodem tempore etiam verum ſit, tunc de *veritate* aut *falſitate judicii certus* ſum, ſeu tunc *certo* ſcio, *hoc judicium eſſe verum* aut falſum. 1) Enimvero,

cum

cum omne id, quod verum eſt, ex hac ratione in ſe certo verum ſit, quia non ſimul poteſt eſſe falſum, non omne id autem, quod in ſe certo verum eſt, ideo etiam *nobis* certo verum eſt, quia nos non ſemper convenientiam vel repugnantiam ſubjecti et praedicati diſtincte ſatis perſpicimus, ideo *certitudo* diſtingui coepit in *objectivam* et *ſubjectivam*. 2) Quin quod diſtinctius alius, alius autem minus ſufficienter, diſtincteque connexionem praedicati atque ſubjecti in judicio perſpicit, et conſequenter unum idemque judicium alteri *certo verum*, alteri *incertum* eſſe poteſt. 3)

Scholia.

1) Sic hoc judicium: *ego veſcor cibis*, tempore prandii mihi *certo* verum eſt: neque enim formido, ne judicium huic oppoſitum *ego non veſcor cibis*, durante eodem tempore ſit etiam verum. 2) Sic haec propoſitio: *Dantur antipodes*, ſemper fuit *objective* vera, etſi etiam a doctiſſimo quoque aut in dubium vocata, aut omnino negata fuit. Poſtquam autem celeberrimus *Columbus* Americam detexit, mox coepit et fieri *ſubjective* certa. Sic durante proceſſu *judici* aeque ac *utrique parti litiganti* incertum eſt, penes quem ſit jus, quam-

quamvis istud jus jam in se et objective certum sit. Ast post ventilata acta pro et contra jus alterutrius partis tam distincte perspicitur, ut certo plerumque sciat, quis litigantium causa cadat: quin ipsa sententia judicis est plerumque uni parti ex litigantibus certa, et alteri incerta. 3) Geometrae certum est, seu certo verum est, quod *duo anguli trianguli non sint aequales semicirculo*. Ast Geometriae expers hanc propositionem pro incerta habet. Pariter in *omni facultate*, scilicet *theologica*, *juridica*, *medica*, et *philosophica*, Doctor aut Candidatus complures propositiones agnoscit esse certo veras, quas plebs aut literatus mediocriter tinctus pro incertis aut omnino erroneis, falsisque habet.

§. 165.

Certitudo (scilicet *subjectiva*) est cognitio veritatis absque omni formidine oppositi. 1) *Incertitudo* econtra est cognitio veritatis conjuncta cum formidine oppositi. 2) Quemadmodum autem aliquod judicium vel est *certo verum*, vel *incerto verum* seu *incertum*, ita etiam vel est *certo falsum* vel *incerto falsum*. Quoniam autem illud est *certo verum*, quod vel experientia seu sensione indubia, vel principio evidenti nititur: istud econtra *certo falsum* est, quod vel indubiae

biae ſenſioni vel principio evidenti luculenter repugnat, adeoque *contradictionem* involvit; hinc experientia et ratio ſeu demonſtratio ſunt *criteria veritatis*, ſeu lydii lapides, ad quos veritatem aut falſitatem alicujus judicii examinare debemus. 3) *Experientia* eſt cognitio acquiſita attendendo ad res ſenſibus obvias. 4) *Demonſtratio* eſt connexio ratiociniorum, in quibus nullae praemiſſae, niſi certae, admittuntur, ſeu certa et indubitata principia. 5)

Scholia.

1) Sic me laetum eſſe certo ſcio, quia *ſenſu interno* percipio laetitiam. Sic nunc diem eſſe certo ſcio, quia *propriis oculis* video, circumjecta corpora mediante ſolis luce eſſe adhuc reddita conſpicua. 2) Sic alter, videns me ridere et exultare, me laetum judicat, et verum eſſe credit, quod ſim laetus. Aſt certus non eſt, utrum ſim laetus, cum nec laetitia ſemper riſum et exultationem excitet: plures enim illius riſus ac exultationis eſſe poſſunt cauſae, e. gr. ſimulatio aut illuſio: ergo alter poteſt formidare, ne oppoſita propoſitio, *quod ſim intus triſtis*, forſitan ſit vera. 3) Incipit omnis idea ſeu cognitio a *ſenſione praecedente*, qua rerum modos, attributa et effectus addiſcimus, accuratèque diſcer-

discernimus. Talis sensio saepe et sub diversis circumstantiis repetita dicitur *experientia*, quae nihil aliud est, quam sensionum semper sibi similium memoria. Unde intelligitur, quod aut nulla sit veritas, quod absonum est, aut sensus, positis omnibus ad sentiendum requisitis, numquam fallant. *Sensio* igitur praecedit, *idea* sequitur: sensio a *sensibus*, idea ab *intellectu* elicitur. 4) Hinc sensionem seu judicium intuitivum aliqua demonstratione probare non teneor, sed tantum enarrare casum, quo hoc observaveram seu senseram: e.gr. quo observavi propriis oculis, *solem nunc pluribus maculis obduci, nunc paucioribus.* 5) Si ex supradicta *sensione* concludere vellem, *solem esse metallum aliquod liquidum, cujus scoriae aliquando emergentes has maculas in superficie efficiant*, tunc tenerer probare, me recte concluisse, seu judicium meum discursivum esse legitime factum.

§. 166.

Diximus supra, *veritatem cognitionis historicae* nonnisi ope sensuum acquiri, adeoque *sensionem indubiam* esse criterium veritatis. 1) Novimus autem aliunde, ad *veritatem cognitionis philosophicae atque mathematicae* sensus solos non sufficere, sed *ratiocinationem* vel maxime requiri. Unde et *ratio* est criterium veritatis

ritatis. Nimirum ſicut in rebus theoreticis, et quae a ratiocinio pendent, *demonſtratio*, ita quoque in rebus, quae facti dicuntur, *concurſus circumſtantiarum ſenſione indubia obſervatus* indicium veritatis indubitatum eſt. Non enim magis hiſce circumſtantiis reſiſtere licet, quam optimae demonſtrationi: atque hinc vel verum ſuadere intelliguntur illae circumſtantiae, vel nos ita a Deo creati eſſemus, ut neceſſario falleremur, et conſequenter *error nobis invincibilis* refunderetur in Deum tanquam cauſam ejusdem.

Scholion.

Senſio indubia ſupponit varia requiſita. 1) Organa ſenſoria, nullo vitio vel morbo laborantia. 2.) Adhibitio plurium ſenſuum in conſilium. Sic aurum et argentum inauratum nullo alio ſenſu ſufficienter diſtingues, niſi tactu, et, quod illo exploratur, pondere. 3.) Mens ſana et rem juſta attentione contemplans. 4) Juſta diſtantia organorum et objectorum. 5.) Apparatus inſtrumentorum, quibus objecta nimis remota, aut inſigniter ſubtilia contemplari poſſimus. 6.) Medium in viſione lucidum, limpidum, non duplex. Sic *Optica* multas detegit *viſionis illuſiones*. 7.) Denique ſenſio ſub diverſis circumſtantiis

ſtantiis inſtituta. Sic *aeris elaſticitatem* ejusque *gradum* exploro, dum aerem veſciae ſuillae incluſum frigori primum exponam, deinde igni admoveam. Ad obſervandam pulveris pyrii naturam, primum in effectus ſulphuris, dein nitri, ac denique carbonum deminutorum indago, dein binas harum rerum miſceo, earumque effectus ſic exploro, et ultimato demum confundo omnes tres partes ingredientes pulveris pyrii.

2.) Ad formandam demonſtrationem requiruntur *propoſitiones univerſales*, quae fiunt per *abſtractionem*, quoties a particularibus circumſtantiis individuorum abſtrahimus. Objectum propoſitionis univerſalis non exiſtit a parte rei, ſed eſt ens rationis ſeu cogitatio, qua intellectus utitur ad ratiocinandum. Sic, quando contractus in genere definitur *conventio de re, quae eſt in commercio, transferenda*, tunc objectum hujus definitionis, ſcilicet *contractus in genere*, a parte rei non exiſtit. Vocatur *haec conventio* contractus in genere, quia id, quod intellectus propoſitioni ſpecificae e. g. conventioni emtionis venditionis demſit, revera non eſt ademtum; ſicut quod intellectus contractui in genere addidit, a parte rei non ſemper eſt additum; hinc probari nequit exiſtentia rei per abſtractionem formatae. Plane ſi id, quod *contractum in genere* vocamus, exiſteret extra intellectum, tunc non amplius eſſet contractus in gene-

re, ſed eſſet individuum, ex quo intellectus aliquid abſtraheret, ut inde formaret contractum in genere. *Additio et mutatio*, ſiqua ſit contractu in genere, eſt tantum combinatio arbitraria. Hoc interim neceſſe eſt ad formandam demonſtrationem, ut dentur propoſitiones et ideae univerſales ſeu immateriales, quia ex meris particularibus in ſyllogismum ingredientibus nihil ſequitur; quamvis autem res abſtractae extra intellectum non exiſtunt, exiſtunt tamen extra eum, ut veſtitae circum ſtantiis individualibus, ſeu exiſtunt in individuis. Uti ſupra in ſectione de ideis univerſalibus diximus.

§. 167.

Ex his, quae diximus, facile intelligitur, quod, quo magis indubia eſt ſenſio, qua rem quampiam percepimus, eo magis certi ſimus de *veritate ideae* vel *judicii*; item quo firmior eſt demonſtratio, quoque magis a me vis argumenti penetratur, eo certior ſum de veritate *judicii per ratiocinationem detecti.* Et ita contra *de falſitate.* Unde tam *veri certi* quam *falſi certi* gradus aſſignari poſſunt. Quasdam propoſitiones *veras* eſſe, demonſtrari vix poteſt, etſi non poſſimus illis aſſenſum noſtrum denegare. a) Aliarum propoſitionum veritas vel difficilius

vel

vel facilius demonſtratur. 2) In aliis autem veritas ita incurrit in oculos, ut demonſtratio illius omnino eſſet ſuperflua. 3) Pariter quarundam propoſitionum falſitas *demonſtrari* quidem non poteſt, aſt in oculos ita tamen incurrit, ut a nobis impetrare non poſſimus, ut iisdem aſſenſum praeſtemus. 4) Alias econtra propoſitiones falſas eſſe demonſtrari poteſt, ita tamen, ut quaedam *faciliorem* admittant, quaedam autem earum *difficiliorem* requirant *demonſtrationem*. 5.) Sunt denique etiam propoſitiones falſae, quarum falſitatem ſi demonſtrare vellemus, hoc ipſo labor iſte eſſet ſupervacaneus, quia eam primo intuitu agnoſcimus, et quaſi manibus palpamus. 6) Atque haec ſufficiat dixiſſe de gradibus certi veri et certi falſi.

Scholia.

1.) Huc pertinent *definitiones* ex experientia indubia *legitime* formatae, uti et *axiomata* et *poſtulata* ex definitionibus *immediate* deducta, et *omnes conſequentiae immediatae*. Cum enim axiomata et poſtulata immediate per *oppoſitionem, converſionem* aut *aequipollentiam* ex definitionibus fluant, et non mediate ſeu mediante ratiocinatione et ſyllogiſatione deducan-

tur, facile patet, ea mediante ſyllogismo non demonſtrari. Sic etiam *immortalitas animae* etſi vix demonſtrari queat, a plerisque tamen creditur, quod anima ſit immortalis. Huc refertur etiam *principium contradictionis indemonſtrabile.*

2) Hujus propoſitionis (*ſi duae rectae lineae* (*AB*, *CD*) *ſe ſecent, tunc anguli ad verticem oppoſiti ſunt aequales*, ſc. *m ipſi n*, *et r ipſi s*) veritas non quidem cuivis ſtatim in oculos incurrit, at facile tamen demonſtratur. Econtra operoſiore demonſtratione opus habet veritas ſequentis propoſitionis: *Quadratum hypothenuſae eſt aequale quadratis baſeos et cathedi ſimul.*

3) Tales propoſitiones ſunt *bis duo ſunt quatuor. Ignis non eſt aqua. Gravia non tendunt ſua ſponte ſurſum. &c.*

4) Sic etſi falſitas hujus judicii, *daemon ſagis apparet*, demonſtrari nequeat, ſapiens tamen eidem vix aſſenſum praeſtabit, atque eam eſſe falſam potius quam veram exiſtimabit.

5) Falſiſſimum quidem eſt, *ſi triangula habeant angulum unum alteri aequalem, et duo latera, quae hos angulos comprehendunt, mutuo aequalia ſint, non eſſe tota triangula aequalia*; aſt falſitas hujus propoſitionis non prius a quovis inſpicitur, quam fuerit oſtenſa per demonſtrationem ſaltem facilem: econtra falſitas hujus propoſitionis (*duo rectangula non ſunt in ratione compoſita baſium et altitudinum*) nonniſi praevia demonſtratione operoſa a plerisque perſpicitur.

Digitized by Google

6) Sic haec propositio, *asinus non est animal rationale*, est tam falsa, ut homo, qui ejusdem falsitatem sibi demonstrari velit, non homo, sed asinus videri posset.

§. 168.

Quoties aliquod judicium demonstrandum ex *definitionibus*, *axiomatibus*, *postulatisque* deducimus, toties haec deductio vocatur *demonstratio a priori*. 1) Quodsi autem judicium nostrum ex *certa experientia* legitime derivamus demonstrandum, tunc nostra derivatio nuncupari solet *demonstratio a posteriori*. 2) Atque utraque haec *demonstratio* vocatur interdum *ostensiva* seu *directa*, quia in hac aeque ac in altera ex *notione subjecti* colligimus praedicatum convenire subjecto: quando econtra judicium *judicio nostro demonstrando oppositum* assumimus tanquam verum, atque inde *absurdam aliquam aut falsam propositionem* deducimus, quae judicio nostro demonstrando contradicit, tunc *demonstratio* nostra dicitur *indirecta* seu *apogogica*. 3) *Quicunque* igitur *modus demonstrandi* ad aliquod judicium probandum applicatus, ille non potest non ea omnia comprehendere, per quae praedicatum subjecto

jecto tribuendum intelligitur. Enimvero cum ea, per quae praedicatum ſubjecto tribuendum determinatur, nominemus *requiſita ad veritatem* 4) Is autem, qui omnia requiſita ad veritatem adeſſe novit, veritatem certo cognoſcat oportet: novit enim *rationem ſufficientem*, cur ſubjecto conveniat praedicatum; conſequens ſane eſt, ut, quodcunque judicium legitimo quodam modo ex *tribus ſupradictis demonſtrationis generibus* demonſtratum eſt, illud ſit in ſe *certo verum*, licet reſpectu illius, qui non capit vim talis demonſtrationis, adhuc incertum aut falſum videatur. 5)

Scholia.

1) Demonſtrat enim effectum ex ſua cauſa. Sic ſi animae humanae indeſtruibilitas ex ejusdem ſimplicitate ſeu immaterialitate demonſtretur, tunc *demonſtratio* fit *a priori*. Pariter, ſi velles *a priori* demonſtrare, quod Deus velit optimum, tunc opus haberes *definitionibus* et *axiomatibus* ſequentibus: *Def.* 1. Deus eſt ens perfectiſſimum. *Ax.* 1. Ens perfectiſſimum neceſſario gaudet voluntate perfectiſſima. *Def.* 2. Voluntas perfectiſſima eſt illa, quae optimum eligit. *Ax.* 2. Quicunque gaudet

det voluntate perfectiſſima, ille optimum eligit. Ex his principiis certis fluit ſequens demonſtratio. " *Quicunque eſt ens perfectiſſimum, ille gaudet voluntate perfectiſſima ; (per ax. 1.) ſed Deus eſt ens perfectiſſimum* (per *def.* 1.) Deus eſſentialiter definitur quidem, quod ſit ens independens, ſed ope attributi divini etiam definitur eſſe ens perfectiſſimum) ergo *DEus gaudet voluntate perfectiſſima* : quicunque autem gaudet voluntate perfectiſſima, ille eligit optimum (*per Ax.* 2.) ſed Deus gaudet eodem (vi praecedentis ſyllogismi) ergo Deus eligit optimum. „ In allata demonſtratione omnes propoſitiones praemiſſae ſunt *concluſionibus* priores, notionesque veluti, ut ita dicam, verae earum cauſae.

2) Uti, ſi cauſa ex ſuo effectu demonſtratur. " Mundus contingenter exiſtens eſt effectus exiſtentis Dei : „ hinc bene concludo : " exiſtit mundus contingenter, ergo exiſtit Deus. „ Demonſtratio ita procedit : " hic mundus potuiſſet aliter exiſtere, aut omnino non exiſtere : ſed quod aliter exiſtere aut omnino non exiſtere potuiſſet, illud exiſtit contingenter : ergo mundus exiſtit contingenter. Quidquid autem contingenter exiſtit, illud debet habere rationem ſufficientem, cur potius exiſtat, quam non exiſtat, cur potius ſic quam aliter exiſtat : atqui mundus exiſtit contingenter : ergo mundus debet habere rationem, cur potius exiſtat, quam non exiſtat, cur potius hoc modo quam alio exiſtat. „ Ni-

Digitized by Google

hil enim eſt aut ſit ſine ratione ſufficiente, nec in corporibus, nec in ſpiritibus, uti ex *ontologia* conſtat. Rurſus: "quidquid eſt, atque adeo, cur ſit, rationem habet ſufficientem, illud eam aut in ſemet ipſo habere debet, aut in alio ente extra ſe: atqui mundus non habet rationem ſufficientem ſuae exiſtentiae in ſe; omnes enim hujus mundi eventus ex ſuis quidem cauſis oriuntur, aſt hi non ſunt *abſolute*, ſed tantum *hypothetice neceſſarii*, cum nexus, quo effecta cum ſuis cauſis devinciuntur, ſit ejusmodi, ut immutari poſſit: ergo mundus habet rationem ſufficientem ſuae exiſtentiae extra ſe: adeoque datur ens a mundo prorſus diverſum, in quo continetur ratio ſufficiens, cur hic praeciſe nec alius mundus, (id eſt, ſeries haec entium finitorum tam ſimultaneorum quam ſucceſſivorum, inter ſe connexorum) adſit; jam illud ens, a mundo diverſum, non poteſt eſſe contingens; alias pertineret ad ipſum mundum, et non eſſet a mundo diverſum: ergo debet eſſe ens abſolute neceſſarium: atqui ens abſolute neceſſarium, ſeu ens tale, quod non poteſt non exiſtere, et in quo continetur ratio ſufficiens, cur hic mundus contingens exiſtat, dicitur *Deus*: ergo *exiſtit Deus*. En optimam, ſimpliciſſimamque *demonſtrationem Dei a poſteriori*: utut ab aliis tentatur *demonſtratio a priori*. Sic pariter *principium contra-*

Digitized by Google

tradictionis, quod a priori demonſtrari nequit, ſolumodo *a poſteriori* demonſtratur. Non enim caſus aliquis vel datur, vel dabitur, in quo fieri poteſt, ut *idem ſimul ſit et non ſit.* Eorum omnium, quae quidem nobis noſſe datum eſt, primum eſt, *quod exiſtas*, ait *celeberrimus Baumeiſterus*: dum autem *ſcimus*, *nos exiſtere*, fieri non poteſt, ut *eodem tempore*, *nos non exiſtere nobis perſuadeamus*: atqui idem, quod in exiſtentiae noſtrae cognitione verum eſt, in aliis quoque rebus locum habere comperimus: ergo vera eſt haec propoſitio, omniumque propoſitionum prima, " fieri non poteſt, ut idem ſimul ſit et non ſit: „ atqui haec propoſitio: idem non poteſt ſimul eſſe et non eſſe (ſc. ſub iisdem circumſtantiis) dicitur *principium contradictionis*: ergo principium contradictionis exiſtit, et eſt *abſolute primum*, quo prius nec eſt, nec eſſe poteſt. Quamcunque enim propoſitionem aſſumſeris, ſemper hoc principium ſupponere debes, quia alias propoſitio, quam fundamenti loco ponis, et vera ſimul et falſa eſſe poteſt. Hinc principium contradictionis a poſteriori demonſtratum *eſt fons omnis certitudinis*; ex hac enim propoſitione " fieri nequit, ut aliquid ſimul ſit et non ſit, „ fluit per ſe haec: " quaelibet res, dum eſt, certo eſt. „ En lapidem lydium veritatis certae.

Digitized by Google

3) Sic si quis neget, circulum esse figuram, cujus peripheria a centro ubique aequaliter distet, tunc *indirecte* sic demonstro, eum errasse. " Circulus est figura, cujus peripheria a centro ubique aequaliter non distat: atqui in linea ovali, lenticulari et spirali peripheria a centro aequaliter non distat: ergo linea ovalis, lenticularis, spiralisve est circulus. „ Quae conclusio hoc ipso *falsa* est, quia impossibile est, lineam ovalem, lenticularem, spiralemve esse circulum; cum *circulum* tunc oriri unanimiter dicant mathematici, quando figura radio circa punctum circumacto describitur, id quod experientia testatur. Huc etiam pertinet *demonstratio indirecta* de *quadratura circuli*. Si enim daretur quadratura circuli, tunc circulus esset quadratum, et quadratum esset circulus, adeoque *essentia circuli et quadrati esset eadem*; ast experientia testatur, modum, quo circulus oritur, esse prorsus differentem a modo, quo quadratum est possibile; quadratum enim seu quadrilaterum oritur, quoties *figura quatuor aequalibus lateribus, quatuorque angulis rectis clauditur*. Absurdum ergo, quin imo impossibile est, figuram, quae *radio circa punctum circumacto describitur*, quatuor angulis rectis claudi, et consequenter *vera* est *propositio*, quod non detur quadratura circuli: vera enim est propositio, ex cujus opposita *absurdum* vel *impossibile quid* necessario fluit.

4) Sic si dicis: *existit spiritus, omni*

Digitized by Google

corruptione liber, tunc nondum certo scis, utrum *existat DEus*: ast si demonstraveris, quod existat spiritus independens ab alio, tunc *certo* scis, *existere DEum*. Nam *spiritualitas entis*, et *independentia* sunt sufficientia requisita ad veritatem hujus enunciationis, *existit DEus*, certo cognoscendam: econtra *libertas ab omni corruptione* competit etiam animae humanae, quae adeo pariter dici potest spiritus, ab omni corruptione liber. Ulterius ad veritatem hujus judicii, *anima hominis est immortalis*, quinque requisita numerantur. 1. Existentia ejus, corpore extincto durans. 2. Simplicitas ejus. 3. Continuatio perceptionum seu repraesentationum, volitionumque suarum post mortem corporis. 4. Perseverantia in statu idearum distinctarum. 5. Memoria status praeteriti, atque conscientia sui. Atque haec quinque requisita reddunt veritatem de immortalitate animae certam: econtra *sola simplicitas animae* tantum indestruibilitatem animae efficit certam.

5.) Hinc nobis qua philosophis quaedam propositiones possunt esse certo verae, quae illiteratis sunt tantum *probabiles*: et contra nobis aliqua propositio tantum potest esse probabilis, quam vulgus pro certa habet. Idem dicendum de *falsitate*. Rursus, quod ante seculum vel ante plura secula ex defectu demonstrationis aut experientiae *probabiliter verum*, *falsumve* fuit, hodie nobis potest esse *certo tale*. *Majores nostri* crediderunt tantum, dari sanguinis circu-

latio

lationem : nos autem de ea *certiſſimi ſumus*. Majores tempore Platonis de immortalitate animae, aliisque ejus proprietatibus non *tam certi* fuerunt, ac nos ſumus. Majores exiſtentiam antipodum *probabiliter falſam* judicarunt : aſt nos *certi* ſumus, ultra mare Atlanticum occurrere terram continentem aeque ac incolas ejusdem.

Sectio II.

De natura *Veritatis Probabilis* ac eidem oppoſitae falſitatis.

§. 169.

Perſaepe tamen contingit, ut, utrum aliqua propoſitio ſit vera, neque per *demonſtrationem*, neque per *experientiam* deprehendere, et multo minus *veram certorum effectuum cauſam*, *modumve*, quo illi ſunt producti, aſſignare valeamus, atque interea tamen valde neceſſarium ſit, ut *propoſitioni conformiter* agamus et vivamus, niſi in quotidianae vitae uſu a *plerisque actionibus* abſtinere velimus. Hoc caſu *illa propoſitio*, ope cujus poſſumus cauſam et proprietates effectuum ſatis como-

de

de explicare, tamdiu *pro certa* assumenda est, donec aut per ratiocinationem, experientiamve *contrarium* monstretur, aut certe *melius judicium*, per quod assumpto commodius res explicatur, in medium proferatur. Tale *judicium pro vero* interea *assumptum* dicitur *hypothesis philosophica*. Haec nihil aliud est, quam *propositio, quam ideo pro vera assumimus, quia proprietates et effectus rei inde commode explicare possumus.*

Scholion.

Tales hypotheses sunt in *Medicina* influxus physicus animae in corpus, et reciprocus corporis in animam; in *Astronomia* copernicanus terrae motus, in *Physica* ortus terrae motus ex materia subterranea, inflammabili, maxime nitrosa et sulphurea; in *Ethica* haec propositio: quidquid parochus, voluntatem DEi sciens et morum moderator, suscipit, illud licitum est; in *Historia* auctoritas testis. *Systema* igitur, quod *hypothesi* nititur, dicitur *probabile*. Cum enim illa propositio sit *probabilis*, in qua praedicatum subjecto tribuitur ob *quaedam tantum veritatis requisita*, adeoque ob rationem insufficientem: *hypothesis* autem tantum ob *quaedam veritatis requisita*, adeoque ob rationem ad demonstrandum insufficientem *pro vera* assumitur, ut ad reddendam causam alicujus rei nobis inserviat, consequens omnino est, ut *systema*, hypothesi

theſi veluti unico ſuo fundamento innixum, nonniſi *probabile* ſit. Sic *probabilis* tantum eſt etiam ſyllogismus, in quo alterutra praemiſſarum nonniſi probabilis eſt. Formatur autem *hypotheſis* ſequentem in modum. 1. Datur *materia craſſa*, quae ſcilicet aere, aqua, terra et igne ſeu acido conſtat. 2. Datur *materia ſubtilis*, quae nonniſi aethereis particulis conſtat. 3. Datur in homine corpus *duplex &c.* quorum unum ex materia ſubtili, alterum ex craſſa eſt compoſitum, utrumque tamen organizatum. *Has tres propoſitiones* pro veris aſſumo, et explico *modum*, quo anima humana corpori ſubtili inſeparabiliter et harmonice unita, atque a corpore craſſo per mortem ſoluta facultates ſuas ſentiendi, cognoſcendi appetendique retineat, ſuasque operationes circa objecta ſubtiliora et praeſtantiora eliciat, atque in gradu ſublimiori continuet, ſicque ope organorum ſubtiliorum ſenſoriorum in altera vita perſeveret. Hoc ſyſtema praefatae hypotheſi ſuperinſtructum eſt admodum probabile, et reſurrectioni ac immortalitati favet.

§. 170.

Quoniam in probabilitate rei praeſupponitur *exiſtentia phaenomeni*, atque *a poſſe ad eſſe* nulla ſit conſequentia; bona autem *ab eſſe ad poſſe*, conſequens eſt plane, ut omne probabile quidem

dem debeat esse possibile; aut mere possibile tamen non sit statim probabile: enimvero cum illa propositio sit *vere probabilis*, in qua praedicatum subjecto attribuitur ob *quaedam* tantum requisita veritatis, adeoque ob *rationem insufficientem*, facile intelligimus, *eo probabiliorem* esse propositionem, quo *plura* requisita ad veritatem adsunt, ob quae praedicatum subjecto tribuitur: eoque *improbabiliorem* esse, quo *pauciora* numerantur talia requisita: 3) et consequenter probabilem a *dubia* differre propositione.

Scholia.

1) *Propositio assumta* proin, per quam existentia rei nulla ratione probari potest, non est *hypothesis*, sed *fictio*. Sic cum *motus atomorum*, qualem somniat Epicurus, nulla ratione probari queat, quod existat; hinc opinio *Epicuri* de motu atomorum non inter *hypotheses*, sed *fictiones* refertur. Haud dissimiliter illa propositio, in qua quidem existentia rei, quam supponimus, probari potest, at phaenomena tamen rei per aliam propositionem aeque explicari possunt, non probabilitate, sed mera possibilitate gaudet. Unde opinio *Honorati Fabri* de materia planetarum possibilitatem non excedit. Quid quod illa pars *astrologiae*,

in

in qua aſtrologi ex *domibus* nativitatum praenoſcitant, ne quidem poſſibilitas eſt, multo minus hypotheſis; prouti id aſſerunt praecipue quatuor Doctores catholici, ſcilicet S. *Gregorius* Papa in *Homilia Epiphaniae*, *S. Hieronymus* Presbyter Cardinalis, ſacrae ſcripturae interpres, in commentariis ſuper *Prophetam Sophoniam Cap. I. S. Ambroſius* Archiepiſcopus Mediolanenſis grandiloquus *lib. Hexameron. cap. 4. S. Auguſtinus* ante converſionem ſuam Rhetor maximus, et philoſophorum acutiſſimus, poſt baptismum vero ſuſceptum Epiſcopus Hippon. per totum mundum celebris Doctor et falſitatis inimicus. *Cap. 5. et in fine cap. ſept. &c.*

2.) Unde hypotheſis, quae ſacrae ſcripturae deprehenditur eſſe contraria, tamdiu pro erronea aut ſuſpecta habetur, atque rejicitur, donec interpretatio textus ex ſacris Bibliis non immutetur, ſeu id, quod antea *ſecundum literam* accipere placuit, poſtea in *ſenſu allegorico, parabolico* aut *quocunque* alio ſumere liceat. Ex hac ratione rejiciebatur longo tempore hypotheſis *Nicolai Copernici* Canonici Frauenburgenſis in Pruſſia, etſi ex illa magis, quam ex aliis hypotheſibus detur ratio continui aequalisque venti inter Tropicos commodiusque explicetur fluxus et refluxus maris. Hinc Jeſuita *Milliet Dechales*, Mundo Mathem. Tom. 3. Aſtronom. Lib. 1. propoſ. 6. p. 287. ſic ait: *Niſi Copernici hypotheſis ſcripturae eſſet contraria, divina prorſus appellari poſſet.*

Com-

Commodior ergo explicatio continui aequalisque venti inter tropicos, uti et ipsius fluxus, refluxusque maris est ratio insufficiens tamdiu, quamdiu S. Scriptura sic et non aliter circa passum concernentem exponitur.

3) Huc pertinet doctrina de probabilitate intrinseca, quid autem de *sacerrimis probabilissimi principiis*, in Philosophiam, Theologiamque moralem invectis, quibus multi etiamnum mirifice delectantur, sentiendum sit, Ethicis relinquimus. Id unum addimus, saepe nobis aliquid verisimile videri, quia nostra interest, ut verum sit, aut videatur esse verum, praecipue, si sermo est tantum de *probabilitate extrinseca*, seu de numero doctorum sic et non aliter sentientium. Nos hic tantum loquimur de *probabilitate intrinseca*, seu de motivis ex essentia et natura rei desumtis, aut, si mavis, ex visceribus causae; ponamus exemplum probabilitatis hujusce intrinsecae. Maevius, juvenis honesto loco natus, pollet ingenio et discendi desiderio flagrat, potitur fideli institutione et studendi commoditate, aliorumque subsidiorum copia. Quis est, qui non judicat, Maevium evasurum esse in virum doctum? Nativitas honorabilis, ingenium excellens, discendi desiderium, fidelis institutio, studendi commoditas, librorum, aliorumque subsidiorum copia, quid sunt nisi requisita ad veritatem hujus propositionis, *Maevius evadet vir doctus?*

Omnino ſunt *requiſita ad veritatem*, ſed inſufficientia; nam deſunt adhuc *alia requiſita*, ſcilicet, continuatio diligentiae et fidelis inſtitutionis, uti et firmae ſanitatis, et ne otium literarium bello, aliave ratione turbetur. Hinc tantum *probabiliter* judicas, Maevium fieri doctum; quodſi autem etiam reliqua requiſita adeſſent, tunc certo judicare poſſes, eum fore virum doctum.

§. 171.

Cognitio veritatis probabilis ſeu hypotheſi innitentis *opinio* appellari dividique ſolet in conjecturam et praeſumtionem. 1) *Conjectura* eſt opinio ex ſignis propriis, 2) et *praeſumtio* eſt opinio ex ſignis communibus orta: 3) ſi conjecturamur res futuras, tunc conjectura noſtra dicitur *divinatio*, 4) ſive ex *ſignis phyſicis, medicis, politicisve* 5) conjecturemur: ſi econtra aliquid deterius cenſemus e. gr. de proximo noſtro, tunc noſtra praeſumtio dicitur *ſuſpicio* plerumque. 6) Quodſi autem contingat, ut cohibeamus aſſenſum noſtrum in alterutram partem ob colliſionem requiſitorum veritatis ſeu motivorum, tunc haec ſuſpenſio noſtri aſſenſus dicitur *dubitatio*. 7)

Quo-

Quoties denique ſuſpendimus noſtrum aſſenſum ſeu judicium ſine hac colliſione requiſitorum veritatis pro utraque parte ſtantium, toties talis ſuſpenſio non aliter dici poteſt, quam *neſcientia*; 8) niſi fors accedat vana quaedam formido oppoſiti, quo caſu *ſcrupulus* vocatur. 9)

Scholia.

1) Eſt igitur *opinio* nihil aliud quam propoſitio inſufficienter probata, per talia ſc. principia; quorum veritas nondum certa eſt et ad liquidum perducta. Sic haec propoſitio: *datur harmonia praeſtabilita*, tantum eſt opinio aeque, ac eſt *ſyſtema cauſarum occaſionalium* et *influxus phyſicus*. Neutrum enim ſyſtema fulcitur principiis certis: eſt ergo probabile, quod detur harmonia praeſtabilita, et non tantum poſſibile, cum in ea ſenſiones et phaenomena, maxime in corporibus commodiſſime explicari poſſint, atque perfectiones Dei mirifice exaltentur.

2) *Poſſibile* eſt, me hoc anno a Principe profeſſuram accipere. Non enim involvit contradictionem: aſt *probabile* tamen non eſt, quia nondum circumſtantiae quaedam ſeu phaenomena apparent, ob quae judicare poſſim, me eſſe accepturum a Principe aliquam profeſſuram. Fac autem 1. me eſſe intra-

neum, 2. satis doctum et qualificatum ad spartam docendi. 3. ad finem anni scholastici certo vacaturam esse aliquam professuram in hoc genere scientiarum, quo excello. 4. Principem promisisse sancte, se velle me praeferre aliis in proxime vacante sparta docendi. Tunc revera nonnullae apparent circumstantiae, ob quas probabiliter judicare possim, me esse hoc anno adhuc accepturum professuram a Principe. Hoc judicium meum probabile vocatur *opinio*, quam supra nominavimus *conjecturam*, quia fit ex signis propriis.

3) Sic nemo praesumitur malus, nisi probetur talis. Signum, cui innititur *praesumtio*, desumitur ab eo, *quod ut plurimum fieri solet* sine praecedenti aliqua probatione. Sic *quilibet praesumitur bonus*, *quaelibet res libera*, *quodlibet instrumentum verum et solenne*. *Diligentia communis et media pariter praesumitur*, non autem *summa*. Sic etiam judex ex specialibus circumstantiis in negotio aliquo singulari occurrentibus aliquid inducit, illudque tamdiu *pro vero* habet, donec probetur contrarium. *Mascardus* in quatuor suis voluminibus *de probationibus* hanc materiam exhausisse videtur. Interim tam praesumtio illa *prior* ex natura rerum vel generis humani in universum consideratí deducta, quam haec *posterior* Judicis probationem in contrarium admittit, adeoque non est *veritas vera*. Quod autem

prae-

Digitized by Google

praesumtionem juris et de jure attinet, quae non admittit probationem in contrarium, non est proprie *praesumtio huc pertinens*, sed est dispositio legum de actu aliquo, quod ita praecise sese habere debeat.

4) Sic viri, in aulis Principum, rebus civilibus administrandis adhibiti, ex *eventu actionum praeteritarum* sagacissime perspiciunt rerum publicarum conversiones, praesagiuntque futuras vel belli vel pacis vicissitudines ex praesentibus, uti et caritatem annonae, ligni, alteriusve consumtibilis rei, atque ex similibus causis *exspectant* similes eventus, quia *similium similis est ratio.* Sic a simili ad simile argumentantur physici, quando incolas planetarum dari probant. Tale enim ab analogia desumunt argumentum. Terra et planetae sunt corpora solida, opaca, a sole lumen mutuantia. Atqui terra est incolis repleta. Ergo et globi aliqui caelestes seu planetae, qui ejusdem cum terra sunt naturae, habitantur ab incolis, abstrahendo tamen, an tales sint incolae, quales nos sumus, necne, ob majorem vel minorem propinquitatem eorundem ad solem, adeoque ob majorem vel minorem lucem, calorem, siccitatem &c.

5) Huc pertinent *regulae rusticae*, vulgo Bauernregel, quatenus observationibus rusticorum saepius in hac et non alia terra itera-

tis innituntur. Regulis ruſticis annumerandum venit quodcunque ſyſtema de *periodicis tempeſtatum annuarum viciſſitudinibus*, nonniſi ex applicatione *ephemeridum phyſicarum* conflatum.

6) Unde *ſuſpicio*, quia eſt propoſitio inſufficienter probata, etiam poteſt eſſe falſa. Dantur dein etiam *gradus ſuſpicionis*, levis, grandis, leviſſimae &c. pro numero et qualitate requiſitorum veritatis.

7) De *dubia* ſupra jam locuti ſumus. Quamdiu igitur aliqua propoſitio eſt *unice* probabilis, ſive ſit affirmans ſive negans, toties locum non habet *dubitatio*. Aſt ſi affirmans ſit probabilis, et negans pariter ſit probabilis, tunc *colliduntur probabilitates* et conſequenter oritur *dubitatio*, donec haec tollatur per *indagationem*, ſi *dubium* ſit *vincibile*; vel per *dictamen reflexum*, ſi ſit *invincibile*. Uti in materia *probabilismi* ſatis aſſerunt Moraliſtae.

8) Ita geometriae aut theologiae expers interrogatur, an *quadratum hypothenuſae ſit aequale quadratis baſeos et cathedi in eodem rectangulo*, item *an aqua roſacea ſit materia baptismi*, non *dubitat* non reſpondendo, ſed *neſcit*, quid ſit reſpondendum; nam nec loci theologici nec principia geometrica ipſi dubium movent, cum neutra calleat.

9) Quando propoſitio vel *demonſtrativa* vel *probabilis* eſt, et tamen ei aſſenſum praeſtare non poſſumus ob anxietatem quandam, quam

quam deponere vix aut ne vix quidem poſſumus, tunc *ſcrupulo* vexamur, ex ſpiſſitudine ſanguinis aut ex aliis praejudiciis orto; purgandus eſt ergo ſanguis, et deponenda ſunt praejudicia ſeu errores vincibiles. Dantur ſcilicet homines obtuſi ingenii, nimia bile, ſuperbave ignorantia affecti, qui, etſi propoſitionem quamdam demonſtratione vel hypotheſi niti ſciant, aliquam tamen ſentiunt perturbationem, anxietatemque in praeſtando aſſenſu, adeoque *ſcrupuloſi* dicuntur. A ſcrupuloſo tamen bene diſtinguendus venit *infirmus in fide*, qui de myſterio fidei dubitans, nihil de eo negat, nihil affirmat, et quoniam ille tantum *haereticus* ſeu *particulariſta* eſt dicendus, qui falſas, vanasque opiniones concipit vel credit ſui commodi gratia, plane infirmus in fide pro *haeretico* ſeu *ſingulariſta*, cum nec affirmantem nec negantem teneat opinionem ſingularem, ſed judicium ſuum ſuſpendat, non eſt habendus.

§. 172.

Hactenus de *Probabilitate directa* egimus. Aſt, cum *Probabilitas* aeque, ac *Demonſtratio* in probabilitatem *directam* dividatur et *indirectam*, jam diſpiciamus, quae ſit indirecta. *Probabilitas indirecta* eſt argumentum ad homi-

nem

nem, quo aliquam propositionem, quae etsi mihi non est probabilis, aliis tamen probabilem reddere possum. 1) Haec argumentatio intra sphaeram probabilitatis idem probat, quod in demonstrationis via probat *deductio ad impossibile* vel *absurdum*.

Scholia.

1) Sic qui rudi cuidam Polono olim persuadere voluit, Petrum esse haereticum, tantum ipsi opus fuit dicere, Petrum non credere in apparitiones hominum mortuorum (quos **Vampiren** vocant) seu quod *Petrus* neget, dari apparitiones hominum mortuorum, **Vampiren** dictorum. *Augustin. Calmet* gelehrte Abhandlung von Vampiren. P. II. c. 57. Quia Polonus quondam ejusmodi incredulum pro haeretico habuit; perinde ac vulgus olim in Bavaria eum pro haeretico censuit, qui nec rosarium nec amuletum habuit. En argumenta ad hominem, per quae ostendi potest veritas thesis nostrae et falsitas antithesis. Uti si alicui theologo, qui ratione Conciliorum oecumenicorum *res fidei* a rebus disciplinaribus haud distinguit, facile persuadebis, Gallos eo ipso, quia *disciplinam Concilii Tridentini*, utut legitimi et oecumenici, non receperunt, esse haereticos: ast theologo, qui eum nonnisi pro haeretico habet, qui re-

bus

bus fidei ratione Conciliorum oecumenicorum non addicit fidem ſuam ſeu aſſenſum, ope ſupra allati *argumenti ad hominem* neutiquam perſuadere poteris, Gallos ob dictam cauſam eſſe haereticos. Sic etiam in Germania concilium Tridentinum quoad *libros haereticorum de rebus fidei non ex inſtituto tractantes* neutiquam eſt receptum. Similiter alicui arithmetices theoreticae non ſatis perito facile perſuadebis, *legem numerandi usque ad numerum decimum*, ubivis gentium hodie receptum, eſſe *neceſſitatis*, cum ea tamen a *Wolfio* aliisque inter hypotheſes tantum recte referatur. Alicui ex plebe facile perſuadebis, Sejum eſſe *infamem*, quia ex toro adulterino, aliove ſpurio natus eſt: aſt juriſconſulto, qui *Heineccii* praelectionibus interfuit, idem nequaquam perſuadebis: novit enim juris peritus, quod Sejus, ex toro illegitimo citra ſuam culpam progenitus, honeſtatem nullo turpi facto, quo ſolo reddimur infames, violaverit, imo, ſi corporis, animique dotes conſideres, compluribus legitimis ſolertia praeſtet, teſte *Marco Antonio Limara Sanctipetrinate*. vid. *Gottl. Heinecc. Pand. Lib.* 3. *tit.* 2. §. 412.

§. 173.

Denique cum dentur propoſitiones ex principiis nondum certis deductae, quas *opinionum* nomine inſignimus, adeoque inſufficienter

cienter probatae: principia autem quaedam interdum adeo incerta sunt, ut possibilitatem potius quam probabilitatem aliquam praeseferant, qualia sunt *precaria*, quae omni ratione destituuntur, vel sine probatione assumuntur: consequens est, ut propositiones principiis innixae precariis seu adeo incertis, ut *possibilitatem* potius quam *probabilitatem* praeseferant, non mereantur nomen *propositionis probabilis* seu *opinionis probabilis*, sed dici debeant *improbabiles*; et consequenter ut *opinio* recte dividatur in *probabilem* et *improbabilem*. Enimvero cum fieri possit, et saepe fiat, ut quis probationem insufficientem, qua nititur opinio, perspiciat, et vel cognita opinionis falsitate, assensum eidem ulterius deneget, vel cognita opinionis veritate demonstrativa, rapiatur ad assensum eidem ulterius praestandum; opinio autem tam probabilis quam improbabilis fundetur in *probatione insufficiente* atque in *principiis incertis* tamdiu, donec principiorum istorum certitudo vel incertitudo luculenter in oculos incurrat, facile intelligi-

tur

tur omnis opinio esse *mutabilis*, ut lapsu temporis post nova reperta posse mutari in *certo veram* aut *certo falsam*, sive ante fuit probabilis aut omnino improbabilis.

Scholion.

Hinc saepe in *Judicio appellatorio* reformatur sententia *primae Instantiae*, quae ex defectu aliarum probationum aliter pronuntiare haud potuit. Cum in appellatorio *nova reperta* fuerunt admissa, agnovit tandem *judex ad quem*, quod *judex a quo* ob nescientiam horum novorum repertorum male judicaverit, seu quod sententia *judicis a quo* non amplius sit propositio certa, aut saltem probabilior, sed omnino falsa, aut saltem improbabilis. Ita etiam ex *dissertationibus historicis Electoralis Bavaricae Academiae scientiarum* cognoscimus, multas propositiones in *Aventino*, *Brunnero*, aliisque scriptoribus rerum boicarum aut improbabiles aut certo falsas esse; oppositasque aut probabiles aut certo veras esse, *certitudine* scilicet *historica*. Id quod etiam de aliis disciplinis dicendum venit a tempore earundem reformationis aut restaurationis.

§. 174.

Jam supra attulimus discrimen *demonstrationem*

Digitized by Google

tionem inter *directam* et *indirectam*, quarum *illa* vel effectum ex ſua cauſa, vel cauſam ex ſuo effectu demonſtrat, atque in priori caſu *demonſtratio a priori*, 1) in poſteriore econtra *demonſtratio a poſteriori* nuncupari ſolet. 2) Haec autem inde concludit, propoſitionem quandam eſſe falſam, quia ex oppoſita aut *abſurdum*, aut *impoſſibile quidquam* ſequitur, atque hanc ob rem *demonſtratio indirecta* nominari conſuevit. 3) Hanc demonſtrationem *indirectam* ſane firmiorem eſſe deprehendimus, quam communiter creditur; cum enim duo contradictoria ſimul vera eſſe nequeant ob principium contradictionis, uti ſupra oſtendimus: et cum ex veris praemiſſis, ſi in forma nullus latet defectus, concluſio falſa deduci non poſſit, neceſſario conſequitur, *veram eſſe propoſitionem, cujus ex oppoſita abſurdum aut impoſſibile quid per neceſſariam conſequentiam profluit.*

Scholia.

1) Ad obtinendam demonſtrationem directam, ut *omnes ſumtiones* ſeu *praemiſſae* notiores ſint oportet et priores *concluſione*, atque verae ejusdem cauſae; ratio eſt manifeſta: procedit enim haec demonſtratio *a cauſa ad effectum.*

Digitized by Google

effectum. Nec id ſolum ſufficit. Requiritur inſuper, ut omnes ſumtiones ſint *neceſſario* verae; ex falſo enim non poteſt ſequi verum. Tandem neceſſe eſt, ut haec demonſtratio non modo ſingulas propoſitiones habeat immediate connexas, ſed ad principium aliquod etiam perveniat per ſe notum aut antea demonſtratum: qualia ſunt *definitiones, axiomata, poſtulata*, quin et *theoremata* et *problemata jam antea reſoluta et demonſtrata.*

2) In *demonſtratione a poſteriori* hoc ipſo, quia cauſam ex ſuo effectu demonſtrat, ſummopere cavendum eſt, ne alios ad argumentandum adhibeamus effectus, quam quos cauſa illa *neceſſario* et quidem *ſe ſola* producit.

3) In *demonſtratione indirecta* nil prius, nil antiquius habendum eſt, quam ut ex propoſitione oppoſita per manifeſtam et neceſſariam conſequentiam deductum ante oculos ponatur *abſurdum quid* vel *impoſſibile*, *falſumve*, atque propoſitio, ex qua tale quid fluit, revera opponatur concluſioni noſtrae. Secus qui fecerit, calumniae notam facile incurret.

§. 175.

Praeterea adhuc *alia* obtinet *demonſtrationis diviſio.* Quoties in demonſtrando judicia ſeu propoſitiones ita conjungimus, ut a principiis

Digitized by Google

piis primis et indubiis deſcendamus per ſyllogismorum concatenationem ad concluſionem ſeu propoſitionem demonſtrandam, toties dicitur *demonſtratio ſynthetica.* Sin illam concatenationem ita inſtituimus, ut a concluſione demonſtranda aſcendamus ad prima et indubia principia, tunc *analytica* vocari ſolet. Praeclarum utriusque demonſtrationis exemplum nobis in ſua Logica reliquit *Clerici*, vir de logico ſtudio egregie meritus, quod hic brevitatis cauſa et claritatis adducere juvat. 1) Uti et exemplum immortalis, et de juventute literaria optime meriti *Baumeiſteri*, qui illud *in ſuis Inſtitutionibus Philoſophiae rationalis* affert. P. II. c. 3. §. 395. pag. 219. 220 et 221. 2)

Scholia.

1.) Proponi fingamus hanc quaeſtionem: *An poſita hominis exiſtentia probari queat DEum eſſe.* Hoc ut ſcire poſſimus, ita *methodo analytica* progrediendum. " 1. Humanum genus, quod nunc eſt in terra, non ſemper fuit; id quod Hiſtoriae omnes oſtendunt, quae humano generi initium fuiſſe produnt. Hae ſcilicet non modo illud diſerte

te teſtantur, ſed eorum quoque, quae ibi narrantur, ſeriem ſignificant; nulla enim eſt fide digna, quae res geſtas plurium quam ſex mille annorum aut circiter comprehendat. 2. Si humanum genus non ſemper fuit, ſed initium habuit, oportet aliquam ei exiſtendi cauſam fuiſſe: nam ex nihilo nihil emergit. 3. Quaecunque ſit ea cauſa, oportet in ea ſaltem fuiſſe proprietates, quas in nobis videmus; nam nemo dat, quod non habet. 4. Praeterea oportet in ea cauſa eſſe proprietates, quae in nobis non ſunt, cum potuerit facere id, quod nos non poſſumus: nempe ut homo, qualis ante non fuerat, exiſteret, ſeu mens et corpus ejus inciperent eſſe: *quam potentiam* in nobis non deprehendimus. 5. Videmus autem in nobis eſſe vim intelligendi et volendi, et corpus, quod varie moveri poteſt. 6. Igitur oportet eſſe eas facultates in cauſa humani generis, et alias etiam praeſtantiores, qualis eſt vis producendi ex nihilo, ſeu faciendi, ut aliquid, quod antea non erat, exiſtat. 7. Haec autem cauſa vel eſt, vel non eſt adhuc. 8. Si ſit adhuc, eſt DEus: 9. Si non ſit etiamnum, non fuit ab aeterno; quod enim ab aeterno fuit, neque a ſe, neque ab alio in nihilum redigi poteſt. 10. Si non fuiſſet ab aeterno, oporteret ab alio eſſe creatam; quidquid enim habet initium, ab

alio

alio procreatum eſt. Tunc rediret eadem quaeſtio de *procreante*, quae poſſet ſic ſummatim ſolvi. Omnibus aut initium fuit, aut non; quibus fuit, ea habent cauſas, quae nullum initium habuerunt: itaque ſi eſt aliquid, ſunt cauſae aeternae. 11. Igitur eſſet fatendum, eſſe ens aeternum, quod habeat omnes proprietates, quas habemus, et plures etiam, ſeu iſtud nos per ſe vel per aliam naturam creaverit, quae alia eſt quaeſtio, quam hic non attingimus. 12. Si ſit adhuc generis humani cauſa, eaque aeterna, ex eo, quod eſt humanum genus, neceſſario ſequitur, eſſe DEum ſeu cauſam aeternam, quae per ſe vel per aliam id creavit. „

2) Hactenus *analytica* exiſtentiam DEI probavimus: Jam *methodo ſynthetica* eam docere ſic poſſumus. 1. "Omnia entia initium habent aut nullum. 2. Nihil eſt, quod per ſe queat ex nihilo emergere, aut incipere exiſtere, cum antea non eſſet. 3. Itaque, quae initium habent, procreata ſunt omnia ab aliqua initio carente cauſa. 4. Humanum genus habet initium. 5. Igitur procreatum eſt a cauſa aeterna. 6. Cauſam illam vocamus DEum, ideoque humanum genus a Deo eſt procreatum. „ Hae propoſitiones in *utraque methodo* debent diligenter expendi, ut nulla pro comperta admittatur, quae non ſit, neque ulla irrepat con-

conſequentia non neceſſaria. Quo peracto, veritatem a nobis inventam aut docere aut certo ſcire poſſumus.

2) Cum autem Methodus analytica praecipue locum occupet in *dijudicanda veritate*, ſynthetica autem in *invenienda proponendaque*, exemplum, quod *Baumeiſterus*, perſpicuitatis Phaenix, nobis reliquit, addamus neceſſe eſt. Eſto haec propoſitio: *Ad alios amandos ſumus obligati*, demonſtranda tam modo analytico, quam ſynthetico. Sequitur demonſtratio ſynthetica: 1. Quicunque obligatus eſt ad aliorum ſtatum perfectiorem reddendum, ille quoque tenetur ad id, ut voluptatem ex aliorum perfectionibus capiat. Atqui nos ſumus obligati ad ſtatum aliorum reddendum perfectiorem. Ergo tenemur quoque ad id, ut voluptatem capiamus ex aliorum perfectionibus. Major propoſitio eſt axioma: minor continetur primo principio juris naturae. 2. Quicunque tenetur ad id, ut ex aliorum perfectionibus capiat voluptatem, ille eſt obligatus ad alios amandos; atqui nos tenemur ad id, ut ex perfectionibus aliorum capiamus voluptatem; ergo obligati ſumus ad alios amandos. Major eſt *definitio amoris*: minor jam *ſyllogismo praecedente* demonſtrata eſt. Sequitur proinde demonſtratio analytica. 1. Quicunque tenetur ad id, ut ex aliorum perfectionibus capiat voluptatem, ille eſt obligatus ad alios aman-

dos: atqui nos tenemur ad voluptatem ex aliorum perfectionibus capiendam. Ergo nos obligati ſumus ad alios amandos. Probatur minor. 2. Quicunque obligatus eſt ad aliorum ſtatum perfectiorem reddendum, ille tenetur ad voluptatem ex aliorum perfectionibus capiendam. Atqui nos ſumus obligati ad aliorum ſtatum reddendum perfectiorem: Ergo tenemur ad voluptatem ex aliorum perfectionibus capiendam. En progreſſum a propoſitione demonſtranda ad prima ejus principia.

Sectio III.

De *multiplicitate* Veritatis probabilis; ſcilicet *hiſtoricae*, *hermeneuticae*, *politicae*, *moralis*, et *phyſicae*.

§. 176.

Illud judicium ſupra diximus eſſe *probabile*, quod hypotheſi nititur, *qua effectus, proprietatesque rei commode explicamus.* Ipſa autem *hypotheſis philoſophica* eſt propoſitio, qua non ſolum quaedam aſſeruntur, tanquam revera ſint, etſi illa revera eſſe demonſtrari nondum poſſit, ſed ideo praeciſe aſſeruntur, ut

ad

ad rationem alicujus rei reddendam nobis inſerviant. *a*) In hoc ſenſu hypotheſis pro varietate *objecti* varias ſortitur denominationes. Quoties ea, quae aſſeruntur, tanquam revera ſint, in explicando ſenſu cujusdam ſcripturae ſumuntur, toties hypotheſis vocatur *hermeneutica*; quodſi in praeſtanda fide, tunc *hiſtorica*; quodſi in explicandis alterius inclinationibus et moribus, tunc *moralis*; ſi in cognoſcendis conſiliis et eventibus, tunc *politica* ſeu *practica*; ſi denique in explicatione phaenomenorum phyſicorum, meteororumque per cauſas, tunc *phyſica* appellari ſolet. *b*)

Scholia.

Sic *Copernicus*, cum videret huic propoſitioni, *Terra movetur*, nullam ſenſionum et phaenomenorum repugnare, ſed omnem ſenſionem potius cum ea optime convenire, non dubitavit, illam propoſitionem: *terra movetur*, pro vera aſſumere, et exinde omnes ſenſiones et phaenomena, maxime in corporibus caeleſtibus, majori cum commoditate explicare, quam in alio ſyſtemate, *Ptolemaico* ſcilicet vel *Tychonico*, fieri poteſt.

b) Hypotheſis, circa quodcunque objectum illa verſetur, eſt *probabilis*, ſi nulla ſenſio aut

nullum phaenomenon ei disconveniat: sin aliqua phaenomena revera repugnent, tunc hypothesis est *falsa*. Sic si ex hac propositione, *terra movetur*, non omnia phaenomena commode explicari possent, tunc illa esset hypothesis falsa. Interim non omne, quod est possibile, est etiam probabile. Sic non est possibile, Sejum, qui discendi cupiditate et ingenii dexteritate caret, fore doctum, etsi per complures annos scholas frequentet. Econtra possibile est, Sempronium fieri doctum, cum in eo discendi ardorem, ingeniique vigorem deprehendamus, nondum tamen *probabile* est, eoquod partim subsidiorum copia, partim fidelis institutio et manuductio ei deficiat. Quodsi autem haec posteriora requisita prioribus accedant, tunc non possumus non probabiliter judicare, Sempronium cum tempore fore doctum.

§. 177.

Hypothesis *historica* ita sonat: illud *probabiliter verum* est, quod testatur verum esse vir fide dignus. *Politica*: *probabiliter verum* est, illa consilia et circumstantias adfuisse, quas positio talis effectus solet sequi: pariter *probabiliter verum* est, hunc effectum esse secuturum, quia haec consilia et circumstantiae adsunt

ſunt, quibus poſitis etiam alias haud abſimilis effectus contingebat. *Moralis: probabiliter verum* eſt has propenſiones huic homini ineſſe, quia harum propenſionum morumque ſigna in ipſo deprehenduntur. Item *probabiliter verum* eſt, haec ſigna inclinationum morumque huic homini ineſſe, quia tales exhibet mores. *Phyſica: probabiliter* verum eſt, has adeſſe cauſas, materialem ſcilicet, formalem, finalem aut efficientem, quia his poſitis omnes effectus facile et ad cujusvis captum explicari poſſunt. *Hermeneutica: probabiliter verum* eſt, hunc, et non alium ſenſum auctoris fuiſſe, quia adeſt ejusmodi verborum ſignificatio, poſitio, connexio, quae conſpirat cum fine autoris, ſtatu et affectu. Hinc cum *conſcientia* nil aliud ſit quam ratiocinium de actionibus propriis ad legem relatis, ope rationis cuivis hominum manifeſtatam, *tractatus de conſcientia* regulas non admittit actuum conſcientiae interpretativas, nec praetor judicat de *internis*, quin quilibet eſt optimus verborum ſuorum interpres.

Scholia.

1) Sic *probabiliter verum* credimus id, quod *Tacitus* de veterum Germanorum moribus, habitu, religione et ſtudiis exponit, modo inibi pauca excipias, quae Romanus in favorem Romanorum ſcripſit, quos ſcimus Germanis fuiſſe inſeſtiſſimos.

2) Sic viri, in aulis principum verſati, rebusve civilibus adminiſtrandis adhibiti ex continua novellarum lectione augurantur futuras belli, pacisve Anglos inter et Americanos, Hollandosque viciſſitudines, quia rerum publicarum converſiones etiam aliae ex ſimilibus circumſtantiis, conſiliisque pendebant, adeoque *probabiliter verum* eſt, ex *ſimilibus cauſis* recte expectari ſimiles eventus.

3) Inde Phyſiognomiſta ex ſignis temperamentorum, ex colore ſcilicet, inceſſu, motu et habitu corporis, item ex rugis ac lineamentis frontis, voce, geſtibus, ſimilibusve, et vel maxime ex ſermone et actionibus alicujus hominis probabiliter verum judicat, eidem has praeciſe ineſſe propenſiones, magis minusve dominantes.

4) Sic *phyſice probabiliter verum* eſt, quod *terrae motus* ex materia ſubterranea, inflammabili, maxime nitroſa et ſulphurea oriatur. Nam is, qui taliter judicat, omnia phaenomena, quae in terrae motu obſervantur, inde ſatis commode explicare poteſt. Sic *medici*

dici commercium corpus inter et animam ſtatuunt *in influxu phyſico*, quia per hanc hypotheſin morbos, aliasque affectiones corporis et animae ſat commode ſe explicare poſſe ſibi videntur. Sic *Aſtronomi terrae motum* probabiliter verum judicant, quia inde calculos ſuos, aliaque phaenomena corporum caeleſtium ſine ulla difficultat e explicant.

5) Si milites praeſidiarii ea conditione urbem hoſti tradunt, ut capita ipſis ſalva ſint, *probabiliter verum* eſt, eos hac conditione ſe tradere, ne vita ipſis adimatur: peccarunt ergo contra interpretationis hermeneuticae regulam Turcae, dum milites praeſidiarios Eubocae ea lege ſe tradentes, ut capita ipſis ſalva eſſent, medios diſſecabant. Quid, quaeſo, abſurdius hac cavillatione Turcarum in re maximi momenti jocantium?

Atque in his *probabilitatum* materiis omnis fere continetur notitia humana, quod enim per *experientiam demonſtrationemve* habemus compertum, tot ſolia et capita non implet, quot implent utraque ex pagina expoſitiones jurium, dogmatum, aliorumque ſermonum ſcripturarumve, uttaceam alia, quae non niſi ex ſignis cognoſcimus. Habet inſuper quaevis probabilitas *ſuos gradus*, ita ut *maximus probabilitatis gradus*, cui in negotiis civilibus et quotidianis acquieſcere par eſt, dicatur in rebus facti *evidentia* ſeu *certitudo moralis*, quamvis cum ea *certitudo* ſeu

dentia mathematica, nonnisi in ideis abstractis, adaequatisque, quarum omnes novimus relationes et partes, locum habens confundi nequeat.

§. 178.

Quoties quaestio oritur, utrum hoc illudve dictum sit *testimonium divinum* vel *humanum*, utrum hic *rumor verus* sit vel *falsus*, toties decisio seu solutio non ex fonte historicae probabilitatis, sed *hermeneuticae* est haurienda. *Hermeneuticus fons* econtra adhibetur, si distinguendum sit, in *quonam sensu* hoc testimonium divinum, aut verus hic rumor accipi debeat. Praeterea *tria* sunt, quae in *omni probabilitate historica* probe notanda veniunt. 1. *Res*, quae narratur. 2. *Authoritas* narrantis. 3. *Modus*, quo res narratur. Testimonium divinum quod attinet, cum Deus sit omniscius, infinite verax, et bonus, sequitur plane, ut si *certo constet*, testimonium hocce esse divinum, illud in *summum probabilitatis gradum* exsurgat, ac ipsi demonstrationi aequivaleat, adeoque *certitudo moralis* vocetur. *In quonam* autem *sensu* testimonia divina accipi debeant, in *allegorico*, an *literali*, *aliove*,

liove, ut eis fides dari possit indubia, partim ex fonte historico, partim ex hermeneutico decernendum venit.

Scholion.

Ipse autem *modus narrandi* cum sit varius, scilicet vel *historicus*, vel *oratorius* vel *poeticus*, hinc non eadem fides eidem facto *diversis modis* narrato praestari potest. *Narratio historica* maximum obtinet probabilitatis gradum, *oratoria* paulo minorem, *poetica* minimum.

§. 179.

Cum *fides humana* pro *hypothesi* assumat authoritatem narrantis: authoritas autem nitatur *testimonio fide digno*, isque solus *fide dignus* sit, de quo non possumus prudenter praesumere, quod possit et velit nos decipere, consequens sane est, ut, quo magis de hoc certi sumus, eo probabilius ejusdem sit testimonium, adeoque teneamur eo majorem habere fidem. Enimvero cum res ad testimonium transeat, testimonium autem verum sibi ipsi *contradicere* aut *sui dissimile* esse nequeat, saepenumero ex ipsis narratiunculae circumstantiis, *antecedentibus* scilicet, *concomitan-*

tibus et *ſubſequentibus* judicandum eſt, utrum quis nos decipere aut in errorem deducere nos voluerit aut potuerit.

Scholion.

Quoties circumſtantiae narrationis ſunt contradictoriae vel diſſimiles, toties liquido patet, teſtem aut *voluiſſe* ex malitia, aut ſaltem ex mala perſuaſione et informatione, ſiniſtrave obſervatione *potuiſſe nos circumvenire*, et conſequenter teſtimonium ejus eſſe *ſuſpectum*, et ulteriore indagine adhuc indigere.

§. 180.

Authoritas teſtium eſt diverſa *tripliciter*, ſcilicet ratione *intellectus*, *voluntatis* et *ſenſuum*. In primo caſu teſtes *vel ſunt* prudentes, et perſpicacis ingenii, rerumque intelligentes, *vel* ſimplices, imperiti ac de faece plebis. In ſecundo *vel* ſunt pii, incorrupti et veritatis amantes, *vel* alicui parti addicti ob patriam, ſectam, religionem, familiamve, cui adhaerent; in tertio *ſunt vel* oculati *vel* auriti, aliisve ſenſibus edocti. Enimvero cum in jure *teſtis* ſit perſona, quae ad fidem faciendam a judice legitime vocatur et examinatur,

tur, omnes possunt esse testes, qui non prohibentur. *Prohibentur* autem in jure *ratione personae:* 1. impubes, 2. furiosus, 3. servus, 4. infamis, 5. nimis egenus, 6. haereticus. *Ratione causae quidam sunt inhabiles.* 1. ob magnam amicitiam. 2. Ob odium capitale. Alii sunt inhabiles ob commodum et lucrum inde perceptum, aut quod sperant. 1. Venditor in causa emtoris. 2. Cedens in causa ejus, cui ceditur. 3. Executor in causa, cui exequendae datus est. 4. Tutor in causa pupilli. 5. Patronus atque procurator in ea causa, quam quisque orat *vel* persequitur. 6. Proxeneta. 7. Domestici. 8. Subditi. 9. Libertus in causa patroni. 10. Ascendens et descendens. 11. Socius in re communi. Denique 12. Sacerdos in rebus sibi in confessionali revelatis, et Advocatus in iis, quae sibi a cliente suo fiducialiter manifestata, ac fidei suae commissa sunt. Hinc subditus ad ferendum testimonium in causa principis sui debet quoad actum examinis a vinculo subjectionis solvi et officio suo dimitti.

Scholion.

Hinc etiam *pueri* testimonio vis inest, maxime si alia plura accedunt temporis locique ad-

adjuncta, narrationi fidem conciliantia. Ponamus, quod caupo militem quemdam apud se pernoctantem interfecerit, quodque hujus atrocissimi facinoris testis nemo existat, nisi filiolus cauponis, qui in lecto jacens a patre putabatur alto somno immersus. Hic filiolus ubi elapso quodam tempore pueris, quibuscum ludit, rem, ut gesta est, narrat, neque inde quidquam vel sibi vel patri metuit; puer tunc fidem inveniet.

§. 181.

Hinc authoritas *suos* habere *gradus* intelligitur, quos ex iis, quae sequuntur, invenire est. 1. Testis vel fuit *praesens*, aut saltem *coaevus* vel *non*. Quod testes coaevi narrant, tutius creditur, quam id quod ii referunt in suis monumentis, qui multo post vixerunt: a *silentio coaevorum* seu *praesentium* bona non est argumentatio ad falsitatem alicujus facti. Nam saepe coaevi scriptores ac praesentes testes *nonnisi impositio silentio* dimittuntur, saepe non licet *scribere* contra eos, qui possunt *praescribere*, et non raro alias ob causas testes ejusmodi silent de quodam facto, cujus existentia aliunde e. gr. ex monetis, armorum insignibus, documentis &c. nobis innotescit.

2. Te-

2. Teſtes vel ſunt *plures*, vel *unus*. Si enim idem plures referunt *eodem modo*, et *cum iisdem circumſtantiis*, tunc, quid probabilitati hujus teſtimonii adjici queat, fere neſcimus. 3. Vel *oculis rem uſurparunt*, vel *ipſi ab aliis rem narrari audiverunt*: nam teſtis *oculatus* utique praefertur *aurito*, caeteris paribus. 4. Vel *dant rationem ſuae ſcientiae* vel *non*. b) 5. Vel ſunt *noti* vel *ignoti*. *Leviter* enim noto magis credimus quam *prorſus* ignoto. Creſcit fides, ſi vir ſit celebris apud plerosque, quamvis quomodo ad hanc celebritatem ſeu authoritatem pervenerit, *merito* ſcilicet vel *immerito*, penitus ignorem. c) 6. Vel ſunt *neutrarum partium*, vel *alterutri potius addicti*. 7. *Prudentes* vel *vecordes*. 8. *Probi* vel *improbi et mendaces*. d) 9. Perſonae *publicae* et *juratae*, vel *privatae* ac *injuratae*. Nam ſi hoc addatur, tanta inde naſcitur probabilitas, ut, niſi obſtet rei natura, non poſſimus non aſſentiri. e) e. gr. *Notario publico jurato*, *et Magiſtratui*.

Scholia.

a) *Thuano* et *Burneto* vel ex hac cauſa multam fidem habent eruditi, quia res, de quibus ſcripſerunt, geſtae ſunt *iis temporibus*, quibus ambo vivebant. b) Sic magis creditur

aurifabro, qui aurum saepius liquefecerat, varieque tractaverat, in quibusdam qualitatibus ad aurum pertinentibus, quam cuivis alii, qui se nunquam hac in re exercuit; aurifaber enim certius ob peritiam de iis judicare potest. c) Potior etiam fides habetur *diviti*, licet caeteroquin animi dotibus destituto, quia divitem cum rerum peritioribus conversari credimus. Vim addunt *circumstantiae*, uti si res fuerit ejus generis, in qua difficillime falli potuerint testes, e. gr. si *homines non vani* testentur, se aliquid tetigisse aut diligenter expendisse. Praeterea augetur *probabilitatis gradus*, quoties ii, qui loquuntur aut scribunt, nullam ex fide, quam ipsis habent alii, trahunt utilitatem, aut etiam summum adeunt periculum, quod silentio vitarent. d) Vim quoque addit *facies honesta* et *sermo probus*. e) Hinc qui a *personis publicis*, *juratisve* audiunt, dari in Ducatu Massae in Italia urbem, quae *Carara* vocatur, pulcherrimoque marmore albo superbit, aeque non audent in dubium vocare, quam hanc propositionem, triangulum constare tribus lineis. Qui legit *historias romanas*, non magis dubius esse potest, an extiterit *Cicero*, quam an lineae a circumferentia circuli ad centrum ductae sint aequales.

§. 182.

Gradus probabilitatis etiam augetur aut minui-

nuitur pro *diversitate rerum, quae narrantur*; nam narrari solent *res* vel *possibiles*, eaeque magis minusve *mirabiles*, vel *impossibiles*; item *novae* vel *antiquae*. Cum *impossibilitas rei* sit indicium falsi, et inde *indirecta* deduci soleat *demonstratio*, plane non habebitur fides, rem impossibilem narranti. Unde si nunquam viderimus rem quampiam fieri, aut ab aliis experiundo compertam non audiverimus, etsi ea sit possibilis, exiguam tamen apud nos inveniet fidem.

Scholion.

Narranti, se in India adamantem conspexisse tam crassum, ac est caput hominis, exiguam aut plane nullam dabimus fidem, quamvis intellectus noster nullam in re perspiciat impossibilitatem, cum talis tantusque lapis sit summopere *admirabilis*. Quando econtra vidimus, audivimusve, rem quamdam factam esse non adeo *raram* aut *admirabilem*, tunc fidem non cohibemus, et quo *frequentius*, quoque *facilius* res isthaec contigerit, eo promptiorem, eoque majorem adhibemus fidem. Sic fidem non denegamus narranti pontem lapideum Ratisbonae Danubio esse impositum, item varia meteora aerea in terris Suecicis esse visa.

§. 183.

Digitized by Google

§. 183.

Quoties agitur de *re prorſus inuſitata, ſine gravibus rationibus facta*, toties difficultatem vix ſuperabilem in credendo ſentimus, aut ſaltem ſi animo noſtro graviſſimae, quae agentem potuiſſent quidem impellere, attamen certo latuerunt, vel latuiſſe videntur, inſuper obverſentur rationes, *non niſi negre* rei fidem adhibemus. a) Atque haec eſt ratio, cur praeter motivum, quo agens ad aliquam actionem impellebatur, etiam circumſtantias *tam modi*, quod quidpiam factum eſſe dicitur, *quam perſonarum*, atque *loci ac temporis* conſiderare et praecognoſcere oporteat, antequam narranti aſſentire prudenter poſſimus. b)

Scholia.

a) Graviſſimi momenti erat, ſaltem unam gentem ab idololatria immunnem ac incorruptam ſervari. Id quod ſine illis miraculis, quae ſcripta legimus, fieri non potuit. Hinc haud aegre credimus priſcis Hebraeorum hiſtoriis, a DEo multa miracula apud Hebraeos fuiſſe patrata, referentibus. Aſt poſtquam chriſtiana Religio ſatis propagata

pagata est, altasque egit radices, ratio cessat, cur nos aeque faciles praebeamus in fide novis miraculis adhibenda. b) Sic in historia antiqua versatus in dubium neutiquam vocat, quod olim exiterit Caesar, quodque ab eo tales, tantaeque gestae sint res. Econtra priscae historiae ignaro atque pertinaciori vix unquam facies fidem, nisi eum ad cognitionem harum veritatum historicarum per eosdem gradus sensim deducas, per quos tu ad eam pervenisti, simulque omnia praejudicia, quae alteri obstant, luculenter deleas. Tu scilicet legisti prius complures historicos probatae fidei, variorum temporum et locorum, inter quos omnes in summa rei narratae convenit, atque hac ratione ad eam cognitionem multiplici, probataque lectione gradatim adscendisti.

§ 184.

Quemadmodum fides *gradationis* capax est, ita hunc in modum commensuranda venit. 1. *Unus* testis, qui refert rem mirabilem, exiguam, meretur fidem, etiamsi alias non adeo sit suspectus, praesertim si res isthaec *mirabilis* phantasiam testis facile potuisset decipere. 2. *pluribus testibus* rem, utut mirabilem et per omnia non *eodem modo nec iisdem sub circumstantiis*, referentibus, major habetur fi-

des. 3. *Multo major* autem pluribus teſtibus fide dignis, ſub eodem circumſtantiarum ambitu rem illam mirabilem narrantibus exhibetur fides, quae haud parum augetur, ſi teſtes ſint oculati, perſonae publicae, aut ſi juramentum accedat, aut teſtes rationem ſcientiae ſuae reddunt.

Scholion.

Huc pertinet *fama*, 1) quae in narrationibus rerum poſſibilium ac minus mirabilium, ſi ſine certo authore, minus probabilitatis facit. 2) Aliquanto plus, ſi has res narret teſtis, qui fuit praeſens, et alias prudens ac probus. 3) Multo plus, ſi iſtae res a pluribus et maxime juratis narrantur, earundam circumſtantiarum amictu veſtitae. Notarius Publicus juratus tenetur vi officii ſui ad ferendum teſtimonium de iis, quae coram eo geſta ſunt, et ab ipſo protocollo ſuo rite inſerta. Eſt perſona publica et libera, nec ullo vinculo poteſtatis paternae, herilis, dominicae, alteriusve in rebus officii ſui innodata. Hinc, ut plenam faciat fidem, rogari et requiri ratione officii ſui debet, non juberi et cogi. Hinc ſervus non poteſt Notarius eſſe, et ſubditus a vinculo ſubjectionis debet eſſe ſolutus, ſi velit valide teſtari: hinc Notarius ex nulla relatione alicu-

cujus

cujus perſonae, etiam fide dignae, plura, quam coram ſe et teſtibus ad hoc adhibitis contracta, ſcribere debet. Prout Maximiliani I Imp. conſtitutio de Notariis an. 1512. Coloniae habita et Codex Fridericianeus Poruſſicus ſonant, vi cujus Notarius pro et contra quemcunque, etiam regem tam directe quam indirecte officio ſuo fungi poteſt.

§. 185.

Ulterius 1. ſi recentior ſcriptor *factorum antiquorum* alterutri parti addictus ſit, nullumque *relationis ſuae* afferat fundamentum, parum ei creditur. 2. Aliquanto plus, ſi ſit vir prudens, probus ac neutri parti addictus, qui de rebus *antiquis* ſcripſit. 3. Quin imo fides adhibetur ei multo major, ſi ex *certis, indubiisque documentis*, rerum antiquarum, quas refert, confirmationem afferre poterit. 4. Teſtimonium ſit multo probabilius, ſi illud de re aliqua antiqua habemus ab uno coaevo, probo, prudentique viro, qui rei interfuit, quam eſt illud, quod a *pluribus recentioribus* habemus. 5. idque ad ſummum omnino aſſurgit probabilitatis gradum, quoties factum antiquum a pluribus ejusmodi teſtibus eo-

dem modo, iisdemque circumstantiis libere, non ex compacto refertur.

§. 186.

Ex phaenomenis physicis sive sensionibus eruendae veniunt *causae* non solum, sed etiam *modi*, quibus effectus producitur. Causae autem erunt, si constet, eas in natura dari, et phaenomenis simul una adfuisse, si denique phaenomena ex iis non tantum posse fluere ostendatur, sed etiam manifesto doceantur fluere. *Hypothesis haec physica* pariter suis gaudet *gradibus*. 1. Si ex hypothesi vel *unum phaenomenon* explicari nequeat, ea vel omnino videtur improbabilis, vel saltem gradum probabilitatis minimum non excedit. 2. *Quo minus subtili, quoque minus coacto* ratiocinio utitur hypothesis in explicandis phaenomenis, eo majorem ei attribuimus probabilitatis gradum. 3. Quoties eorundem phaenomenorum corpora variis modis explorata easdem semper ostendunt causas, et quibus positis eadem phaenomena per artem exhiberi possunt, toties talis hypothesis *summum probabilitatis physicae* obtinet *gradum*. Si proinde causa

cauſa quaedam exiſtat, ſi ea operata fuerit, effectuique producto ſuffecerit, inutile plane erit *aliam* quaerere *cauſam*. Sin *cauſae* vel non inveniri, vel non probari queant, tunc praeſtat id candide agnoviſſe atque hic ſubſtitiſſe, quam aliquas quoquo modo fingere, ex quibus phaenomenorum explicatio extorqueatur.

Scholion.

Fictiones et *meras poſſibilitates* ex phyſicis diſciplinis merito proſcribuntur: quidquid enim ex iis colligitur, eſt inconſtans, cum illud ſolummodo poſſibilem aſſumtae cauſae efficaciam, non vero exiſtentiam adſtruat; adeoque inter hypotheſes, quae *exiſtentiam cauſarum* probare debent, haberi nequeunt. Inſuper *ſcientia* meris poſſibilitatibus, fictionibusque tantumodo aggravatur, non promovetur: ſuſcitantur *ſcintillae controverſiarum inutilium*, intorquentur phaenomena, imo finguntur quaedam praeciſe, ut poſſibilitates roborentur et defendantur. Quid quod phaenomenorum phyſicorum explicatio ne quidem ex *metaphyſicis* hypotheſibus petenda ſit, niſi quid realitatis habeant.

§. 187.

Interim cum paucae vel potius nullae ſint

ſubſtantiae, quas ita examinare poſſumus, ut certo conſtet, plerasque earum proprietates ſeu attributa a nobis perſpici, ſequitur plane, quod Phyſica ſe contineat quodammodo intra ſphaeram *ſcientiae conjecturalis*, modo ea excipias, quae per *experientiam* cognoſcuntur.

Scholion.

Cum geometrae ea tantum, quae ſibi ſatis perſpecta ſunt, attingant, ignota autem et incerta prorſus praetereant, demonſtratis probabilia, claris obſcura non miſceant, nec pudeat eos, ignorantiam rerum, quas non intelligunt, aut non expenderunt, fateri; illi econtra, qui alias profitentur ſcientias, dubia compertis, obſcura manifeſtis implicent, innumerasque propoſitiones, levibus licet tantum fundatas conjecturis, ſuſcipiant, hinc nullum *ſyſtema* in materiis phyſicis, quin et non nullis theologicis confici poteſt, niſi diſtinguere velis *demonſtrationem* inter et *methodum demonſtrativam*, dicasque *demonſtrationem* eſſe connexionem ratiociniorum, ubi ex principiis certis aliqua probetur propoſitio, deducaturve, *methodum* autem *demonſtrativam* ſeu *ſyſtematicam* eſſe modum, quo ex principiis ſive certis, ſive probabilibus tantum ordine legitimo, nexuque perpetuo derivantur axiomata, corollaria, theoremata, quae certo vera ſunt, ſi principia ſunt certo vera, probabilia

babilia econtra, ſi principia nonniſi probabilia ſunt. Poſſumus enim ex probabilibus praemiſſis ope neceſſariae conſequentiae elicere concluſionem, quae tamen ideo, quia neceſſario ſequitur, non majorem probabilitatem habet, ac alterutra praemiſſarum ſuarum. Sic poſſumus etiam propoſitionem probabilem convertere, ex eaque propoſitiones novas mediantibus regulis aequipollentiae ac oppoſitionis deducere, quin propoſitio converſa ſit probabilior convertente &c.

§. 188.

Jam transeamus ad *Probabilitatem moralem*, quam alii *politicam* vocant. In ea fit argumentatio a ſignis propenſionum ad *ipſas propenſiones*, non vero ad *actiones* aut *omiſſiones*, ad quas hiſce propenſionibus trahimur. Signa propenſionum quidem *certa* ſunt pleraque, aſt *probabile* tamen tantummodo eſt, quod homo agat juxta ſuam inclinationem per talia ſigna manifeſtatam. Admittit igitur haec argumentatio in caſu ſpeciali *probationem in contrarium*. Sermo hic eſt de *actionibus liberis ſeu moralibus*, non de fortuitis aut mere naturalibus. Sunt autem duplicis generis ſigna, *phyſiognomica* et *moralia*. Phyſiognomica ſunt co-

lor

lor in facie habitus corporis, motus et *inceſſus*, atque haec ſigna ſua non deſtituuntur certitudine. Aſt ſigna ex metopoſcopiae principiis petita, ſcilicet *rugae ac lineamenta frontis et manuum, geſtus*, ſimiliaque minus certa ſunt. Inter moralia referuntur *ſermo* et *ſeries actionum*, id eſt, *mores*; mores enim nonniſi in ſerie actionum conſiſtunt, cum haud aliter ac frequentatis actibus contrahantur. *Sermo* et *mores*, ſive *materiam* ſive *formam* ſermonis ſpectes, ſigna ſunt ſatis certa. Dein exiguum ſubinde *factum*, *dictum* aut *jocus aliquis* citius prodit mores, quam facta maximi momenti, praelia funeſtiſſima, maximae acies, urbiumque expugnationes: ſicut enim haec ſigna moralia cauſantur a corpore humano, ita effectum de cauſa teſtari nemo temere negaverit.

Scholion.

Si in quodam homine obſervamus faciei hilaritatem, jocandi ſtudium, inconſtantiam, prodigalitatem, ac fugam laborum &c. tunc ex hiſce notis colligimus, eum eſſe *ſanguineum* ſeu *voluptuoſum*, qui probabiliter etiam reliquas actiones ſuas huic dictamini eſt conformaturus: *quidquid jucundum eſt, ſenſusque ſuavius afficit, illud mihi bonum eſt, illudquae prae honore*

honore ac opibus appetendum, quin pecuniae mihi tantum sunt appetendae ideo, ut voluptates et sensualitates mihi comparare queam. Quodsi hocce dictamen expendere vellemus per regulas *conversionis*, *aequipollentiae*, *oppositionis*, quin et *ratiocinationis*, scilicet *methodo naturali* ac *mathematica*, tunc facile sciemus cogitationes hujusce hominis sanguinei, utpote qui methodo naturali cogitat, divinabimusque, quid ille in his, illisve circumstantiis acturus sit aut omissurus. Eodem modo procedendum est cum *cholerico* ac *melancholico*, quin et *phlegmatico*. Interim probe notandum est, haec signa suam tunc praecipue habere certitudinem moralem, si mens sanguinei nondum satis est *emendata* per *ethicam* et *christianismum*: emendatus enim resistit inclinationi in rebus illicitis: item si nulla adsit *simulatio* vel *dissimulatio*, cui tamen larvam detrahunt *iter*, *vini usus*, *familiaritas*, et *occasio*, in qua ejusmodi homo libere sequi potest suam inclinationem.

§. 189.

Inclinatio, ad quam significandam pleraque signa concurrunt, vocatur *passio praedominans*: reliquae autem inclinationes, quarum signa pauciora numeramus, nominantur *passiones concomitantes*, et pro pluralitate vel paucitate signorum *fortiores aut remissores*.

Digitized by Google

Scholion.

Si quem videmus ambulantem inceſſu agili, molli, et ad ſcenicam levitatem formato, oculis inter ambulandum procaciter circumactis, ruborem in facie, agilitatem in membris, habitum corporis ſucculentum, tunc ejus paſſionem praedominantem in *inclinatione ad voluptates venereas* poſitam colligimus. Interea iterum, iterumque monemus, has, aliasque propenſiones augeri et minui *diverſitate aetatis, ſexus, ſtatus, nationis* ſeu *climatis, conditionis* ac *educationis.*

§. 190.

Probabilitas practica, ſeu, uti alias vocatur, *politica* eſt illa, qua ex *collatione ſimilium circumſtantiarum* praedicimus ſimiles eventus ob concurrentiam certarum rationum phyſicarum et moralium. Nam Politici, quando rerum publicarum viciſſitudines, incrementa ſcilicet aut decrementa et ſubverſiones praecinunt, ex praeſentibus reipublicae conditionibus ope ſenſuum attente obſervatis, quas memoria nunc adeſſe agnoſcit, collatisque cum eo ſtatu, quem rerum publicarum aliarum viciſſitudines alio tempore comitatum eſſe aut praeceſſiſſe recordatio oſtendit, eundem

dem eventum, eundemque effectum hariolantur ob *positas easdem circumstantias, easdemque causas*, tam *physicas* quam *morales*: argumentantur enim *a simili ad simile*, quia similium similis est ratio.

Scholion.

Hinc qui attendunt ad consilia, eorumque eventus in historiis relatos, ex lectione librorum maximum hauriunt fructum. Utuntur hoc argumentandi genere etiam physici quandoque, dum incolas planetarum dari probant hunc in modum. *Terra et planetae sunt corpora solida, opaca, a sole lumen mutuantia: cum ergo terra incolis sit repleta, quid obstat, quin etiam reliqui globi caelestes, qui ejusdem cum terra sunt naturae, a suis incolis habitentur?* Haec exspectatio similium a scholasticis vocatur *analogus rationis*. Cum autem *haec similium exspectatio* innitatur sensu, imaginatione et memoria tanquam fundamentis, ea sine rationis adminiculo se se exserere potest, adeoque ii, qui eosdem exspectant eventus, decipi possunt et non raro decipiuntur.

§. 191.

Gradus probabilitatis tam *moralis*, quam *practicae* pariter pluralitate et diversitate signorum ac circumstantiarum desumuntur. *Summo pro-*

ba-

babilitatis gradui diffientiri non valemus? *probabilitate tenuiore*, nobis obverſante, judicium cohibere poſſumus, ſi velimus, aut aſſentiri. Alius inſuper propoſitionum probabilium uſus eſt in *vita communi*, alius in *rebus philoſophicis*, ac *mere theoreticis*. Cum nobis brevi eſſet pereundum, ſi ſtaremus *immoti*, donec *evidentiſſime* nobis conſtaret, quid agendum eſſet, ideo in agendo non ſemper *evidentivm phyſicam* aut *moralem* expectare debemus, ſed etiam *probabilitatem ſequi*, modo non ſit omnino *tenuis*. Oportet nos in *vita communi* eſſe contentos probabilitate haud ſpernenda, non tamen leviſſima moveri probabilitate. Saepiſſime etiam ex duabus rebus, non omnino certis, eligenda eſt ea, quae *minus periculum*, ſi fallamur, poſt ſe trahat. Aſt in *philoſophicis* alicui propoſitioni adhuc obſcurae propter quampiam ſpeciem veritatis, quam praeſefert, plenum aſſenſum ſine maximo periculo errandi praeſtare non poſſumus, bene tamen eidem aſſentiri cum ſuſpicione, errorem eidem poſſe ſubeſſe, etſi ille me fugiat, quia nondum ſuppetunt rationes et argumenta, quibus probetur.

Scho-

Scholion.

Si quis dicat, in *subſtantia* nihil eſſe, niſi quod in ea videt, is evidenti periculo errandi ſe exponit, eoquod nulla arte certior fieri queat, an idea ſubſtantiae illius, animo ſuo obverſans, ſit adaequata, nec ne. Quot *conjecturae* inanes circa hiſtoriam quaſi certae afferuntur, quae multo majorem poſtularent lucem ex documentis, aliisque adminiculis hiſtoricis, ſi de iis *quidquam certi* ſtatuendum eſſet. Abutimur videlicet libertate noſtra aſſentiendi, et obſcuris aſſenſum praebere conſuevimus quaſi perſpicuis et quaſi indubitatis.

§. 192.

Saepenumero evenit, ut verba alicujus ſcriptoris aut loquentis *multiplices* admittant *expoſitiones*. *Regulis* itaque opus eſt, quarum ope ſenſum auctoris eruere poſſumus. Complexus harum regularum dicitur *ars expoſitoria* ſeu *hermeneutica*, id eſt, *ars interpretandi*. Hinc actus, quo ſenſum auctoris, quem ipſe intendit, ex legitimis regulis eruimus, vocatur *interpretatio*. Senſus auctoris ſive ſcribentis ſive loquentis eſt nihil aliud quam *idea ipſius*, quam per verba ſua in animis legentium

tium vel audientium excitari vult. *Veroſimile* autem eſt, quod auctor per verba ſua non aliam ideam in animis audientium, legentiumve produci velit, quam quae cum quibusdam in ſcripto auctoris aut ſermone obviis circumſtantiis, id eſt, cum verborum poſitu, ſignificatione, connexione, auctoris aetate, affectu, fine concordat.

Scholion.

Hoc eſt *genuinum verae interpretationis fundamentum*, quo explicamus ſeu divinando aſſequimur id, quod ab auctore vel brevius, vel obſcurius vel negligentius ſcriptum, dictumve eſt. Variae autem ſunt *cauſae obſcuritatis*. Nimirum ſcripturae *forma deformis*, 2. *abbreviatio* vulgo minus nota, 3. *ſphalma* ſcribarum typographorumve, 4. *defectus* aut *vitium* interpunctionum, 5. *Verbum obſoletum; novum, peregrinum, aequivocum, abruptum, ſuperfluum*, vel *perplexum*, 6. *contradictio* in ſententiis atque *perplexitas*.

§. 193.

Cum *Probabilitas hermeneutica* ſit illa propoſitio, qua id probabiliter *pro ſenſu auctoris* habemus, quod cum verborum ſignificatu, po-

Digitized by Google

positu, connexione, fine, motivo et affectu convenit: Significatum autem non intelligamus, nisi *linguam*, qua auctor scripsit aut locutus est, probe calleamus, ejusdempue genium et quos vocant, idiotismos probe perspectos habeamus, consequens est, ut sine hac linguae notitia interpretatio fieri nequeat. 1) Cum dein subjectum saepe in antecedentibus latitet, praedicatum in subsequentibus accuratius explicetur, patet, *textum*, si fieri potest, extra contextum non debere considerari. 2) Cum porro aliquando auctor doctrinam in aliis quoque locis exposuit, et tunc saepe, quod uno loco obscurius dixit, altero multo dilucidius expressit, facile intelligitur, *loca auctorum parallela*, quae vocant, diligenter esse conferenda, ex iisque genuinam eorum sententiam eruendam, modo ista loca sibi non *manifesto* contradicant. 3) Cum etiam verba ad *auctoris affectum et finem comparata* esse oporteat, sequitur plane, ut verba ejus exponenda sint juxta *statum*, *affectum*, *hypothesin et motivum auctoris*. 4) Cum denique auctor sine fine praefixo aut sine motivo nihil scribat,

bat, vel loquatur: finis autem et motivum ejus, qui leges tulit, aut pactum iniit, *ratio legum* vel *pactorum* dicatur, consequens est, ut in interpretandis legibus, pactisque ratio earum, eorumque prae oculis habenda sit, adeoque interpretatio *declarativa*, *restrictiva* et *extensiva* locum habeant. 5)

Scholia.

1) Quomodo quis interpretabitur *oracula sanctiora* sine cognitione linguae Hebraeae atque Graecae? quomodo fidem meretur ille, qui harum linguarum ignarus translationibus versionibusve aliorum fidit? haud absimilis nimirum erit illi, qui ex *versionibus Homeri alienis* Iliadem interpretatur. Quo jure poterit quis Pandectas et Novellas interpretari, linguae latinae imperitus, et solis earundem commentariis confisus?

2) In *exegesi sacra* usus hujus regulae ingens est. Et in *jurisprudentia* jurisconsulti commendant comparationem textuum unius ejusdemque jurisconsulti, ex eodem libro depromtorum, ex quorum nexu saepe perspicuum fieri locum, in se obscurissimum, egregie docuerunt *Henricus Brenkmannus* et *Bern. Henr. Reinaldus* in diss. et orat. de legum Inscriptionibus, uti et *Jac. Labitti* in usu Indicis Pandect.

3) Ita

3) Ita *D. Auguſtinus in libris Retractationum* dilucidius expreſſit, quod antea obſcurius dixit. Accedit, quod, ſi conſtet, data opera ſententiam mutaſſe auctorem, poſterior ſententia anteferenda ſit priori. Quodſi autem inconſulto et ex inadvertentia auctor in contradictorias propoſitiones incidiſſe videatur, quod tamen praeſumitur, tunc ceſſat interpretis officium, ac incipit obligatio ſecundum regulas logicas diſpiciendi, utra ſententia principiis rectae rationis magis conveniat, ubi in dubio is eligendus eſt ſenſus, qui vel nihil abſurditatis habet, vel efficit, ut res aliquem ſortiatur effectum. Inde cum milites praeſidiarii Eubocae ea lege ſe dediderunt, ut capita ipſis ſalva eſſent, perabſurda erat Turcarum cavillatio, dum dedititios medios diſſecabant, ſic capita ſalva fore, in re ſeria nugantes. Hinc conditiones impoſſibiles, turpes, perplexae, quae ultimis voluntatibus adjectae deprehenduntur, *pro non ſcriptis* habentur.

4) Sic Pythagorei et Platonici, item Stoici cum Chriſtianis admittunt *immortalitatem animae;* aſt aliud per to *immortalitatem* intelligunt *Pythagorei* et *Platonici*, aliud *Stoici*, aliud *Chriſtiani.* Sic quae de attributis Dei dixit *Ben. Spinoza*, ea aliter omnino accipienda ſunt, ac ſi *a Chriſtianis ſcriptoribus* prolata eſſent; pleraque enim Spinozae dicta aliud quid ſig-

nificant, si separatim audiantur, aliud si cum toto ejus systemate comparentur.

5) Cum enim *ratio* sit finis legum; fini autem consentanea debeant esse *media*, sequitur, ut ex fine omnino judicandum sit, qualia media esse oporteat. Hinc in universum cessante ratione seu fine, media (id est leges) etiam cessare oportet. Interim ubi ratio legis verbis patet latius, *interpretatio extensiva*; ubi autem verba ratione legis latiora sunt, *restrictiva*, ac denique ubi verba et ratio pari passu ambulant, *declarativa* locum habet. Unde *praecardicum juris*: ubi eadem ratio, ibi eadem juris dispositio est.

§. 194.

Quoniam *interpretatio* est facultas, vim potestatemque legum et pactorum ex earum eorumque verbis et ratione eruendi, adeoque *interpres* ex verbis et ratione concludere debet; ratio legis vel pacti autem aut latius patet quam verba, aut verba latius ratione patent, aut verba ratioque conveniunt, consequens est, a) ut interpretatione declarativa non solum notio vocabulorum, textus series, et conjuncta loco et re probe expendenda sint, sed etiam semper praeferri opor-

oporteat ſententiam, quae vitio caret et toti auctoris ſyſtemati, quod jurisconſulti *analogiam juris* vocant, convenit: *b*) ut in *interpretatione extenſiva identitas rationis*, licet verba legis et pacti deficiant, praevaleat, *c*) ut in *interpretatione reſtrictiva* ſemper major *aequitatis* habeatur ratio, quam ſtricti juris. *d*) *In dubio* denique ut amplectamur partem, quae rectae rationi, virtuti, benignitati, humanitati vel maxime reſpondet. *Aequitas* enim id exigit, quae nihil aliud eſt, quam habitus amplectendi in dubio ſententiam benigniorem. Quid autem recta ratio, quid virtus, benignitas et humanitas ſit, ex principiis genuinae philoſophiae et maxime ethices ſatis ſuperque patet. Si quis autem ſtupiditatem pro recta ratione, vitium pro virtute, nimiam denique indulgentiam et conniventiam pro benignitate et humanitate habeat, ſuisque his falſis ideis interpretationem ſuam accommodet, *aequitatis cerebrinae* cultor dicendus eſt. Quodſi autem *ratio legis* ceſſet, et quidem in totum, tunc quoque *lex* ſeu *pactum* ceſſat: ſin certis duntaxat caſibus ceſſet ratio, tunc non

ceſſat, ſed vigorem ſuum pro illis caſibus amittit. *e) Interpretatio* denique *myſtica* eſt actus, quo quis myſterium iſtud divinando ita invenit, ut illud literae per omnia accurate quadret in caſu, quo certo conſtat, auctorem id intendiſſe, ut arcanius quid hiſce verbis exprimeret.

Scholia.

a) Qui ſola verba captat, non *Juriſconſultus*, ſed *Leguleius* eſt. Interpretatio declarativa explicat, quid in jure *triticum*, *lignum* &. ſignificet, item quomodo vocabulum *haeres* in jure civili et feudali ſumatur &c. *b*) Unde in jure aliae ſunt actiones *directae*, ex verbis legum, aliae *utiles*, ex mente ſeu interpretatione earundem profluentes propter *Praecardicum juris:* Ubi eadem ratio eſt, ibi eadem eſſe debet juris diſpoſitio. *c*) Sic *minor* ſine curatoris conſenſu *contrahere* nequit, cum facile laedi poſſet, et in damnum induci: aſt vero *teſtari* poteſt ſine curatore, quia tunc nulla laeſio metuenda eſt, quae rationem legis conſtituit. Ergo lex: *minor ſine curatore nihil poteſt valide agere*: ad caſum *teſtamenti faciendi* non eſt extendenda, ſed ad *contrahendum* reſtringenda. *d*) Huc referri poſſunt pleraque, quae de interpretatione odioſorum et favorabilium ab aliis dicta ſunt, quatenus accura-

curatae dantur definitiones favorabilium et odioſorum. *e*) Quia *lex* fertur de eo, *quod ut plurimum de rebus humanis contingit*, hinc, e. g. *impubes*, etſi aliquando ante pilos ſapiat, non ideo magis tamen teſtari poterit ac reliqui ejusdem aetatis adoleſcentes. *Lex* enim ideo non exoleſcit, ſi ratio ejus ceſſet uno alterove caſu, quia fertur de eo, quod ut plurimum fieri ſolet. *f*) Hinc cribro aquam hauriunt, qui algent et ſudant in divinando, quid arcani in Homeri Iliade et Odyſſea latitet, niſi prius exploratum ſit, 1) arcani quid ſub iſtis poematibus occultari, 2) *phyſicumne* an *hiſtoricum*, an *morale*, an *propheticum* illud ſit myſterium, quod ſub litera latitat *ſacrorum bibliorum*, aut *metamorphoſeos Ovidii*, *Cenotaphiique notiſſimi Æliae Laeliae Criſpidis*, ſimiliumque. Utinam ingenium humanum, ad quaerenda myſteria adeo pronum, non etiam in ſacris libris fingeret myſteria, quorum veſtigia ibidem nulla exſtant. Hactenus de interpretatione *logica*, cum qua non eſt confundenda *grammatica interpretatio*, quae aliis nititur fundamentis.

Caput III.

Sectio prima.

De *Methodo* inveniendi veritatem *meditando*, et quidem de *Methodo cogitandi ſynthetica.*

§. 195.

Cum juxta mentem *Ariſtotelis* duo ſint ſcibilium, *principia* ſcilicet et *concluſiones*, ideo prudentia ſuadet, ut vel a principiis ad concluſiones, vel ab his ad illa in cogitando progrediamur. Prior progreſſio *methodus geometrica* ſeu *ſynthetica*, (quia geometrae ea potiſſimum uti ſolent) poſterior autem nuncupatur *analytica. a)* In *priori* oſtenditur, quomodo ex principiis legitime fluant concluſiones, in *poſteriori* econtra monſtratur, quomodo concluſiones referri queant ad ſua principia, detegatur ratio, hic et nunc obſervata, unam veritatem ex alia deducendi, ſeriemque cogitationum continuandi. Unde quemadmodum in *Grammatica* orationis tractatio, in *Rhetorica* elocutionis, et pronuntiationis, in *Muſica* modorum

dorum praeſtantiſſima eſt, ita in *Logica* methodus reliquos ſciendi modos exſuperat. Cum *methodus* ſit diſpoſitio ordinatiſſima idearum, judiciorum tam mediatorum quam immediatorum in ordine ad veritatem detegendam hactenus ignoratam, vel ad eam jam detectam dijudicandam et proponendam, ea facile intelligitur primis tribus mentis operationibus natura ſua praecedere, tempore diſcendi autem ſuccedere. *b*)

Scholia.

Sicut *modus* ſyllogismi concatenandi vel eſt *analyticus*, in quo concluſionem reſolvimus in ſua principia ſeu in ſuas praemiſſas, vel *ſyntheticus*, in quo ex ſimpliciſſimis, primisque principiis deſcenditur ad concluſionem, ita *meditatio* aut eſt analytica, aut ſynthetica: cumque *uterque* ratiocinia concatenandi modus ſine *arithmetica* et *geometria* addiſci queat, ita haec ſtudia mathematica, etſi multum lucis ſtudio logices affundant, ad addiſcendam methodum geometricam *abſolute* neceſſaria non ſunt.

b) Cum *philoſophi* ſit aſſerta ſua principiis certis ac immotis ſuperſtruere, et quidem eo ordine, ut principiis hisce rite ſuper-

ſtrui aſſerta, non modo ipſe philoſophus, ſed etiam quivis alius lector vel auditor facile et cito intelligat, neceſſario ſequitur, ut iſte *ordo* vel *ſyntheticus* ſit vel *analyticus*. *Ille* locum habet praecipue in meditando, docendo, et ſcribendo, *hic* in legendo, interpretando ac diſputando. Atque hac ratione quaſi per gradus, uti fert dictum vetus, ad veritatem latentem deſcenditur, veritasque tam *certa* quam *probabilis*, omnibus eam inquirere cupientibus communicatur.

§. 196.

Veritas eſt duplex: *certa* et *probabilis* ſcilicet: de illa nunc agendum eſt, de hac poſtea. Ponamus, te per caſus ſpeciales ſeu ope experientiae ſive in rebus naturalibus, ſive in moralibus, civilibusve acquiſiviſſe ideam, non claram modo, ſed diſtinctam quoque et completam; jam quo plures in promptu ſunt *obſervationes*, quoque plures rerum obſervatarum ſunt *notae* et *characteres*, ſeu *judicia*, quibus rem unam ab altera diſtinguas, eo proniorem tibi muniiſti viam tam ad conſtruendas rerum bonas definitiones, quam ad definienda verba in definitionibus adhiberi ſolita.

Scho-

Scholion.

Sic ubi *animam humanam* definiisti per substantiam hominis incompletam, intellectu et voluntate praeditam, debes etiam, ut idea tua de anima humana adaequata sit, etiam definire, quid sit *substantia*, quid *incompleta*, quid *intellectus*, quid denique *voluntas*. Quoties enim definitiones reales initio statim non possunt haberi, toties nominales sufficiant, modo ad amussim factae sint, in ordine ad investigandam veritatem, quia definitio nominalis etiam in se continet complures certas notas, quibus res aliqua semper et ubique ab omnibus reliquis distinguitur. Ejusmodi notae et characteres sunt proprietates aut partes essentiales, et hinc non possunt non novas suppeditare veritates.

§. 197.

Cum eo plures nobis sint inveniendae veritatis fontes, quo plures nanciscimur definitiones, luculenter patet, res definitas, si fieri possit, secundum regulas supra expositas esse dividendas, singulorumque membrorum novas condendas esse definitiones, praecipue cum singulae definitionum partes singulas dabunt praemissas, imo non solum per *regulas ratiocinii*, sed etiam *conversionis*, *aequi-*

pollentiae et *oppoſitionis* ſervient ad elicienda *axiomata*, *poſtulata*, et *corollaria*, *a*) quae baſes ſunt reliquarum veritatum, inde derivandarum, *theorematum* ſcilicet, et *problematum*, *poſitionumque*, *b*) quae emergunt, quoties plures definitiones combinantur.

Scholia.

a) Exploraſti per ſpeciales caſus, quod felicitas bene definiatur per *ſtatum durabilis gaudii.* Ex hac definitione deduces ſequentia *axiomata per omiſſionem differentiae.* " 1. Felicitas ſupponit ſtatum durabilem ſeu perpetuam durationem. 2. Ubi eſt felicitas, ibi debet eſſe ſtatus durabilis. 3. Quo major eſt ſtatus durabilis, eo major eſt felicitas. *Per omiſſionem generis.* 1. Felicitas eſt gaudium. 2. Quicunque eſt felix, ille fruitur gaudio. *Per converſionem.* 1. Quidquid eſt ſtatus durabilis gaudii, illud eſt felicitas. 2. Ubicunque locum habet ſtatus durabilis gaudii, ibi datur felicitas. *Per aequipollentiam.* Ubicunque non adeſt ſtatus durabilis gaudii, ibi non eſt felicitas. Ubicunque deficit durabile gaudium, ibi exulat felicitas. Quicunque non eſt capax durabilis gaudii, ille non eſt capax felicitatis. Jam ſequitur quoddam *poſtulatum.* Quicunque vult ad felicitatem pervenire, debet

ſibi

fibi comparare ſtatum durabilem gaudii. „ Ex primo axiomate deducitur ſequens *corollarium*. *Quicunque ergo verſatur in ſtatu durabili taedii, ille non fruitur felicitate.*

b) Eſt definitio una: *felicitas eſt ſtatus durabilis gaudii:* altera: *gaudium eſt conſtans ſenſus perfectionis.* Ex his duabus definitionibus inter ſe combinatis fluit theorema, *omni felicitati ineſt ſenſus perfectionis.* De veritate hujus theorematis ſi vere convictus eſſe velim, illud *demonſtratione* indiget, ex praefatis definitionibus, earumque axiomatibus ac poſtulatis, horumque corollariis petenda. Eandem demonſtrationem quaevis *problematis* reſolutio etiam poſtulat. Demonſtratur autem praefatum *theorema* hunc in modum. *Omni durabili gaudio ineſt conſtans ſenſus perfectionis* (id patet per realem definitionem *gaudii*) atqui in omni felicitate datur durabile gaudium (prouti patet ex definitione *felicitatis.*) *Ergo in omni felicitate exiſtit ſenſus perfectionis. Vis problema* habere? En: *quicunque alterum vult perducere ad felicitatem, is debet illi viam monſtrare ad ſenſum perfectionis conſtantem.* Etiam hoc problema ex allatis duabus definitionibus, *felicitatis* ſcilicet et *gaudii*, profluit. Ut illud feliciter ſolvas, requiritur, ut *cauſas* et *originem* gaudii, ſeu rei, quae produci debet, perſpectas habeas. Si noſti, quod gaudium oriatur ex repraeſentatione perfectionis, tunc nullo negotio ſolvis problema. *Quicunque vult alterum perducere ad felicitatem, ille id agat, ut alter perfectionem*

ſibi

ſibi quam vividiſſime repraeſentet. Ex his theorematibus et problematibus ſi placeat derivare novas propoſitiones, uti derivari vigore allatarum regularum poſſunt et ſolent, tunc illae vocantur *poſitiones*, item *conſectaria*, quin et *corollaria*. Denique nullum eſt *corollarium*, *problema* aut *theorema* nullum, ex quo, ſi aciem meditationis intenderis, hasque ideas cum aliis ideis novis comparaveris, non emergunt novae concluſiones et veritates.

§. 198.

Singulis hisce propoſitionum generibus addi ſolent annotationes, quas *Scholia* vocamus, et ad illuſtranda ea, quae adhuc minus clara videri poſſent, adhibere ſolemus. *a*) Denique interdum theſin noſtram ut ſufficienter probare aut demonſtrare poſſimus, oportet nos in ſubſidium vocare aliquam propoſitionem *extraneam*, id eſt, ex *aliena diſciplina* deſumtam, quam *lemmatis* nomine inſignire conſuevimus. *b*)

Scholia.

a) In Scholiis oſtenditur *origo*, *etymologia* et *vis* vocis aut propoſitionis. Ibi digitus intenditur in *uſum* propoſitionis, in *auctorem* et *modum*, quo auctor ad hanc illamve poſitionem

nem delapſus eſt: ibi reſpondetur ad *objectiones*, enodantur *dubia*, *obſcura* declarantur, *hiſtoriae* et *fontes inventionum* recenſentur, et ſi quae alia ſcitu nec injucunda nec inutilia occurrunt, inſeri ſolent. Sic huic propoſitioni: *Cosmologia generalis eſt ſcientia mundi in genere*, ſequentia addere poteris Scholia. 1. *Wolfius*, Philoſophiae et Matheſeos reſtaurator, eſt inventor hujus diſciplinae. 2. Per *mundum* hic non intelligitur individuus hic mundus aſpectabilis, caelo et terra conſtans, de quo phyſica et aſtronomia exponit, ſed complexus notionum, quae ab hoc, qui exiſtit, mundo individuo abſtractae, mundo generatim conſiderato conveniunt. 3. Cosmologia generalis alias vocatur *tranſcendentalis*, quatenus ibi nonniſi ejusmodi poſitiones demonſtrantur, quae, quia ſunt *univerſaliores*, fundamenti loco ſubſternuntur. 4. Ejus *uſus* ſe ſe exſerit in *theologia naturali*, ubi *exiſtentia Dei* demonſtranda venit, quae nunquam demonſtrabitur, niſi antea *contingentiam* hujusce mundi ſpecialis ex cosmologia generali ſtabiliveris. 5. In *phyſica*, quatenus phyſicus *generalem* ſibi de mundo *notionem* comparat, *legesque*, quibus corporum mutationes conformantur, prius rite perſpectas habeat, quam tum hanc terram, illiusque multa variaque corpora, tum hoc caelum, innumerasque ejus, ac diverſiſſimas ſtellas, planetasque inveſtiget.

b) Jus Naturae ſtatuit, *omnes actiones bonas*

nas vel *malas esse intrinsece et per suam naturam bonas* vel *malas.* Ad veritatem hujus propositionis demonstrandam, si ex ontologia desumas illam propositionem, verissimam sane et multarum conclusionum feracissimam: *Essentia entis est absolute necessaria et immutabilis*, tunc haec propositio ontologica vocatur *lemma*, et sic applicatur pro casu praesenti. Essentia cujusvis actionis nostrae ita est constituta, ut vel bonas habeat consequentias, vel malas, quas quidem ob debilem intellectus nostri aciem non semper perspicimus ante, at certe tamen aut statim aut post tempus sentimus: sed actionis nostrae essentia est absolute necessaria et immutabilis, id quod in *Ontologia* demonstratur. Ergo actiones nostrae bonae vel malae sunt intrinsece, id est, per essentiam suam bonae vel malae; cum illa actio dicatur *intrinsece bona*, quae sibi bonas habet connexas consequentias, et *intrinsece mala*, a qua malae consequentiae per naturam suam sunt inseparabiles. Haud dissimiliter ad probandam *existentiam revelationis divinae* assumimus ex theologia naturali hanc propositionem; *existit DEus*: et ad probandam existentiam Dei assumimus ex cosmologia assertum de *contingentia mundi*; ut taceamus alias plurimas propositiones in theologia naturali, quae explicari et intelligi nequeunt, nisi notiones quaedam etiam ex ontologia et psychologia *lemmatum instar* praestruantur.

§. 199.

§. 199.

Hoc modo *veritates certae* inveniuntur: aſt *probabiles*? has poſteriores, ſi velis reperire, omnia rei phaenomena, quoad fieri poteſt, *experiundo* inveſtiga, iisque inter ſe collatis vide, ut invenias *hypotheſin*, ex qua horum phaenomenorum *explicatio* haberi poſſit: ex phaenomenis igitur formantur *propoſitiones* ſeu *ſequelae*: quoties jam hae multitudine examinum fiunt *univerſales*, toties *inductio* erit univerſalis. *a*) Idem obſervandum venit de quacunque alia probabilitate: in *hiſtorica* conferendae ſunt regulae de auctoritate, ejusque gradibus: in *politica* conſilia et rei circumſtantiae comparari debent, et *pro hypotheſi* ponamus oportet, poſitis hujusmodi conſiliis et circumſtantiis talem ſequi ſolere eventum: in *morali* conferenda ſunt ſigna inclinationum, aut actiones et omiſſiones: in *hermeneutica* leges interpretandi. In invenienda veritate *certa* felix eris, ſi acri judicio, in *probabili* autem, ſi ingenio polles. *b*)

Scho-

Scholia.

a) Si obſervaveris diligenter, *aurum ab igne rarefieri*, ſi examinaveris dein et reliqua *metalla*, *ſemimetalla*, *omnia foſſilia*, *animalia* et *vegetabilia*, quae omnia ignis rarefacit, tunc propoſitionem univerſalem hunc in modum condere licet. Omnia corpora ab *igne rareſcunt*. Haec propoſitio univerſalis pro vera ſeu pro hypotheſi habenda eſt. Sin contraria quaedam phaenomena ex poſt in ſingularibus corporibus occurrerint, tunc limitanda erit concluſio.

b) Haec meditatio merito dicitur *divinatio*, de qua *Cicero* fuſe ediſſerit in *libr. de divinat.* Certe, quidquid Vates in ſuo aeſtu ſacrato eruit, aut eruere poteſt, id ipſum, imo plus adinvenit logicus frequenti meditatione, per hanc cogitandi methodum ordinata.

§. 200.

Atque ſic adminiculo meditationis acquirimus ſylvam veritatum: has ſi aliis proponere velimus, de *ordine* cogitandum eſt, ſecundum quem veritates inventae proponi queant. Ordo iſte vocatur diſpoſitio veritatum inventarum, quae partim pro natura *materiae*, partim pro *modo proponendi* inſtituenda venit. Quoties philoſophis veritates ope medi-

Digitized by Google

meditationis inventae proponi debeant, tunc id fieri solet per *dissertationem*, methodo synthetica tractatam. Sin orator ejusmodi veritates detectas auditoribus suis proponat necesse sit, tunc id confici oportet aut per *chrias colloquiumve*, aut per alias hujus generis *elaborationes oratorias*, prout scopus sermonis aut orationis, qui in persuadendo ponitur, exigere solet. Quorsum praecipue conducit *divisio* ideae distinctae, et omnium notarum rei distinctae, quantum fieri potest; uti et *definitio* cujusvis membri dividentis, ac tandem applicatio veritatum meditando erutarum ad praesentes res, personas, et circumstantias. Unde patet, quam impossibile sit, absque apta et legitima meditatione seu juxta methodum syntheticam seu analyticam instituta, aptum quid, hominumque auribus dignum elaborare.

Scholion.

Si tibi autem suppeditetur aliqua propositio: e. gr. *Logica est ante Rhetoricam seu Eloquentiam addiscenda*, tunc in meditando ita procedendum est.

1. *Indaga* in definitionem subjecti et praedicati, uti et Rhetoricae seu eloquentiae.

2. *Affer* casus singulares, sub generalibus definitionis cujuslibet notis comprehensos, et adhibe distributionem Rhetoribus admodum notam juxta tempora, loca, personas, aliaque praedicamenta.

3. *Inquire* in modum, auxilia et instrumenta, semper memor illius Hexametri: *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

4. *Praesertim quaere* in ipsis subjecti notis rationem, ob quam praedicatum conveniat subjecto. Atque ex hac ratione forma syllogismum ad demonstrandam propositionem suppeditatam.

5. *Tandem collige* similitudines, paritates, inductiones, exempla, et quaevis alia Scholia, quae propositioni tuae aut explicandae aut illustrandae inservire quoquo modo possunt. Ex his demum sole clarius patebit, *Logicam in ordine discendi locum praeripere Rhetoricae seu Eloquentiae.*

§. 201.

Si veritates satis multas, adminiculo Meditationis inventas, aliis in quadam *dissertatione* communicare volumus, tunc methodum syntheticam in eadem adhiberi posse diximus. Studiose igitur indicari oportet fontes supradictarum veritatum, et modum, quo una veritas ex altera meditando eruta fuit,

non

non vero argumenta contraria, et eorum consectaria, ne dissertatio refutatione eorundem in immensum crescat, et lector per invia et devia ducatur. Cum enim omnis propositio per legitimam demonstrationem inventa et stabilita sit vera, etiamsi alterius argumenta ab invidia seu odio ducta, fallaciisve illinita nesciamus, et veram quoque propositionem impugnari posse doceat tristis experientia, refutari tamen non potest. Ita Geometrae nullos perhorrescunt refutatores, etsi contingere queat, ut geometriae expers aut contradicendi spiritu agitatus geometricas veritates impugnare non erubescat. Hinc viri profundissime docti et veritatis cultores serram contentionis cum consequentiariis, quos imitari turpe est, non reciprocant, sed sua demonstrantes dogmata acquiescunt, probe scientes, ita quemvis dissentientem et blasphemantem esse refutatum, se ipsos autem ab omni refutatione securos.

Scholion.

Propositurus igitur in quadam dissertatione hanc veritatem meditando inventam, *quod*

ſcilicet *praeter partes materiae ſenſibiles adhuc dentur innumerae ejusdem partes inſenſibiles*, rem ita aggredere. Illae particulae materiae dicuntur inſenſibiles, quae nullam in organis ſenſoriis corporis noſtri craſſi producunt mutationem: atqui dantur particulae materiae, quae nullam in organis ſenſoriis corporis noſtri producunt mutationem: ergo dantur particulae materiae minutiſſimae ſeu inſenſibiles: *major* hujus ſyllogismi indicat definitionem particulae inſenſibilis. *Minor* probatur. Nervi organorum ſenſoriorum noſtrorum non poſſunt moveri a particulis minutiſſimis: ergo dantur particulae materiae tam minutae, ut nullam in organis ſenſoriis corporis noſtri producant mutationem. *Antecedens* probatur. Nervi noſtri, qui ad ſenſum efficiendum ab objectis moveri debent, non ſunt minutiſſimi, ſed funiculorum inſtar, ex multis particulis ſeminaribus contexti. Ergo nervi organorum ſenſoriorum noſtrorum non poſſunt moveri a particulis minutiſſimis. *Antecedens* patet ex anatomia, et probatur ulterius. Nervi noſtri utpote partes ſenſibiles corporis noſtri conſtituuntur ab inſenſibilibus particulis, non ſeorſim ſumptis, ſed ſimul conjunctis, adeo, ut particulae minutiſſimae, quae ſingulae nervos membrorum noſtrorum movere nequeunt, ſimul junctae movere poſſint: veluti filamenta ſerica ſingula, ſeorſim accepta, nullum colorem habere videntur, con-

junctа

juncta tamen et simul sumpta, filum album, rubrum, aliove colore tinctum, componunt, cum filamenta serica, seorsim accepta organon nostrum visus movere nequeant, adeoque nullam in eo producant mutationem. Bacilli septem, quorum singuli seorsim sumpti facile franguntur, simul accepti vix ac ne vix quidem frangi possunt: quod in partibus sensibilibus fasciculi contingit, id eo magis dici potest de partibus insensibilibus. Singulae partes effluvii magnetici non possunt attrahere ferrum: ast simul seu in magna copia sumtae attrahere possunt, utut sint insensibiles. Existere autem effluvia, quae alias etiam evaporationes aut exhalationes dicuntur, innumeris exemplis probari potest. Aquas, si eae in aestate soli exponantur, diminui experimur, propter partium, sine dubio, ex iis evaporationem et exhalationem, quanquam nemo unquam has particulas evaporantes vidit vel sensu deprehendit. *Magnes* attrahit ferrum, num per partes sensibiles? ast istae non conspiciuntur, nec conspectae unquam fuerunt. Ergo per particulas insensibiles, quas *striatas* et *hamatas* vocamus, attrahit ferrum aliaque corpora magnetica intra sphaeram effluvii magnetici constituta, cum actio in distans jam dudum sit explosa, et totum hoc universum unus et sibi omni ex parte cohaerens globus non sit, sed instar machinae in innumeras distinctae partes sensibiles aeque ac in-

ſenſibiles, non modo ſubtiliſſimum, in quo vi centrifuga et centripeta feruntur ſtellae, planetae et ſatellites, liquorem et aetherem, ſed craſſiora quoque corpora, variis modis compoſita, et ex particulis ſeu corpuſculis inſenſibilibus ac primogeniis contexta in ſe ita contineat, ut mutuus eorum contactus facile intelligatur. Imo ut veritas noſtrae ſententiae eo reddatur clarior ac manifeſtior, conſideremus, prout par eſt, *generationem* aeque ac *corruptionem* et *alterationem* corporum paulo attentius. Vides acervum lapillorum aut nummorum. Iſte acervus nec creſcit, niſi quosdam alios addas, nec decreſcit, niſi quosdam demas. Haec eſt natura *incrementi* et *decrementi*, haec eſt natura cujusvis quantitatis, ut per *additionem* acervus creſcat, et per *demptionem* decreſcat. Contrarium eſt impoſſibile. Creſcunt *herbae*, *plantae* atque *arbores*, creſcunt *corpora* animalium tam rationalium quam irrationalium, creſcunt, inquam, ſine dubio per appoſitionem ſeu *intus ſumptionem* quarundam particularum: aſt quis ſenſu unquam deprehendit, quaenam illae ſint *particulae heterogeneae*, quae herbis, plantis, arboribusque, item quae corporibus hominum, brutorum atque inſectorum acceſſerunt? Quod *creverint* gramina, herbae et arbores, quod creverint corpora animalium, obſervamus quidem, ſed quod *creſcant*, nemo mortalium vidit unquam. Ergo particulae, quae iis accedunt, ſunt

invi-

inviſibiles ſeu *inſenſibiles*. Idem accidit in *corruptione corporum*: quando animal morti appropinquare incipit, aut mortuum eſt, decedunt particulae inſenſibiles, corpusque, quod antea erat pingue, rareſcit. Quis autem unquam vidit has particulas decedentes? decreſcere videmus herbas, plantas et gramina, aſt quis viſu percepit haſce evaporationes et particulas decedentes? ipſe homo, qui creſcit, non videt particulas *accedentes*; nec videt, qui prope ſenectutem aut mortem eſt, particulas *decedentes*. Dantur ergo materiae partes non modo ſenſibiles, ſed etiam inſenſibiles, quae poſteriores ſaltem intellectu percipiuntur. Hinc non *ſenſus* ſed *intellectus* pro menſura et norma *inſenſibilium* ſtatuendus eſt. Id quod erat demonſtrandum.

Sectio II.

De *Methodo dijudicandi* Veritatem, et methodo cogitandi analytica.

§. 202.

Meditatio eſt applicatio cogitationum noſtrarum, ad Veritatem non modo inveniendam, ſed etiam dijudicandam, legibus cogitandi ab ipſo naturae auctore intellectui noſtro inditis conformiter. Egimus hactenus de methodo meditandi ſynthetica, deſcendendo a principiis ad concluſiones. Jam

transeamus ad methodum meditandi analyticam, aſcendendo a concluſionibus ad Principia, quas ab aliis ſcriptoribus inventas in libris eorundem tam hiſtoricis quam dogmaticis legimus. Cum enim unus idemque homo neque omnes res propria experientia noſcere, neque omnes veritates propria meditatione invenire aut demonſtrare queat, probe gnarus, nec tempus, nec vires ipſius, aliasque circumſtantias et occaſiones ſibi ad talem tantumque laborem ſufficere, Deus manifeſto voluit, ut cogitationes noſtras legibus cogitandi intellectui noſtro divinitus praeſcriptis convenienter ita dirigamus, ne experimenta, ab aliis rite inſtituta, aut veritates ab aliis explicatae et demonſtratae nos lateant, aut a nobis negligantur, quatenus nos, noſtrumque ſtatum tam internum quam externum reddere poſſunt perfectiorem. Continentur hae veritates ab aliis inventae in libris eorum, quos *hiſtoricos* vocamus, quoties facta ſeu propoſitiones ſingulares comprehendunt; *dogmaticos* autem, ſi dogmata ſive univerſales poſitiones exhibent. Libri dogmatici,

tici, quoties propositiones universales e. gr. de essentia, principio, qualitatibusque rerum, saltem enarrant absque demonstrationibus, et ad summum varias a variis allatas probationes indicant quidem, sed non evolvunt, dicuntur *dogmatico - historici:* in quibus vero veritates exasciatis demonstrationibus muniuntur, *scientifici* seu *systematico - dogmatici.* In iis igitur libris seu monumentis, quando quis experientias aliorum, definitiones ab aliis datas, eorumque demonstrationes, cum regulis experientiarum, definitionum et demonstrationum contendit, atque utrum ad eorum normam confecta sint, nec ne, examinat, tunc *dijudicare* dicitur.

Scholion.

Tota difficultas in eo vertitur, ut, sicut aurum effossum ad lapidem examinamus lydium, ita et resolvamus judicia in sua subjecta et praedicata, consideremus ratiocinia secundum formam et materiam, an non et in quanam catenae parte latitet vitium; examinemus conversiones, aequipollentias et oppositiones juxta earum regulas, definitiones pariter et divisiones, referamus conclusiones ad sua principia, et phaenomena ad

suas

ſuas hypotheſes, ut appareat, an tota demonſtrationis ſeu probationis ſeries recte ſe habeat. Sine hoc examine ad cognitionem veritatum ab aliis inventarum pervenire non poſſumus. Sic Arithmetici dijudicant, an recte uſi fuerint regula detri, an in hoc, aliove exemplo bene fuerint operati, erraverintve, dicentes; probatio operationis regulae hujusce facile et ſolide ſimul perſpicitur, ſi numerum tertium in locum primi, et rurſus primum in locum tertii, et quartum inventum in locum ſecundi ponens, rurſus per regulam operatus fueris; nam ſi primo bene feciſti, jam ultimo in quotiente invenies ſecundum prius in regula poſitum. Exempli gratia 2. ova tribus emuntur denariis, quot denariis comparantur 12. ova? ſi (uti dictum eſt) juxta regulam proceſſeris, in quotiente 18 reperies: cujus ſi probam habere cupis, numeros iſtos tali ordinabis ratione: 12. 18. 2. atque cum iterum ſecundum regulam operatus fueris, in quotiente 3. reperientur. Non aliter ſcilicet, ac dum *Arithmetici* addiderunt, ſubtraxerunt, multiplicarunt ac diviſerunt, harum operationum *probationes* ſubnectere ſolent cum cautela, quam etiam in exprimendo magno numero adhibent. Haud abſimiliter quidam viri aeque ac juvenes ſcripta *Wolfii* legerunt, et quidem ita legerunt, ut omnes demonſtrationes Wolfianas, quae nexum celant, ſyllogismorum ope in prima ſua

elemen-

elementa resolverint. Quo factum, ut, ex quo fonte profluxerit cujusvis asserti veritas, nullo negotio perspexerint, ac soliditatem judicii acquisiverint.

§. 203.

Dijudicare veritatem nihil est aliud, quam experientias aliorum aeque ac suas, definitiones, argumentationes, positionesque, earumque demonstrationes cum regulis legitimae experientiae, definitionis ac demonstrationis contendere seu conferre, et consequenter *examinare*, utrum ad earum normam confectae sint, nec ne. Cum autem alii suas cogitationes et animi sensa vel *in scriptis* vel *oretenus* aperiunt, in praesenti sectione nonnisi de iis loquamur veritatibus, quas alii nobis oretenus communicant, in sequenti autem etiam de iis, quas alii nobis per scripta seu libros tradiderunt. Paucis igitur in hac sectione attingam examen tam experientiarum, quam propositionum universalium, ab aliis datarum, fusius hanc materiam tractaturus in sectione sequenti: ibidem enim de lectione *librorum* ex instituto agetur, quibus ea continentur, quae alii

vel

vel ſunt experti, vel explicant, vel demonſtrant.

Scholion.

Varia dubia, ſi ad dijudicandas propoſitiones, ab aliis datas te dederis, ſe tibi ſponte offerent, et poſitiones, quae antea tibi videbantur certae, nunc vix probabiles interdum invenies, et, quae antea vix probabilitatis gradum attigiſſe videbantur, nunc firmiter demonſtratas deprehendes, *dubia et praejudicia* interdum ita ſe tibi ſponte offerent, ut alterum alterum portu quaſi excludat. In quo examine quanta lateat *voluptas philoſophica*, ii demum norunt, qui mentis vires non patiuntur hebeſcere, ſed ingenium veluti arcum, intentum habent, et nunc hanc experientiam, nunc illam propoſitionem, nunc hoc factum hiſtoricum, nunc illud dogma ſecundum regulas veritatis certae vel probabilis dijudicando pertractant. Hoc uno exercitio, ſaepius inſtituto, ſi juvenes philoſophiae cultores probe ſubiguntur, dici non poteſt, quantam inde *judicii ſoliditatem* et *ingenii promptitudinem* in cogitando, veluti meſſem uberrimam, referant.

§. 204.

Alterius cogitationes *oretenus* relatas dijudicaturus easdem cum terminis jungat o-

por-

portet *ideas*, quas referens cum iis connectit. *Aliorum* enim *voces* et *sermones* dijudicaturus alios intelligere debet. Cum autem alter alterum intelligere nequeat, nisi uterque cum iisdem vocibus easdem conjungere sciat ideas, consequens est, ut alterius voces dijudicaturus easdem cum terminis ore prolatis jungat ideas seu notiones, quas alter cum iis junxerat, si mentem loquentis acu quasi tangere et verbis illius falsum alienumve sensum non affingere cupit.

Scholion.

Hinc attendendum est ad *definitiones*, quibus loquens voces adhibitas determinat, aut saltem in *significatum vocis*, quae non definitur, inquirendum, quem ipsi *usus loquendi* tribuit. Recolligenda hic veniunt ea, quae supra in materia de terminis de *termino familiari* adduximus. Sic terminus *galant*, et terminus *ambition* multis Germanis usque eo evaserunt familiares, ut iisdem inter sua colloquia continuo utantur, et ideam quoque aliquam cum iisdem connectant, sed plerumque obscuram, ita, ut ipsi, quid sibi uterque velit terminus, interrogati, ideam cum iisdem conjungendam aliis enumerare nesciant. Item siquis dicat de Mevio, er weißt zu leben, non quivis audiens statim intelligit dicentem: *homo luxuriosus*

ſus et laſcivus alias cum iisdem vocibus plerumque jungit ideas, quam *ſapiens et moderatus. Ille* de eo haec verba intelligit, qui cum libidinoſis, ebrioſisque hominibus converſationem ambit, et qui diu in luſtris et helluationibus et ludendo vivit: *iſte* autem eum his verbis intellectum cupit, qui ſuavibus colloquiis demulcet ſocios, qui in neminem injurius exiſtit, qui illatas ſibi injurias leviores quaſi non appercipit, ſcilicet qui actiones ſuas ita dirigere novit, ut aliis placeat.

§. 205.

Aliorum loquelas dijudicaturus *linguam eorum* calleat oportet, et *idiotismos*, et *modum agendi*, cum ad dijudicandam veritatem requiratur ut alter alterum loquentem intelligat, uti in §pho praecedenti oſtenſum eſt: neuter autem alterum intelliget, niſi uterque alterius quoque didicerit linguam, quia experientia teſte Germanus cum vocibus latinis aut graecis non easdem conjungere poteſt ideas, quas latinus ſeu graecus cum iisdem conjungit. 1) Hinc luculenter patet, quod dijudicaturus debeat non ſolum eſſe leviter tinctus principiis linguae alienae, ſed probe verſatus tam in grammatica quam ſyntavi illius linguae, quin

et

et in idiotismis illius : est enim sua cuique populo lex, sua cuique dictio, quin et suus cuique modus agendi, qui nonnisi *terminis technicis* et *artificialibus* exprimi solet. 2)

Scholia.

1) Haud invidenda proin est exegeticae doctrinae studiosorum sors, qui ad studium *Exegetarum* se se accingunt, antequam linguas sanctas, *graecam* scilicet et *hebraeam* sibi reddiderunt satis cognitas, aut qui studio *juris romani* se se mancipant, priusquam in *addiscendis antiquitatibus romanis* se se probe exercuerint. 2) Sic frustra in scholis consumitur tempus *epistolas* explicando et *orationes ciceronianas*, cum pauciissimi inter scholarum magistros et multo pauciores inter discipulos in *jurisprudentia romana* et *modo*, quo Romani suas solebant tractare causas, subactum habeant ingenium, sine quibus adminiculis *Ciceronis mentem* reperire non datur.

§. 206.

Dijudicaturus alterius relationes et assertiones nihil prius, nihil posterius habeat oportet, quam nosse *stilum* 1) et *pronuntiationem referentis.* 2)

Scho-

Scholion.

1) Alio ſtilo utitur *hiſtoricus*, qui refert, alio, qui *philoſophatur*, alio denique, qui *perorat*, aut *verſus canit*. Alius orationis habitus exigitur in *epiſtolis*, alius in *orationibus*, alius *in dialogis* et *ſatiris*, alius denique in aliis ſcribendi generibus. *Grammatica* juſtam verborum compoſitionem docet, ſententias neceſſarias ſuppeditat *Philoſophia*, easdem denique apte diſponit *Rhetorica*, et *Poeſis* denique non modo in metrum redigit, ſed et variis terminis vagis et metaphoricis tam genuina facta et dogmata, quam fictiones, notionesque deceptrices ſuas quaſi calamiſtris exornat, eisque colores adſcititios, veluti fucum, inducit, ibique lepores venatur, ubi lepores declarat eſſe animalia timidiſſima.

2) *Dialectus* ſeu pronuntiatio cujusvis linguae pro varietate provinciarum urbiumque, in quibus illa regnat, admodum variat. Prouti vel inter ipſos graecos dialectum *atticam*, *aeolicam*, *jonicam*, *doricam* et *macedonicam* regnaſſe novimus.

§. 207.

Signum eſt id, cujus idea excitat ideam alterius. 1) Id, cujus idea excitatur, vocatur *ſignatum*. 2) Si res, quae ſignificatur, praeſens eſt, tunc ſignum vocatur *demonſtrativum*,

ſi

ſi futura fuerit, *prognoſticum*: ſi denique praeterita, tunc *rememorativum* ſeu *memoriale*. Signum, inter quod et rem ſignificatam neceſſarius eſt nexus, dicitur *neceſſarium*, 3) ſeu *naturale*; ſignum, quod ab arbitrio humano pendet, *arbitrarium*. 4) Cuivis ſigno reſpondent *duae ideae*, quarum ea, quae ipſum ſignum ſiſtit, *materialis*, et illa, quae ſignatum repraeſentat, *formalis* nuncupari ſolet. 5) Caeterum *termini iidem* cum in eadem et diverſis linguis res diverſas, et *diverſi termini* in eadem et in diverſis linguis rem eandem notare ſoleant, hinc termini ad ſigna arbitraria referuntur. 6)

Scholion.

1) Illuminationes urbis in natali die Principis ſunt ſigna *gaudii*: idea lampadum in hoc die accenſarum excitat in nobis ideam gaudii, in animo civium excitati. Lampas accenſa eſt ergo *ſignum*. 2) Uti in praecedenti exemplo gaudium eſt *ſignatum*. 3) Fumus eſt ſignum naturale ſeu neceſſarium ignis. Foetor eſt ſignum naturale ſtercoris &c. 4) Verba ſunt ſigna arbitraria conceptuum. Poterimus enim ideas noſtras aliis ſignis, e. gr. nutu, renutu,

geſtibus et manibus indicare. Sunt quidam, qui verba et voces a ſe invicem diſtinguunt: *voces* ad ſonos actu prolatos, eosque articulatos extendi volunt: *verba* vero eſſe ſigna ajunt, quibus ſonus articulatus proferri poteſt, ſive ore, ſive calamo.) Repraeſentatio arcus colorati in nubibus eſt *idea materialis* iridis: repraeſentatio autem diluvii in poſterum non amplius venturi eſt *formalis idea* iridis. 6) *Equus, cavallo, cheval.* Pferd, Roß ſignificant idem ens. *Cancer*, Krebs, *ecrevice* ſignificant animal aquatile, morbum, ſidus, armorum genus. Id quod minime fieret, ſi termini eſſent ſigna naturalia ſeu neceſſaria: nam *fumus*, qui eſt ſignum naturale ignis, praeter *ignem* nec hic nec alibi quidqam ſignificat. Si magiſter dicat diſcipulo ſuo: *Barbara pertinet ad primam figuram*: tunc *diſcipulus* eandem ideam cum hac voce jungit, quam Magiſter cum eadem connectit. Aſt ſi *mediaſtinus* hunc magiſtrum ita loquentem forte audit: tunc putat, magiſtro eſſe ſermonem de faemina quadam et de figura in habitu corporis, qui animantibus brutis comparari ſolet. *Gallus* denique illiteratus, cui nonniſi nomen *Barbe* eſt notum, neſcit, quid ſibi haec velit *Barbara* aut *figura*. Diſcipulus ergo intelligit magiſtrum *recte*, mediaſtinus *male*, et Gallus *omnino non*. Id quod non fieret, ſi barbara et figura eſſent ſigna naturalia.

§. 208.

§. 208.

Vires humanae non ſufficiunt, ut quis poſſit omnia ipſe *meditando* aut *experiundo* invenire, ſed opus eſt, ut *aliorum* quoque *cogitata* conſulamus, aliorumque, qui multas jam invenerunt veritates, *diſcurſus* et *relationes* audiamus, ſi ad veritatum utilium cognitionem pervenire cupimus. 1) Adhaec homines mentis ſuae cogitata per voces ſeu terminos cum aliis communicant, et, ſi velint intelligi, non per terminos mente caſſos, obſcuros, vagos et metaphoricos, niſi his addatur eorum explicatio, ſed per claros, fixos, proprios et determinatos communicant, et in colloquiis ſuis ac converſationibus ſe ſe praebent intelligendos. Quoniam igitur ex una parte *res ipſae*, de quibus differimus, in colloquium aut diſpututionem adduci non poſſunt, et ex altera parte *idae*, quas quis per ſenſionem vel abſtractionem aut combinationem de iſtis rebus ſibi formavit, ſive iſtae ideae ſint *ſingulares* ſive *univerſales*, per ſe ſolas nobis non ſint perceptibiles; nemini enim datum eſt cognoſcere, quod alter clam cogitat; ideo colloquentes rebus et

ideis ſuis *ſupponunt*, id eſt, *ſubſtituunt voces* ſeu *terminos*, qui proin melius dicuntur *ſupponi* pro ſe vel pro ſuo ſignificato, quam *ſupponere*.2)

Scholion.

1) Qui nihil veri admittere, ſuosque in uſus convertere vellet, niſi quod ipſe *proprio marte* invenit, is haud abſimilis eſſet *illi*, qui nec veſtibus, aedibus, pecuniis, nec cibis potibusque uti prius, fruique vellet, quam haec omnia ipſemet confeciſſet et praeparaſſet, aut conficere et praeparare ſine omni aliorum inſtitutione didiciſſet.

2) Qui ergo rebus *ſupponit terminum*, ille *reſtringit* et *limitat* ſignificationem termini in propoſitione ad unum quidquam ſignificandum. Sic *homo* per ſe ſignificat *omnes* homines ſeu naturam humanam: aſt ſi dico *homo eſt albus*, tunc ſuppono hunc terminum *homo* pro determinato homine, ſcilicet *albo*, non pro *nigro*: ergo *aliquis homo eſt albus*, non *omnis*.

§. 209.

Colloquentibus, ut ſe ſe invicem intelligant, intereſt ſcire, quibusnam rebus, quibusve rerum ideis ſuis alter terminum *ſupponat* ſeu *ſubſtituat*, an 1) pro *ſe ipſo* vel pro *ſuo ſignificato*, an pro ſignificato *dependenter* vel

inde-

independenter a ſecundis intentionibus, 2) an pro ſignificato *ſingulari* vel *communi*, 3) et quidem *communi* pro ſuis inferioribus *ſingulatim* aut *copulative*, *disjunctive* aut *disjunctim*, id eſt, *determinate* vel *indeterminate* ſumptis. 4) Cum enim idem terminus multas habere poſſit ſuppoſitiones, ſeu multis et diverſis ideis ſupponi, atque ex varietate ſuppoſitionum in colloquiis dubia et aequivocationes naſci ſoleant, niſi diſtinguantur: multitudo enim, quoties ſimilitudini jungitur, facile decipit: conſequens eſt, ut unus colloquentium ſcire debeat, quibus rebus ſeu ideis alter terminum ſuum ſupponat.

Scholion.

1) *Leo eſt vox diſſyllaba*: hic ſupponitur Leo pro ſe. *Leo eſt animal rugibile.* Hic ſumitur *leo* pro ſuo ſignificatu. 2) *Homo eſt ſpecies.* Hic accipitur *homo* pro termino ſecundointentionali, id eſt, pro abſtracto. Homo eſt *animal rationale.* Hic uſurpatur vox *homo* independenter a ſecundis intentionibus, id eſt, ab abſtractione. 3) *Hic homo currit*, ſeu *Petrus currit.* Hic *ſubjectum* ſumitur ſingulariter: *homo eſt animal rationale*: hic accipitur homo communiter, id eſt, pro ſingulis hominibus. 4) *Omnis*

homo eſt animal: hic ſumitur *homo* diſtributive, id eſt, pro ſingulis hominibus *ſeorſim* acceptis. *Omnes planetae ſunt ſeptem.* Hic *omnes planetae* ſumuntur *ſimul* ſeu *copulative*, ita, ut nullus ſeorſim ſit ſeptem. *Homo diſputat.* Hic ſupponit *homo* disjunctive, id eſt, determinate, quia idem eſt acſi dicerem: *aliquis homo diſputat.* Poteſt enim ille homo, qui diſputat, determinari. *Aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum.* Hic ſupponit *oculus* confuſe, ſeu conjunctim, id eſt, indeterminate. Non poteſt enim oculus aſſignari, qui ſit *prae altero* neceſſarius, quamdiu tam dexter quam ſiniſter oculus eſt aeque ſanus et illaeſus, ac neuter impeditus, ſeu inſufficiens.

§. 210.

Suppoſitio eſt acceptio termini pro ſe vel ſua ſignificata idea. Dividitur in propriam et impropriam. *Propria* eſt acceptio termini pro idea, ad quam ſignificandam primario eſt inſtitutus. 1) *Impropria* eſt acceptio termini pro idea, ad quam indigitandam primario quidem non eſt deſtinatus, aſt ob aliquam ſimilitudinem eſt adhibitus. 2) *Suppoſitio propria* ſubdividitur in materialem et formalem. *Materialis* eſt acceptio termini pro ſe ipſo et non pro idea ſua ſignificanda. 3) *Formalis* eſt acceptio

ceptio termini pro idea ſua ſignificata. 4) *Suppoſitio formalis* rurſus ſubdividitur in ſimplicem et perſonalem. *Simplex* eſt acceptio termini pro idea ſignificata, prout ſubeſt ſecundis intentionibus ſeu abſtractioni. 5) *Perſonalis* eſt acceptio termini pro idea, prout ea independenter a ſecundis intentionibus ſeu a parte rei exiſtit. 6) *Suppoſitio perſonalis* alia eſt diſcreta ſeu ſingularis, et alia communis. *Diſcreta* eſt acceptio termini pro aliqua idea ſingulari tantum. 7) *Communis* eſt acceptio termini pro ſignificanda idea univerſali, adeoque pro ſignificandis ejus inferioribus. 8) Suppoſitio communis agit de ideis, quae non in ſenſus, ſed tantum cadunt in intellectum.

Scholion.

1) *Leo rugit, canis latrat, equus hinnit, homo ratiocinatur.* 2) *Prata rident:* : ubi *ridere* idem ſignificat, ac florere, non abſolute quidem, aſt cum proportione et annotatione ad riſum tamen. Unde ſicut in ſtatuis, aedificiis, ſonis &c. ita in vocibus magna ex metaphoris oritur ob proportionem delectatio. Poeta et Rhetor, qui delectando movere conantur, terminos metaphoricos uſurpant, quos philoſophus, qui nudam quaerit veritatem, rarius

vel omnino non adhibet. 3) Homo eſt nomen generis maſculini. Mus eſt vox monoſyllaba. Logica eſt vox graeca, quae a ſubſtantivo *logos* deſcendit. 4) Homo eſt animal rationale. Logica eſt ſcientia dirigendi facultates cognoſcitivas in diſcernendo vero a falſo. 5) Petrus eſt individuum; homo eſt ſpecies; animal eſt genus; ſubſtantia eſt genus ſummum. 6) Petrus eſt homo: homo eſt animal rationale: animal eſt principium ſentiendi: ſubſtantia eſt ens a ſe vel per ſe ſubſtans. 7) Petrus cantat; hic homo diſputat. Bucephalus currit. Illa avis volat. Iſte bos rugit. 8) Homo eſt animal rationale, id eſt, et Petrus eſt animal rationale et Paulus eſt animal rationale; et ſic de reliquis individuis humanis. Omnes planetae ſunt ſeptem, id eſt, Uranus, Saturnus, Jupiter, Mars, Terra, Venus, et Mercurius, ſimul ſumti ſunt ſeptem. Item: Homo currit, id eſt, vel hic homo currit, vel iſte homo currit, vel ille homo currit, determinarique poteſt is, qui currit. Oculus eſt neceſſarius ad videndum, id eſt, vel ſiniſter vel dexter, et, qui ſit prae altero praeciſe neceſſarius, determinari non poteſt.

§. 211.

Suppoſitio communis iterum ſubdividitur quadrifariam, ſcilicet in diſtributivam, copulativam,

Digitized by Google

tivam, disjunctivam et disjunctam. *Suppositio distributiva* est acceptio termini communis, qui ad singula inferiora, sub termino communi contenta, per particulam *et* in recto repeti potest, et quidem vel ascendendo, 1) vel descendendo. 2) *Copulativa* seu *collectiva* est acceptio termini communis pro suis inferioribus *copulatim* enumerandis, ita, ut praedicatum ad singula inferiora repeti non queat, et per particulam *et* integri quidem termini, non autem, uti supra, integrae propositiones connectantur: 3) *disjunctiva* seu *determinata*, item *particularis* est acceptio termini communis pro suis inferioribus per particulam *vel* enumerandis, ita, ut aliquod inferius in particulari demonstrari possit, de quo verificetur propositio. 4) *Disjuncta* seu *confusa*, item *indeterminata* est acceptio termini communis pro suis inferioribus per particulam *vel* enumerandis, ita, ut aliquod inferius in particulari ne quidem a Deo sit demonstrabile, de quo praedicatum verificari possit. Caeterum *propositio universalis* est illa, in qua subjectum est terminus communis, species nempe, ge-

nus, differentia aut proprium ſtricte tale, praedicatum autem ſingulis ſpeciei individuis vel ſingulis generis, ſpeciei, harumque individuis convenit. e. g. *Homo eſt rationalis.* *Particularis* propoſitio econtra, in qua ſubjectum eſt terminus communis, praedicatum vero eſt terminus *accidentalis*: e. gr. *homo eſt pius, eſt eruditus*, id eſt, *quidam.*

Scholion.

1) Et Petrus eſt animal et Paulus eſt animal, et ſic de caeteris; ergo omnis homo eſt animal. 2) Omnis homo eſt animal: ergo Petrus eſt animal, et Paulus eſt animal, et ſic de caeteris, 3) Omnes Apoſtoli ſunt duodecim, id eſt, et Petrus et Paulus et Andreas, et reliqui ſunt duodecim. Omnia elementa ad mentem Ariſtotelicorum ſunt quatuor, id eſt, et ignis et aqua et aer et terra ſunt quatuor. 4) Equus hinnit, id eſt, vel hic equus hinnit, vel ille equus hinnit, ita, ut aliquis equus in ſingulari a Deo ſaltem deſignari poſſit, qui hinnit. 5) Aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum, id eſt, vel hic oculus vel ille oculus eſt neceſſarius ad videndum. Econtra ſi Petro dextrum oculum excutias, tunc verum erit dicere: ſiniſter oculus eſt neceſſarius ad videndum, cum omnis confuſio ex pluralitate oriatur, non ex uni-

unitate. Caeterum quotiescunque propositio aliqua ex his vocibus constat: desidero, appeto, debeo, polliceor, promitto, necessarium esse, desiderabile &c. signum est suppositionis confusae. Nam istae voces inducunt confusionem e. gr. polliceor tibi equum, id est, vel istum, vel illum vel hunc &c. nullum tamen determinate. Notandum etiam, suppositionem distributivam vel esse absolutam sine exceptione, uti omnis homo est est animal; vel accommodam cum exceptione seu limitatione, uti caelum tegit omnia, scilicet praeter se ipsum: omne animal fuit in arca Noë, id est, omnis species, uti humana, leonina &c., non autem omnia individua, alioquin et tu, et ego fuissemus in arca Noë.

§. 212.

Non solum *suppositio* hactenus explicata secundum differentiam significationis et quantatis est proprietas terminorum, sed dantur adhuc aliae proprietates, quae iis conveniunt, quaeque *status*, *distractio*, *ampliatio*, *restrictio*, *alienatio*, *diminutio* et *appellatio* nuncupantur, quatenus terminus pro uno aut pluribus suppositis, praesentibus, praeteritis et futuris, item possibilibus ad unam temporis

diffe-

differentiam vel ad plures temporis differentias, quam copula *eſt* in propoſitione ſignificat, ſumi et ſubſtitui ſolet ac poteſt.

Scholion.

Hae ſeptem proprietates tantum terminis ſeu vocibus conveniunt, non item aliis ſignis, quae *ſymbolicam* conſtituunt cognitionem ſemper oppoſitam *intuitivae*, quae ipſius rei contemplatione abſolvitur: quanti uſus ſint termini ſive ſcripti, ſive vocales, vel ex eo patet, quod admodum difficile ſit, ſine vocabulis cogitare: unde, qui meditantur, ſibimet ipſis tacite loquuntur.

§. 213.

Status eſt acceptio termini pro uno aut pluribus ſuppoſitis ſolum exiſtentibus ſecundum differentiam temporis copula propoſitionis principali ſignificatam. 1) *Diſtractio* eſt acceptio termini *ſtatui* oppoſita pro uno aut pluribus ſuppoſitis ſecundum aliam differentiam temporis, quam quae per copulam propoſitionis principalem ſignificatur. 2) *Ampliatio* eſt acceptio ſeu extenſio termini ad plures temporis differentias, quam quas copula ſignificat. 3) *Reſtrictio* eſt acceptio termini,

mini, per quam amplior termini significatio ad minorem et strictiorem limitatur. 4.) *Alienatio* est acceptio termini, in qua terminus adjectione quadam de proprio ad improprium traducitur significatum. 5) *Diminutio* est acceptio termini, in qua totalis et absoluta ejus significatio additione quadam ad partem revocatur. 6) *Appellatio* est acceptio termini, qua ejus significatio formalis ad significatum formale vel materiale alterius termini applicatur.

Scholion.

1) *Homo currit.* Homo supponit tantum pro hominibus praesentibus, non futuris aut praeteritis: *currere* enim est in materia contingenti, quae supponit existentiam subjecti. *Omnis homo est albus;* supponit pro statu, id est, tantum pro praesentibus in Europa, quia accidens, quale est *albedo*, non est, nisi alteri insit. 2) *Homo est mortuus*, hoc est, qui fuit homo, est mortuus: *Caeci vident, claudi ambulant*, hoc est, qui paulo ante fuerunt caeci, claudi, nunc vident, nunc ambulant. 3) *Homo est animal.* To *homo* supponit pro praesentibus, praeteritis et futuris, possibilibus, et imaginabilibus, quia rerum essentiae sunt *aeternae* et *necessariae*, nec requirunt existentiam, uti *contingentia* eandem

dem poſcunt ad hoc, ut cum veritate praedicari poſſint. *Omnis ſenex fuit puer*; id eſt, omnis, qui eſt et qui fuit ſenex, fuit puer. *Petrus erit doctus*; id eſt, Petrus qui eſt, et qui erit, aliquando doctus erit. *Templum aedificabitur*; id eſt, templum quod eſt et quod erit, aedificabitur. *Puer ſenuit*; id eſt, qui eſt vel fuit puer, ſenuit: *vir adoleſcet*, id eſt, qui eſt vel erit vir, adoleſcet. *Æſtas incipit*; id eſt, aeſtas, quae modo eſt, et erit, incipit eſſe et erit ſeu durabit. *Sol occidit*; id eſt, ſol qui lucet, et qui luxit, occidit. 4. *Homo juſtus*: to *juſtus* limitat hominem, ne pro omni homine intelligi queat. 5) *Homo marmoreus venit.* Hinc non valet conſequentia a termino alienante ad abſolutum. 6) *Haec ſtatua eſt homo marmoreus*: ergo eſt homo, id eſt, animal rationale. 5) *Æthiops eſt homo albus ſecundum dentes.* 7) *Neuton eſt Philoſophus magnus*: to *magnus* appellat Neutonem, non ſecundum corpus aut quantitatem, ſed ſecundum ſcientiam philoſophicam. Sin dicas: Neuton philoſophus eſt magnus, tunc praedicatum *magnus* appellat ſuper *materiale* Neutonis, ita, ut Neuton corpore, non philoſophia ſit magnus. In priori caſu econtra appellavit ſuper *formale* Neutonis. *Appellatio* tandem non procedit, quando praedicatum ſuppoſito non convenit: ſufficit autem, ut ſuppoſito ratione aut *ſui* aut *formae* adjunctae conveniat. Non valet ergo iſta appellatio: *Chriſtus eſt peccator magnus*; quia haec magnitudo

tudo tam respectu humanitatis quam divinitatis Christo repugnat: valet autem ista: *Christus est mortuus*: quia suppositio Divino mors respectu humanitatis assumptae convenit. Reliqua, quae circa dijudicandam veritatem adhuc dicenda sunt, cum alii sua cogitata non modo per terminos vocales, sed etiam per scriptos nobiscum communicant, tractabimus suo loco in sectione sequenti.

Sectio III.

De Methodo inveniendi veritatem per lectionem.

§. 214.

Cum veritates ab aliis inventae tam evidentes quam probabiles, scilicet experientiae, ideae, definitiones, propositiones, argumentationes, earumque probationes *scriptis* contineantur, et consequenter *libri* sint scientiae causa legendi, etiam qui mentem honesta voluptate demulcent aeque, ac intellectum instruunt, nostrum est *regulas* tradere, per quas aliorum veritas in scriptis possit inveniri, et *media* librum cum fructu legendi.

Scho-

Scholion.

Talia media ſunt. 1) *Notitia vitae, doctrinae, ſectae auctoris.* 2) Ejusdem *inſtitutum*, quod vel ex praefatione, vel ex hiſtoria literaria diſcimus. 3) *Accurata libri partitio.* 4) Doctrinarum principalium ab illuſtrantibus ſeu ſcholiis *diſcrimen.* 5) *Subſidiorum*, quae ad explicanda difficiliora loca faciunt, *uſus.* 6) Quod praecipuum eſt, *meditatio* de qualitate, et veritate doctrinarum accuratior.

§. 215.

Lector cogitet etiam de *diſciplina*, et quamnam ejus partem ſcripſerit auctor, an dogmaticam, an *hiſtoricam*? item an explicet, an refutet? dein qua methodo ſcribat, et quo ſtilo, quoad *quantitatem*, et *qualitatem* (nam hi duo characteres pertinent ad formam ſtili) aut quoad *materiam* ſpectato, quae non eſt dicendi character, ſed certa priorum characterum affectio, et virtus, quae quam maxime ornat orationem; *aut* quoad *dicendi genus* conſiderato; nam alius ſtilus eſt in libris de re *philoſophica*, aut alia *ſcientia dogmatica*: *item* alius in libris *hiſtoriarum*, alius in *epiſtolis*, *poeſi*, *oratione*, *dialogo*, *re civili*. *Item*

ex-

expendat velim, quaenam *editio* sit optima, *item* locum, annum et mensem editionis, denique notas adjectas, et commentarios.

§. 216.

Cum libri aut *facta* aut *dogmata* complectentur, commode dispesci possunt in scripta *dogmatica*, ubi propositiones universales proponuntur, et in *historica*, ubi singulares continentur; illi libri vocantur *dogmatici*, hi vero *historici*.

Scholion.

1) *Libri historici* eo meliores sunt, quo plures continent definitiones per experientiam, additionem, et mutationem realem factas, quoque magis observant *geographiam*, *chronologiam*, *Heraldicam*, *fidem scriptoris*, *notitiam auctorum*, *antiquitates*, si quibus opus sit, ac *Mythologiam*, ut *Clericus* observat in *arte critica*. In quibusdam scriptis e. gr. in *Diariis eruditorum*, aliorum dogmata cum probationibus suis narrantur et vocantur *scripta dogmatico historica*. *Scriptum* autem, ubi dogmatic inter se nexu legitimo connectuntur, atque solide demonstrantur, appellatur *dogmaticum*, *scientificum*, *systematicum*. Neque tamen omnes libri sunt legendi, sed ii *tantum*, ex quibus veritas erui potest; quique scripti sunt a viris solide doctis, et apta con-

nexaque ratione demonſtrati: unde etiam hoc emolumentum habetur, quod ſenſim aſſuefiamus demonſtrationibus, habitumque acquiramus propoſitiones ex propoſitionibus nectendi: ad quod praecipue ſerviunt leges *probabilitatis hiſtoricae.*

Praeterea obſervandum eſt, ut in legendo *legitimus ordo* ſervetur, utque attendatur ad circumſtantias temporis, chronologiam, conſilia, et eventus, item ut advertatur animus ad hoc, num hiſtoricum ſcriptum *fini* reſpondeat, ſive num ſit *completum.* Eſt autem finis *Hiſtoriae naturalis*, phaenomena et facta naturae recenſere: *Hiſtoriae civilis* ſcopus eſt referre rerum publicarum incrementa, et converſiones, ſubnexis ubique cauſis, cur floruerint, vel interierint: *Hiſtoriae Eccleſiaſticae* eſt Eccleſiae facta, et viciſſitudines commemorare, errores, et errorum remedia in omnibus ſaeculis indicare: et *Hiſtoriae litterariae* eſt enumerare fata ſcientiarum, vel vitas, et facta eruditorum eorumque merita in rempublicam literariam aeque ac Maecenatum, qui editiones librorum ſuis ſumtibus curarunt.

§. 217.

Cum *ſcriptum dogmaticum* debeat eſſe *ſolidum*, id eſt, debet continere veritates, quae apto nexu connectuntur, ſeu *ſyſtematice* (nam *ſyſtema* dicimus veritatum inter ſe connexarum

con-

congeriem) continentur, consequens est, ut praeter scopum scriptoris perspicias, num omnes propositiones firmis concatenatisque demonstrationibus nitantur: num syllogismus, artificium illud, ipsis etiamnum sectariis formidabile, explicite appareat, vel in demonstrationibus ita lateat, ut hae ad illum commode reduci queant. Alias tale scriptum dicetur *superficiarium*. Huc etiam facit, si quasvis veritates, in singulis paragraphis obvias, in certas quasdam distribuat propositionum species e. gr. *definitionum*, *axiomatum*, *postulatorum*, *theorematum*, *problematum* aut *corollariorum*. Liber denique sit etiam *sufficiens*, id est, tot materias contineat, quot assequendo *fini* et *scopo* auctoris serviunt; quodsi pauciores complectatur, tunc dicitur *mancus*: sin plures, *nimis fusus* appellatur. Scopus auctoris interim desumi potest vel ex *titulo libri*, vel ex *praefatione* ejus et *natura rei*. Ratio tamen habenda est *temporis*, quo auctor scripserat; nam quod hodie insufficiens est, alio tempore sufficiebat, et sic contra. Quodsi demum in legendo ad locum obscurum deveneris, illum

non praetereas, ſed legibus *interpretationis*, mox tradendis, conformiter exponas velim.

Scholion.

D. Thom. L. 1. Poſter. Lect. 1. ait: Ars quaedam neceſſaria eſt, quae ſit directiva ipſius actus rationis, per quam ſcilicet homo in ipſo actu rationis ordinate, faciliter et ſine errore procedat: et haec ars eſt Logica. *D. Auguſtin. L. 2. de Doctr. Chriſt.* Diſputationis diſciplina ad omnia genera quaeſtionum, quae in literis ſacris ſunt, penetranda et diſſolvenda plurimum valet. *D. Hieron. Praefat. in Ezechielem.* Quidquid perverſorum dogmatum eſt, et putatur eſſe robuſtum in terrena ſapientia, hac arte dialectica ſubvertitur.

§. 218.

Cum *memoria* ſit labilis, vel ſaltem cum aetate decreſcat, ea, quae meditando aut legendo bona deprehendiſti, in *adverſaria* aut *tabellas mnemonicas* referre, futurisque uſibus ſeponere curabis, quocunque dein modo excerpas; modus tamen non ſit operoſus, et res excerptas, quaerenti illas, facile exhibeat. Perinde etiam eſt, ſive res memoratu dignas in margine alicujus ſyſtematis annotes, ſive eas ſub certos titulos referas, eorumque indi-

indicem conficias, modo *loca auctorum*, unde ſingula delibaſti, diligenter inſcribas. Loca haec, ſi ſint *prolixiora*, eorum ſententiam breviter tantum exprimas; modo ea deprehendiſti in tuis, non alienis libris: ſin *breviora* ſint, et ea vel ex codice aliquo manuſcripto vel ex libro rariore et alieno et non ubivis obvio depromſeris, integra deſcribere oportet.

Scholion.

Tabulae mnemonicae corpus cujusdam tractatus aut diſciplinae uni intuitui ſubjiciunt, et ſingulos articulos ſuis locis inſcriptos menti praeſentes ſiſtunt, ut omnia et ſingula ſine labore intueri et mente peragrare queas. Huc pertinent etiam *verſiculi mnemonici*, e. gr.

Aſſerit A, negat E, aſt univerſaliter ambae,
Aſſerit I, negat O, ſed particulariter ambo.

Item quando loquimur de quatuor ſyllogismi figuris deſignandis.

Sub: praae, prima. Sed altera bis prae.
Tertia bis ſub: quartaque prae: ſub:

Huc pertinet etiam verſus, quo collectio accidentium, cujuslibet individui naturam ita conſtituens, ut ea nunquam in alio eadem ſit, comprehenditur:

Forma, figura, locus, nomen, ſtirps, patria, tempus.
Item vocabula eſſentialiter ſignificantia, e. gr.
bArbArA, cElArEnt, primae, dArII, fErIOque &c.

Picturae denique in hiſtoricis, et *hieroglyphicae* in dogmaticis: nam veteres, uti alibi dictum eſt, ſua dogmata non methodo dogmatica, ſed hieroglyphica, et res geſtas Heroum, Regum et Principum non per libros hiſtoricos, ſed per picturas et ſculpturas propoſuerunt populo, quem iisdem erudire et initiare voluerunt.

Sectio IV.

De Methodo inveniendi veritatem per interpretationem.

§. 219.

Tam aliis hominibus, quam nobis nati ſumus, adeoque obligati, ut non ſolum iisdem ea, quam acquiſivimus, cognitione veritatis inſerviamus, ſed pacta quoque et contractus adminiculo verborum oretenus, vel ſcriptim expreſſorum cum iisdem ineamus, et conſequenter ita loquamur et ſcribamus, ut, quid quis per verba ſua aliave ſi-

gna

Digitized by Google

gna indicare velit, cum quadam certitudine inde colligere seu exponere, id est, interpretari valeamus. Unde *Interpretatio* nihil aliud est, quam verosimilis, id est, probabilis expositio mentis, per verba aliave signa indicatae. Quoniam autem ex una parte intellectus noster omniscius non est, 1) et ex altera parte veritates manent veritates, etsi nemo de iis vel cogitet, vel cognitionem physice aut mathematice certam, sed tantummodo quis *cum formidine oppositi* conjunctam habeat; nexus enim omnium rerum eo ipso nobis nec physice nec mathematice certus et cognitus esse potest, quia intellectus noster limitatus eum nec experiundo intueri nec demonstrando investigare potest: consequens est, ut *Logica artificialis manifestare debeat rationem*, qua viribus intellectus nostri utamur in exponendis propositionibus probabilibus, id est, in iis, de quarum veritate ob defectum legitimae experientiae et demonstrationis tam certi non sumus, ut nulla amplius adsit oppositi formido.

Scho-

Scholion.

Rationes ad convincendum sufficientes, per quas reddimur de veritate propositionis adeo certi, ut nulla amplius adsit formido oppositi, sunt solummodo *experientia* et *demonstratio*. His deficientibus, ubi aliae adsunt rationes, rationalem dubitandi causam seu prudens dubium quidem removentes, ast formidini oppositi tamen relinquentes locum, ibi habetur *veritas moraliter certa*, id est, talis probabilitas, quae urget, ut formidinem oppositi seu dubium mediante dictamine reflexo deponamus, nec in dubio practico agamus. Ejusmodi rationes, ad persuadendum quidem, at ad convincendum in sensu stricto tamen nequaquam sufficientes desumi solent ex circumstantiis loquentium et scribentium, in quos, quoties verba aliave signa ob ambiguitatem suam exponenda seu interpretanda veniunt, Logica et Critica solerter inquirere solet.

§. 220.

Propositio *probabilis* seu *moraliter certa* est, quando aliquas ad persuadendum quidem idoneas, ad convincendum tamen insufficientes perspicimus rationes, cur praedicatum subjecto sit tribuendum. Jam singula verba cum

fixum

fixum et determinatum non ſemper habeant ſignificatum, adeoque nunc plus, nunc minus per eadem ſignificetur, cumque loquentes et ſcribentes mentem ſuam iisdem non ſemper ſufficienter, ſed nunc brevius, nunc prolixius, item nunc obſcurius, nunc negligentius exprimant, verba autem *ad loquentium et ſcribentium affectum, hypotheſin*, et *finem* ſeu *ſcopum*, uti et *grammaticalem verborum propoſitionumque conſtructionem*, *poſitum*, et *connexionem*, quatenus verae ſint rationes ad perſuadendum ſufficientes, comparata eſſe oporteat, conſequens eſt, *ut id, quod cum verborum ſignificatu, poſitu, et connexione, itemque cum auctoris loquentis vel ſcribentis fine, temperamento, affectu et hypotheſi ſeu ſyſtemate convenit, probabiliter pro ſenſu auctoris habendum ſit*, et conſequenter *expoſitionem verborum aliorumve ſignorum efficiat probabilem ſeu moraliter certam.*

Scholion.

Quemadmodum, duo dum faciunt idem, non eſt idem, ita duo, quando de eodem loquuntur vel ſcribunt, non idem ſemper ſentiunt. Per *immortalitatem animae* aliud intellexerunt Pythagorei, aliud Platonici, aliud Stoici, aliud denique Chriſtiani. Idem dicendum

Digitized by Google

est de *purgatorio*. Haud absimiliter per *attributa Dei* aliud intelligit Ben. Spinoza, aliud Christianus. Pariter de *stilo epistolari* aliter sentit sanguineus, aliter cholericus, aliter melancholicus: adeoque de eadem re epistolas scribunt stilo prorsus diverso: ut silentio praeteream homines, quorum sermo vel scriptio non meretur interpretationem, *illos* scilicet, qui studio et data opera nimium abbreviant, aut susque deque vertunt ea intentione, ne ab aliis intelligantur, ne veritas in oculos incurrat, aut ut in historicos, dogmaticosve libros *confusio* et *perplexitas* ingerantur, modo de sinistra eorum intentione constet. Nobis solummodo hic sermo est de iis *auctoribus*, qui quidem *sincere* et *fideliter* scripserunt, ast id, quod ex imperitia aut inadvertentia animi *uno loco* obscurius proposuerunt, *altero* longe dilucidius expresserunt.

§. 221.

Interpretatio, quae fit juxta regulas exponendi demonstratas, dicitur *recta*. Necessitas rectae interpretationis tam ex parte promittentis quam promissarii admittendae in exponendis pactis et promissionibus patet ex eo, quia nec promittens verba sua, nec promissarius eadem pro lubitu interpretari potest: non promittens, quia jus ex promissione acquisitum

ſtum promiſſario auferri nequit, ſed contra promiſſorem habendum eſt pro probabiliter vero, quod *ſufficienter* indicavit promiſſor: non *promiſſarius*, quia acceptione plus juris non acquirere potuit, quam promiſſor in eum transferre voluit. Ergo neceſſaria eſt interpretatio recta.

Scholion.

Tam promittentis, quam promiſſarii ſcilicet intereſt, ut verba promiſſionis exponantur eo ſenſu, quo quilibet ea intellecta volet. Hinc utrique *intereſſe proprium* obſtat, quo minus poſſit interpretari. Quodſi autem promittens *non ſufficienter* indicavit id, quod promiſit, tunc poterit verba ſua interpretari: nam in hoc caſu *quilibet eſt interpres verborum ſuorum.* Interdum etiam in aliis caſibus verba *ambigua* et *abſurda*, ubi temeritas aut dolus latitare deprehenditur, in poenam vel tanquam abſurda, donec contrarium probetur, ſumuntur, uti in delictis *injuriarum* et *blasphemiae*, vel pro non ſcriptis habentur, uti conditiones *turpes*, *perplexae*, et *impoſſibiles*, quandoque teſtamentis, ultimisve voluntatibus adjectae. Nec promiſſoris ſemper eſt judicare, an res utilis ſit futura ei, cui promiſſa eſt, niſi ſit ſuperior, cui incumbit cura ejus, cui promiſſum eſt: nec quod-

quodlibet nocumentum liberat promissorem a sua obligatione; nam omnis gratuita promissio videtur conjuncta cum aliquo onere; sed tale, ut liberet, esse debet, ut pro natura actus credi debeat esse exceptum. e gr. *Furenti reddere gladium depositum.* Item qui vicino suo operas suas ad aliquot dies promisit, non ad eas tenebitur illis diebus, quibus *morbus sonticus patris aut filii* detinet promissorem.

§. 222.

Quoniam id, quod propter suam *cum verborum significatione propria* convenientiam probabiliter pro sensu auctoris haberi debet, fundamentum interpretationis rectae seu hermeneuticae probabilitatis est, omnis autem similitudo termini improprii cum proprio, etsi metaphorae usus inter homines sit frequens, etiam ex parte dissimilis esse seu claudicare deprehenditur, consequens est, ut is, qui sensum auctoris loquentis vel scribentis conjectando assequi cupit, non modo linguam, qua auctor explicavit mentem suam, probe callere, ejusque idiotismos aeque ac terminos familiares et technicos plene habere perspectos, sed etiam sensui literali, atque

atque proprio tamdiu inhaerere teneatur, quamdiu ſenſus literalis et proprius cum circumſtantiis textus melius convenit, quam quivis alius improprius.

Scholion.

Interpretatorem Bibliorum hebraica lingua ſcriptorum ſcire oportet *orientalismos*, graeca ſcriptorum *graecismos*, latina ſcriptorum *latinismos*. His et ſimilibus linguarum adminiculis deſtitutum interpretem in eruendo ſcriptoris ſenſu perinde falli et labi ſeu decipi neceſſe eſt, ac ipſosmet lectores, qui ejusmodi interpretum verſionibus ſive translationibus, neſcio ex qua animi levitate quove caeco reſpectu fidunt. Scire etiam oportet, quot ſignificationes quodvis vocabulum habeat tam in ſenſu proprio quam improprio. Sic ſiquis *pater* filium ſuum moneat, ut in converſatione cum condiſcipulis ſuis ſibi caveat a *vulpe*, utique non de quadrupede, ſed de bipede erit intelligendus, ſcilicet de *homine aſtuto*. Siquis juret, ſe pactis ſtaturum, quamdiu *hanc terram* inſiſtat, terram calceamentis fortaſſe injectam utique non intelligimus. Siquis dicat, *populum e terra creſcere*, utique de arbore loqui praeſumendus eſt, non de multitudine hominum.

§. 223.

§. 223.

Enimvero cum is, qui ſcribit aut loquitur, animi ſui ſenſum tam integris propoſitionibus quam verbis proferat, ſignificationem ejus temporis, quo ſcilicet ſcribit vel loquitur, praeferentibus, ſat multa verba autem interdum dentur *obſoleta, nova, peregrina, rariora* aut *impropria*, atque ſubjecta propoſitionum talia eſſe ſoleant, qualia eſſe permittuntur a ſuis praedicatis, et praedicata pariter talia, qualia eſſe permittuntur a ſuis ſubjectis, jam facile eſt ad intelligendum, *quod ipſum ſaepe praedicatum ſignificationem ſubjecti, et ſubjectum viciſſim luculenter indicet ſignificationem praedicati, modo verba ſumantur juxta uſum loquendi illius temporis, quo literis vel oretenus prolata ſunt.*

Scholion.

Siquis a judice ob mortem violentam gallo illatam capitis damnatus eſt, plane aliud quid fuit gallus ille, quam Titius hodie ſub prandio comederat. Nam praedicatum propoſitionis, *ab eo gallus fuit occiſus*, prodit ſufficienter, quod non pullus gallinaceus, ſed homo, ex Gallia oriundus fuerit occiſus, cum capitalis ſententia in occiſorem pulli gallinacei a judice non ferri poſſit. Duobus vocabulis

bulis *Leviathani* et *Behemotho* pariter Jobus talia tribuit praedicata, ut significationem subjectorum ex iis desumpserint Bochartus, et Jo. Ludolphus, aliique, atque concluserint, quod voce Leviathani *crocodilus* et voce Behemotho *hippopotamus* intelligendus veniat. Quod denique vocabula varient suam significationem *pro varietate temporis*, non est, cur multis explicem. Vocabulum *fur* Virgilii tempore significabat *servum*, hodie significat non nisi *furatorem* et *effractorem*. Imo non solum ad aevum auctoris, sed et ad *Etymologiam* subinde attendere oportet. Sic vox *postulatum* significat ex *Etymologia* exactionem vel etiam accusationem, ex usu *mathematicorum* propositionem practicam, et per se adeo claram, ut absque ulteriore demonstratione admitti debeat. Inde patet, quam consultum sit scientiis, si in *regno scientiarum* non admittitur aut saltem negligitur *lingua quaedam universalis*, qualis a multis retro saeculis est *latina*, cujus ope viri docti omnium nationum suas veritates et inventiones sibi invicem communicarunt, quaeque ad eas communicandas satis perpolita et apta est. Absque hac doctus docto nil communicare valet, quilibet est sartor crepidae suae, et inde orietur *Babel*, ubi nil nisi linguarum confusio utiles quasque veritates supprimit, et ignorantiam promovet.

§. 224.

Digitized by Google

§. 224.

Quoniam id, quod *ob ſuam cum verborum poſitu convenientiam* probabiliter pro ſenſu auctoris habetur, pariter fundamentum rectae interpretationis eſt, auctor autem ſententiam ſuam aliquando pluribus in locis attulit, atque ſaepe, quod uno loco paulo obſcurius dixit, altero longe clarius enuntiavit, legitime inferimus *loca auctoris parallela ſtudioſius eſſe conferenda, atque ſic obſcuriora ex clarioribus explicanda.*

Scholion.

Ea certe, quae ſaltem *incidenter* dicuntur, vel *probationis gratia* citantur, exponi oportet ex locis, ubi ſedes eſt argumenti. Interdum, quod auctor in *prima editione* operis ſui aut brevius, aut obſcurius enuntiavit, in *ſecunda* aut *tertia* prolixius et clarius expreſſit. Non nunquam e *cathedra publica* auctor, orator et profeſſor aliquid obſcurius aut brevius proponit, quod in *converſatione privata* clarius nobiscum communicat. Quin imo et id, quod extra confeſſionale aut locum judicii obſcurius et brevius aut negligentius dictum eſt, in *confeſſionali* aut in *loco judicii* clarius, pluribusque cum circumſtantiis ab actore vel reo profertur.

§. 225.

§. 225.

Quoniam etiam id, quod ob ſuam *cum verborum et propoſitionum connexione, vel cum verborum atque propoſitionum relatione ad aliquid convenientiam* probabiliter pro ſenſu auctoris habetur, eſt fundamentum rectae interpretationis, ſubjectum autem ſaepe in antecedentibus latitat, et praedicatum in ſubſequentibus accuratius explicatur, 1) et verba ſimpliciter ſumta aliud ſignificant, quam ſi ſumantur cum relatione ad aliquid, 2) manifeſto concludamus oportet, *in interpretando non ſolum loca auctoris parallela, ſed etiam antecedentia et conſequentia eſſe conferenda, nec, ſi probabiliter velis ſenſum auctoris aſſequi, extra contextum, vel extra relationem ad aliquid verba ſcriptoris eſſe accipienda aut conſideranda.*

Scholion.

1) Uſus hujusce regulae praeſtantiſſimae ſe ſe exerit in *ſacra exegeſi* aeque ac *jure utroque.* Jurisconſulti enim et theologi commendant comparationem textuum unius ejusdemque auctoris, ex eodem libro depromtorum; *facta hac textuum collatione* non raro perſpicuus fit locus in ſe obſcuriſſimus. Ita aliqui male interpretantur originem *Pantheismi Spinozani*,

quando ex eo, quod Ben. Spinoza *Cartheſii principia* per methodum mathematicam dederit demonſtrata, inferunt, quod *Spinoza* Pantheismum ex Cartheſio hauſerit. In ſcriptis *polemicis* et *controverſiis* pariter interpretes ſaepe falluntur, qui, quando de ſenſu auctoris alicujus volunt aeſtimare, *verba ab alio, forte auctoris inimico, allegata* et *extra contextum poſita* in ſubſidium adhibent. 2) Sic *majore anni parte* poſſediſſe intelligitur, qui duobus menſibus poſſedit, ſi adverſarius diebus pauciorибus aut nullis poſſederat, quia duo menſes, *relati ad pauciores aut nullos dies*, majorem anni partem conſtituiſſe intelliguntur. Ut ſi in aliqua lege exemplum exprimatur, lex non tantum de exemplo expreſſo, verum de omnibus aliis, quae ſub tali legis definitione comprehenduntur, eſt intelligenda.

§. 226.

Quandoquidem id, quod ob ſuam *cum fine et ſcopo auctoris* convenientiam probabiliter pro ſenſu auctoris habetur, pariter eſt fundamentum rectae interpretationis, finis autem auctoris, niſi contrarium expreſſe appareat, eſt 1) ſerio loqui, 2) velle intelligi, 3) conſequi effectum ſuae locutionis, ſcriptionisve intentum, 4) ſibimet ipſi nullibi contradicere, facile eſt ad intelligendum, 1) quod

quod verba auctoris ore vel calamo prolata ſerio, judicatoque ex animo provenerint, niſi manifeſto conſtet, auctorem vel data opera jocatum, vel emotae mentis fuiſſe: 2) Quod, quando ex verbis promiſſarii de ipſius intentione, quid ſibi promitti voluerit, ſufficienter conſtat, verborum ſenſum ad alium intentioni promiſſarii e diametro contrarium deducere non liceat: 3) Quod ea interpretatio fit facienda, qua ſtante verba effectum ſortiuntur, ab omni abſurditate alienum: 4) Denique quod, ſi ulla textus oppoſitos conciliandi ſuperſit ratio, auctor humani quid paſſus, et in contradictionem quamdam prolapſus non videatur, ſed meliora ſperantes de diligentia auctoris conemur in tantum conciliare antinomias, in quantum ulla reconciliandi ſpes affulgeat.

Scholion.

1) Ita paciſcentes, ne urbe dedita *ſanguis* effundatur, vivi defodi vel ſepeliri nequeunt. Pariter dum *Negropoli* milites praeſidiarii ea conditione ſe dabant Turcis, ut capita ipſis ſalva eſſent, perabſurdus fuit et ſummopere crudelis *Turcarum* proceſſus cum dediti-

tiis, quos medios dissecare non erubuerunt, in re seria jocantes, dicentesque, sic *capita salva manere.*

2) Auctor, qui ab usu loquendi recedit in sua propositione, nec terminos definit, manifesto dat intelligendum, se nolle intelligi: ast talis ne meretur quidem interpretationem, cum doceri minime queat, *quomodo intelligendus sit is*, qui vel intelligi studiose noluit, vel projecit ampullas, quas ipse non comprehendit. Huc etiam jure referuntur *restrictiones mentales*, quae deceptoribus adeo in deliciis esse solent. Qui restrictione mentali utitur, certe non vult intelligi: cum autem paciscentes loqui teneantur, ut sese invicem intelligere queant, *in pactis et promissionibus interpretandis* restrictiones mentales admitti non debent; hisce enim admissis pacta et promissiones quaelibet certo eludi possent.

3) Quoties obscuritas oritur ex *homonymia* vel *amphibolia*, cum auctor ad eam verborum significationem advertisse intelligatur, quae ipsi in mentem venire durante negotio potuit, toties significatio conveniens materiae, de qua agitur, caeteris praeferri debet, id est, verba intelligenda sunt *secundam substratam*, ut ajunt, *materiam*. Ita si tringinta dierum induciae fuerint pactae, tunc dies quoque noctem comprehendit: alias sequeretur absurdum. Si bellidux cum hoste convenerit, *ne alter alteri arma inferat*, tunc intelligimus milites

lites et exercitum. Sin convenerit in deditione praesidii de *tradendis armis*, tunc militibus discedendi quidem facultas concessa intelligitur, relictis tamen instrumentis bellicis. Prohibitio, ne quis in platea *sanguinem* eliciat, non trahi potest ad chirurgum, venam in platea aegroto secantem, quia absurdum esset, aegroto non per sectionem venae succurrere, ubi periculum est in mora. Pariter cum absurdum sit, pacisscentes vel promittentes nihil agere voluisse, ea non est toleranda interpretatio, ex qua sequitur, pacisscendo et promittendo nihil actum esse, et pacisscentes, re adhuc infecta a se invicem discessisse, nisi de eo expresse constet.

4) Interdum auctor data opera sententiam mutat. Quoties constat hanc mutationem praecessisse, toties prior sententia utique cedit posteriori: quia interpretator non poterit praesumere, quod auctor sibi ipsi voluerit contradicere, aut oppositis lectorem deludere sententiis, nisi ejusmodi mutatio facta sit in pactis et promissionibus, ubi una pars absque altera nihil innovare potest, sed *utriusque partis consensus* in mutationem pacti requiritur: exemplo sunt sponsalia bina cum diversis faeminis celebrata, uti et literae investiturae veteres et novae inter se discrepantes: quoties autem auctor ex eo, quod nulla *textus conciliandi ratio* appareat, in consulto vel ex inadvertentia in contradictorias sententias lap-

ſus videtur, toties ceſſat interpretis officium, et *Logicus* aſſurgat oportet ad examinandum, non quis ſenſus ſit verborum, ſed utra ſententia, affirmativa vel negativa, principiis rectae rationis ſecundum regulas logicas magis conveniat.

§. 227.

Enimvero cum nemo *finem* ſibi praefixiſſe praeſumatur alios ad pactionem aliquam, juri naturali utpote immutabili repugnantem, obligandi, aut aliorum commoda promovendi cum neglectu officii erga ſe ipſum; *caſus* autem *emergere* ſoleant et poſſint, in quibus verba pactorum ſequi juri naturae repugnat, aut certe nimis grave foret ei, quem quis ad aliquid tale praeſtandum obligare ſibi voluit, vel qui ſe alteri obligare intendit ad idem: conſequens eſt, *ut talis caſus ſit tacite exceptus*: cumque caſus quicunque alii emergentes annumerari debeant iis, de quibus tempore, quo promiſſio vel conventio eſt inita, cogitatum non fuit, luculenter patet, *etiam hoſce caſus emergentes eſſe referendos inter exceptos, dummodo rationes particulares adſint, quae nobis perſuadent, quid excepturus fuiſſet auctor promittens vel paci-*

paciſcens, ſiquidem de caſu colliſionis cogitaſſet, et conſequenter *ejusmodi caſus eſſe exceptos, etiamſi alio ducant regulae de pactorum colliſione*; econtra pacta et promiſſiones in ſe non habent tacitam conditionem, *ſi res maneant, quo ſunt loco*, niſi *ſtatus rerum praeſens* in pacto vel promiſſione ſit pro ratione ſufficiente, cur promiſſor quid promiſerit, expreſſis verbis aſſignatus; ex ratione ſufficienti promiſſionis enim intelligitur, cur promiſſor quid promiſerit.

Scholion.

Cum in *promiſſionibus* promiſſarius ſibi finem praefixerit, promittentem ſibi obligandi per *acceptationem* ad hoc, quod pactum eſt, faciendum, ſole clarius eluceſcit, *pacta, quatenus promiſſa continent, aſſimilanda eſſe legibus*, adeoque id ipſum valere de *colliſione pactorum*, quod de *colliſione legum* valet. Interea circumſpectione opus eſt et prudentum judicio. Si in *foedere aliquo* cautum eſt, nequis cum *exercitu* alterius fines tranſeat, videndum tunc erit, quanta manus et quot copiae apud prudentes, reſpectu tum ad vires hoſtium, tum ad noſtras habito, exercitum conſtituant, et, ſi artis vocabula a diverſis diverſimode definiantur, expedit ad praeſcindendas lites, ut *popularibus verbis* exprimatur, in quonam ſignificatu iſta vox eo loco ſumi ſoleat.

Digitized by Google

§. 228.

Motivum est ratio sufficiens actuum volitionis et nolitionis. 1) *Motiva completa* sunt, si omnes rationes expendimus, ob quas rem, ad appetendum vel aversandum propositam judicamus quoad nos bonam vel malam. Sin aliquas tantum ponderamus, tunc vocantur *motiva incompleta*. 2) Cum voluntas determinetur per *motiva* ad aliquid promittendum vel paciscendum, saepius autem contingat, ut *unica*, saepius, ut *plures rationes* voluntatem alterius moveant, cur hoc voluerit, manifesto patet: *verba pactorum et promissionum ita esse interpretanda, ut, si unica ratio moverit, eidem conveniant, et consequenter si rationes plures conjunctim moverint, iisdem conjunctim, si divisim, singulis divisim conveniant.*

Scholion.

1) Ingressus in tabernam vinariam hoc potius appetis vinum, quam aliud quodcunque. Jam ratio adsit oportet, ex qua intelligi queat, cur hoc potius quam illud emas: si scilicet multa commoda ex vino cupito in sanitatem tuam redundatura tibi repraesentas, tunc haec repraesentatio commodorum est moti-

motivum. Si insuper tibi repraesentas dulcedinem vini, aut pretium retro abiens, tunc *novum* accedit motivum emtionis.

2) Si quis ob caeli serenitatem, sanitatisque causa iter meditatur in Italiam, tunc vult illud ipsuni iter ob rationes et motiva allata. Cum autem negotia, quae adhuc expedienda sunt, expendit, iter suscipere non vult, sed potius domi commorari. *Antecedens* hic oritur *voluntas*, nondum ponderatis omnibus circumstantiis particularibus, adeoque ex motivo incompleto. Spectatis autem circumstantiis particularibus, adeoque ex motivis completis nascitur voluntas *consequens*. Appetitus rationalis scilicet, qui oritur ex motivis incompletis, dicitur *voluntas antecedens*, et qui oritur ex completis, *consequens*. Sic leges, quae loquuntur *de donatione propter nuptias*, semper intelligendae sunt *sub conditione*, si nuptiae sequantur.

§. 229.

Si verba *apertam* quidem non involvant contradictionem, attamen paulo obscuriora sint, tunc ea in sensu proprio et genuino tamdiu sumenda esse supra diximus, quamdiu absurdum inde non sequitur, aut repugnantia quaedam cum systemate et analogia auctoris manifesto non appareat.)Sin obscuritas nec sic

quidem tolli queat, tunc ad *conjecturas* confugiendum est. Desumuntur autem conjecturae vel ex *subſtrata materia*, et tunc observari oportet ea, quae supra §. 226. delibavimus. Aut ex *conjunctis*, id est, ex antecedentibus, et consequentibus, uti et ex parallelis, quae itidem supra §§. 224 et 225. tractavimus, aut ex *fine* et *ſyſtemate auctoris*. Quando quidem recta interpretatio cum Auctoris notionibus, principiisque domesticis, seu cum illius opinionibus, affectibus, aliisquo circumstantiis congruat oportet; terminos autem et opiniones auctoris pro lubitu explicare tantum abest ut liceat, ut potius vel *ex explicatione*, ab auctore ipso forte adjecta, vel, hoc deficiente, *ex uſu loquendi et ex hypotheſi auctoris* aliunde cognita exponere necesse sit, consequens est, *ut in ſyſtema auctoris, quem interpretari lubet, deſcendamus, illumque ex ideis, propoſitionibusque domeſticis ſuis, et non ex noſtris dijudicemus.*

Scholion.

Oportet nostrarum opinionum et idearum quasi oblivisci, et indagare, quid auctor senserit, non quid sentire debuisse nobis videtur,

tur, ut ſaperet. Item ex ſignis propenſionum ad ipſas animi propenſiones juxta principia probabilitatis politicae veroſimiliter concludimus. Ex temperamento igitur, aut ex ſchola, cui auctor eſt addictus, inferre licet, quasnam ideas et opiniones prae aliis auctor ſibi elegerit. Ita ideam Dei, quae Spinozae propria fuit et domeſtica, interpretaturus ſub termino *DEus* nequaquam ens independens extramundanum, ſed intramundanum intelligat oportet, quatenus Spinoza adhaeſit hypotheſi Stoicorum, qui omnes mundum hunc pro Deo habuetunt. Unde et *Seneca*, utpote Stoae adſcriptns, Ep. 92. ita diſſerit. *Quid eſt, cur non exiſtimes in eo divini aliquid exiſtere, qui Dei pars eſt? Totum hoc, quo continemur, et unum eſt, et Deus. Et ſocii ejus ſumus et membra.* De Benef. L. IV. c. 8. *Nec natura ſine Deo eſt, nec Deus ſine natura, ſed idem eſt utrumque, nec diſtat.* Vide etiam conſol. ad Helvid. c. 6. Is, quem Logica regit, facile invenit, *falſam eſſe definitionem ſubſtantiae Spinozanam*, qua conceſſa caeteri errores, ordine geometrico inter ſe ſe apti, vix refelluntur. Doctores primaevae Eccleſiae, quos SS. Patres vocamus, interpretaturo cuidam vix feliciter res ſuccedet, niſi in ſyſtema eorum deſcendat, Platonismi ſuſpectum, quamvis nec ipſi Platonis omnia probabant, exceptis iis, quae de Deo, divinisque philoſophatus eſt.

§. 230.

§. 230.

Verbum quando adhibetur ad ſignificandas res plures, dum alioquin etiam pauciores ſignificare poteſt et interdum ſolet, dicitur *in ſenſu latiori ſumi* : in *ſenſu ſtrictiori* econtra ſumi dicitur, quando ad indicandas res pauciores uſurqatur, dum tamen etiam plures ſignificare poteſt : verba ergo vel in ſenſu originario, vel in latiori, vel in ſtrictiori ſignificatu accipi poſſunt. Cum verba tum in *ſenſu originario* ſumantur, quando ad res ſignificandas nec plures nec pauciores, quam ad quas ſunt primario et origetenus inſtituta, addibentur, nihil autem fiat ſine ratione ſufficienti, conſequens eſt, ut cauſa, cur aliquod verbum in hoc caſu plura, cur in illo pauciora ſignificet, aſſignari debeat; haec cauſa deſumi ſolet *a fine loquentis vel ſcribentis*, qui in legibus aeque ac pactis ſpecialiter appellari ſolet *ratio legis* vel *pacti*. Quoniam interpres oſtendat oportet, cur auctor verba ſua in dato caſu plures vel pauciores res ſignificare voluerit, adeoque de quo cogitaverit tunc, cum loquebatur vel ſcribebat: non

ſem-

ſemper autem omnes circumſtantiae, quae circa negotium nobis occurrere poſſunt, animo auctoris obverſantur, ut earum in pactis vel legibus facere queat mentionem, conſequens eſt, ut interpretatio non ſolum de eo, de quo verosimiliter fuit cogitatum, neutiquam vero contra idem, ſed etiam eo modo ſit facienda, quo eam faceret auctor ipſe, ſi praeſens eſſet, aut, ſi, quae nunc palam ſunt, tunc auctori cognita 1) fuiſſent, et conſequenter ut verba, ubi verbis latius patet ratio, ibi in ſenſu extenſivo, 2) ubi verba ratione latiora ſunt, in reſtrictivo, 3) ubi denique verba et ratio pari paſſu ambulant, in declarativo ſumi debeant, id eſt, ut interpretatio vel extenſiva, vel reſtrictiva, vel declarativa ſit applicanda. 4)

Scholion.

1) Hinc quilibet eſt interpres verborum ſuorum; veluti in caſu, quo medicus dicens, luem veneream eſſe periculoſam maſculis, etiam faeminas complecti intelligitur ob paritatem rationis. Verba medici ergo etiam ad alterum ſexum ſunt extendenda. Pariter quando idem eſt nomen generis, quod ſpeciei,

ciei, vel pro ſubſtrata materia, de ſupra dictum eſt, aliqua verborum complexio ad plura extenditur.

2) Sit prohibitiva lex, *ne triticum extra provinciam exportetur*: in hoc caſu ne *farinam* quidem aut *avenam* exportare licet ob rationem legis latentem, ſi exportatio tritici prohibita fuit ob bellum imminens, quia homines farina aeque ac tritico et equi avena durantibus belli tumultibus indigent, adeoque ratio legis latius patet, quam verba. Sin autem ob ſolam caritatem tritici, tunc licita eſt exportatio avenae. Scilicet interpretatio extenſiva fit ob identitatem rationis, licet verba legis deficiant. Unde in jure romano aliae ſunt *actiones directae*, ex verbis legum expreſſis, aliae *utiles*, ex mente earum profluentes.

3) Reſtrictiva interpretatione opus eſt, ſi verba latius ratione pacti vel legis patent, id eſt, quando verba legis vel pacti quidem ad caſum obvenientem quadrare videntur, ſed ratio tamen legis reſiſtit. Sic exiſtat prohibitio, *ne triticum extra provinciam exportetur*: In hoc caſu ratio prohibitionis pariter eſt inquirenda: quae ſi ſit unice commodum molendinariorum indigenarum, ne ſcilicet triticum in molendinis peregrinis et exteris commolatur, et ſic *indigenae molendinarii* ſua mercede pro molendo critico ſtipulari ſolita priventur et depauperentur, tunc farinam aeque ac avenam exportare licet; illa enim jam eſt molita,

lita, et haec molendo non indiget: non eſt ergo, cur molendinarius indigena jacturam mercedis timeat. Haud abſimiliter *minor* quidem ſine curatoris conſenſu aliquem *contractum validum* celebrare nequit, quia facile laedi poſſet: aſt *teſtandi facultas ſine curatore* tamen ei competit, quia nulla laeſio metuenda, et teſtamentum eſt revocabile usque ad mortem.

4) Dum interpres vim et poteſtatem pactionum, legumque ex earum verbis et ſimul ratione elicit, atque verba et ratio conveniunt, tunc interpretationi declarativae locus eſt. In hoc interpretationis genere potiſſimum notio vocabulorum, *textus explanatio et integratio*, nec non *conjuncta loco et re* expendi ſolent, praeferrique oportet ſententia, quae *vitio* caret, e. gr. quando termini technici et artificiales explicantur, veluti quid in jure *Triticum, Tignum &c.* ſignificent; item quomodo vocabulum *haeres* in jure civili et feudali ſumatur. Pariter quid in Logica ſint principia ſyllogismi, *dictum de omni, et dictum de nullo*. Coronidis cauſa afferamus declarationem duorum horum principiorum prolixiorem. *Declaratio prioris principii*, in ratiociniis affirmativis locum habentis eſt ſequens: *cui competit definitio, illi etiam convenit definitum*; et vice verſa. Item *quidquid competit generi vel cum vel absque conditione adjecta, id etiam competit ſpeciei vel individuis, ſub illo genere ſtantibus, vel cum vel absque conditione adjecta*. Declaratio poſterioris principii

cipii in ratiociniis negativis locum habentis eſt ſequens: *cui non competit definitio, illi etiam non competit definitum:* et vice verſa. Item: *quidquid generi vel cum vel absque conditione non competit, illud etiam non competit vel cum vel absque conditione ſpeciei, vel individuis ſub illo genere ſtantibus.* Interpretationis hujusce declarativae veritas et bonitas cuivis hominum adeo in oculos incurrit, ut etiam illiterati, quibus nec Ariſtotelis Organon, nec Ars cogitandi, nec Medicina mentis innotuit, haec duo principia in argumentando obſervent, manifeſto indicio, dari principia connata, propter quae omnes homines ita potius et non aliter, ſi non formaliter, certe virtualiter tamen, ratiocinentur, ut quaſi ex compoſito agere videantur.

§. 231.

Cum *Interpretatio* ſit actus intellectus vim poteſtatemque legum et pactionum tam ex verbis, quam ex ratione earum eruendi, ratio legis autem et pacti, quae antea ſubſiſtebat plenarie, ſaepe contingat, ut ceſſet vel tota vel pro parte, facile comprehenditur, *quod ceſſante in totum ratione legis vel pactionis, lex quoque et pactio quidem ceſſet, aſt non amittat tamen vigorem ſuum, ſi certis duntaxat caſibus ceſſet ratio legis.*

Scho-

Scholion.

Quamvis aliquando impubes ante pilos sapiat, non ideo magis ille testari poterit, quam reliqui ejusdem aetatis adolescentes, qui ante annos pubertatis nondum produnt judicii maturitatem. Quidam homines proin, respectu quorum ratio legis in certo casu forte cessat, lege iis legitime promulgata adhuc tenentur in casu, quo respectu reliquorum hominum legi subjectorum ratio legis non cessat, quamvis negandum non sit, ab iis subditis, intuitu quorum in certo casu legis ratio cessat, peti posse dispensationem a lege, atque dispensationem sine gravi ratione non debere denegari, cum reipublicae ordo et tranquillitas requirant, ut in tali casu lex suum retineat vigorem, donec ejusmodi subditi a legitimo superiore dispensationem obtinuerint. Si fur rem furtivam deponat, *lex, quae vult, ut deponenti res restituatur* in casu, quo verus dominus superveniat, et rem repetat, non obligat pro hoc casu quidem, ast pro aliis casibus vigorem suum non amisit, quando res non furtiva fuerit deposita, et a Domino repetatur.

§. 232.

Motivum, quo voluntas ad aliquid appetendum vel aversandum determinatur,

vocari ſolet *ratio ſufficiens volitionis et nolitionis.* Enimvero cum propter identitatem rationum ſufficientium voluntas auctoris ad caſus ſub verbis pacti vel legis ſecundum totam eorundem proprietatem minime comprehenſos extendatur, poſita autem ratione ſufficiente volitionis et nolitionis ponatur etiam ipſa volitio et nolitio, ſimul et auctor ipſe, ſi de *caſu emergente*, id eſt, verbis legis vel pacti expreſſis non comprehenſo, cogitaſſet, verba ſua ad eundem caſum, hic et nunc expreſſe non comprehenſum ob identitatem rationum ſufficientium extendiſſet, conſequens eſt, *ut, quoties ratio verbis latius patet, interpretationi extenſivae locus ſit.*

Scholion.

Sic auctor legis prohibitivae, *ne triticum ob bellum imminens extra provinciam efferatur*, ſi tempore, quo legem tulit, etiam de *farina* et *avena* cogitaſſet, ſub allata lege etiam verbis expreſſis *farinam* et *avenam* comprehendiſſet. Pactum eſt, ne quis locus *muris* cingatur, factum eo tempore, quo non aliud fuit muniendi genus: is locus ne aggere quidem aut vallo cingi poteſt, ſi ſatis conſtet, prohibendi muros *unicam* fuiſſe cauſam, ne iſte locus,

cus ad vim repellendam per munimenta fieret idoneus.

§. 233.

In fraudem legis vel pacti ille quid facere dicitur, qui quidpiam facit, quod rationi legis vel pacti repugnat, etsi id, quod facit, verbis ejusdem non adversetur. Quoniam extra verborum significationem ostendendum est, quaenam in fraudem legis vel pacti fiant, adeoque id patere debet, non per verba legis et pacti, sed per rationem sufficientem, cur lex lata vel pactio facta sit, consequens est, *ut interpretatio extensiva in casu, quo quid in fraudem legis vel pacti fit, locum habere nequeat.*

Scholion.

Non ex verbis legis vel pacti, sed ex ratione ejusdem appareat necesse est, cur lex lata vel pactio facta sit. Quoties igitur genuinam legis, pactive rationem prorsus ignoramus, vel falsam allegamus, toties interpretatio extensiva admitti nequit. Huc pertinent ea, quae jureconsulti tradunt de iis, quae fiunt in fraudem legis. Sic si convenerit, ut alter in alterius territorio quaslibet feras venari possit, ut tamen cervi excipiantur, tunc is in fraudem pacti aliquid faceret, qui

cervas venari praesumeret, dicens, cervas non esse cervos. Nam in pacto supradicto masculinum sumebatur in sensu latissimo ex usu populari, adeoque pro genere communi, ut sub se comprehenderit faemininum.

§. 234.

Enimvero cum vis et potestas legum, pactionumque ex earundem ratione potius quam verbis perspiciatur, et saepe aliquis casus sub verbis quidem comprehendatur, ob defectum rationis sufficientis, cur legislator vel paciscens hoc fieri voluerit, excipi tamen debeat, atque interpretatio facienda sit de eo, de quo verisimiliter auctor legis vel pacti cogitavit, consequens est, *ut verba latius accepta, si materiae, de qua agitur, tam lata eorundem acceptio minus convenit, per interpretationem restrictivam sint coarctanda; id enim, quod materiae minus convenit, est absurdum, et nemo praesumitur velle absurdum.*

Scholion.

Si inde sequatur *absurdum aliquod*, quod eum sensum auctori legis vel pacti tribuere velis, quem verba generaliter posita indicant, *haec verba ita restringenda sunt, ut absurdum evitetur.* Si in casu emergente de voluntate auctoris

ctoris *manifesto* constat, quod is voluerit absurdum, tunc utique interpretatio restrictiva locum non invenit: praesumptio enim cedit veritati. Auxilia promissa ab una tantum parte intelliguntur impendiis ejus deberi, qui postulabit. *Item* foedus initum pro defensione ditionis, nequaquam, dum dominus in possessione existit, extenditur ad eandem, cum iste fuerit ejectus, recuperandam.

§. 235.

In propositionibus indefinitis etiam locum habet interpretatio tam restrictiva quam extensiva. Cum enim omnis propositionis definitae universalitas vel particularitas ex aliquo signo quantitatis cognoscatur, propositioni expresse addito, propositio indefinita non habeat aliquod signum sibi expresse praefixum; additio signi autem in casu dato non sit arbitraria, sed ex conditione, sub qua propositio talis est vera, peti debeat, atque conditio ista vel in subjecti natura, vel extra eam lateat, natura insuper sit immutabilis et aeterna, consequens est, *ut propositio indefinita sit extensive interpretanda, quoties terminus hujusce propositionis vel sit genericus, specificus, differentialis, aut proprius, seu genus, species,*

differentia, aut proprium ſtricte ſumtum; reſtrictive econtra quando terminus ille eſt accidens; accidentia enim ſunt extra naturam in hoc caſu, genus vero, ſpecies, differentia et proprium ſunt intra naturam, et conſequenter *propoſitioni indefinitae in priori caſu addendum eſt aliquod ſignum univerſalitatis e. gr. omnis, nullus, in poſteriori autem particularitatis e. gr. aliquis, quidam.*

Scholion.

E. g. Homo eſt animal, homo eſt rationalis, homo eſt riſibilis, et eruditionis capax, id eſt, *omnis homo.* Econtra homo ſaltat, homo eſt muſicus, homo eſt eruditus, id eſt, aliquis homo. Nam rationalitas, animalitas, riſibilitas et eruditionis capacitas ſunt partes eſſentiales ſeu attributa: aſt ſaltatio, muſica, eruditio ſunt accidentia et extra eſſentiam.

§. 236.

Quandoquidem contingit ſaepius, ut nobis res ſit cum homine, illius diſciplinae ignaro, ex qua propoſitio, quae nunc interpretationi ſubjacet, eſt mutuata: iguarus autem diſciplinae illius non modo ignorat terminos technicos, ſed ipſam quoque immediatam ſingularum propoſitionum connexionem,

Digitized by Google

nem, adeoque non perſpiciat, an propoſitio interpretanda fluat ex principio, unde fluere praetenditur, conſequens eſt, *ut interpretator non modo terminos artificiales ejusmodi homini explicare et declarare, ſed nexum talis propoſitionis explicatae cum ſuo principio oſtendere teneatur, et eousque progredi, donec ignarus videat, ex qua cauſa effectus, ſeu ex quo principio concluſio provenerit et conſequenter interpretationi declarativae in tali caſu locus ſit.*

Scholion.

Geographiae ignaro terminos artificiales hujus Enthymematis: *ſi quis ſub polo eſt, vivit in ſphaera parallela: ergo ſtellas nec orientes, nec occidentes videt*, ante omnia explicare oportet; oſtendat igitur interpretator, quid ſit *ſphaera parallela*, *quid polus* et *quotuplex*, quid denique *ſtella oriens et occidens*. Et cum geographiae imperitus nondum videat immediate cohaerere *ſphaeram parallelam* et *ſtellas orientales et occidentales*, ratiocinio novo interpretator utatur ſequentem in modum: *ſiquis ſub polo eſt, aequator et horizon ibi ſunt paralleli: ubi hi ſunt paralleli, ibi et ſtellae moventur in ſitu parallelo cum horizonte: ergo ſemper in eadem diſtantia ab horizonte ſunt, adeoque nec oriuntur nec occidunt.* Hoc ratiocinium ſufficeret utique homini geographiae perito et gnaro ad hoc, ut videret cohaerere ſphaeram parallelam et effe-

ctum illum. Aſt homini ignaro non ſufficit: nova declaratio, *quid ſit horizon, quid aequator,* et *ſitus parallelus*. nec non nova probatio requireretur ad eum convincendum, *ſub polis ſphaeram talem eſſe*, ac demum *in tali ſphaera horizontem et aequatorem eſſe parallelos.* Tantae molis foret *interpretationem* condere *declarativam* ſupradicti Enthymematis.

§. 237.

Privilegium eſt jus quoddam affirmativum vel negativum alicui perſonae aut familiae aut pluribus, certove cuidam ſtatui, perſonarumque ordini ab eo, qui ſupremae reipublicae tenet gubernacula, conceſſum. Is dicitur *Privilegiarius*, ſeu *Privilegiatus*. Quoniam in quavis civitate ſalus publica ſuprema lex eſt, privilegia nec *concedi debent*, ſive perſonalia ſive haereditaria ſint, *niſi perſonis et ordinibus*, quorum merita et ſervitia in rempublicam non communia, non pro pretio ſeu ſalario per complures annos, ſed gratis, fideliter et cum inſigni ſucceſſu praeſtita, adeoque ſingularia ſunt, et vel jam extant, vel certo extitura ſunt; *nec tolli poſſunt*, niſi in detrimentum reipublicae aut potiſſimorum civium vergant: eumque per conceſſionem privilegii pati *obligen-*

ligentur caeteri, ut privilegiatus jure ſuo utatur, nec quidquam committere, quod eidem adverſatur, conſequens eſt, *ut privilegia revera leges ſint, interpretationi legum inſtar ſubjaceant, ita quidem, ut, quia favores ſunt ampliandi, et odia reſtringenda, in interpretando privilegio expoſitionem extenſivam ſequamur, ſive privilegia ſint data ad tempus vel ad dies vitae, perſonaliter ſive haereditarie, item ſub onere quocunque, aut ſub certa conditione praeſertim poteſtativa, aut precario, imo etiam ſ. poena, veluti ut abuſu, vel turpi, aliove facto indecenti committatur.*

Scholion.

Propoſitio ergo, quae *nobilitationem, privilegia, gratias, praemia, commoda et exemtiones* continet, in latiori ſenſu eſt accipienda; econtra illa, qua *poenae, gravamina, incommoda, ſervitutesque* comprehenduntur, in ſenſu ſtrictiori eſt ſumenda: quia ſalus reipublicae exigit, ut favores amplientur in gratiam hominum de republica bene meritorum, et odia non extendantur, cum in dubio favendum ſit reo, et quod fieri poteſt paucioribus, non debeat fieri pluribus. Id quod videre eſt in caſu, quo praemium eſt promiſſum ei, qui *primus* ad metam perveniſſet. In hac promiſſione vox *primus* eſt ambigua: namque aut eum ſignificat, qui omnes curſu antecedit,

dit, aut quem nemo, licet quandoque pares gradu haberi possint. In hoc casu, quia praemia sunt favorabilia, locum habet *concursus* ad praemium, si res possit *dividi*; alias decidendum erit novo cursu: etsi generosius faciunt, qui promiserunt praemium, si utrique solidum solvant. Verum quidem est, quod, quae aliis sunt odiosa, aliis sint favorabilia: e. g. exemtio a muneribus publicis et vilibus est quidem favorabilis viro nobili et graduato, et simul odiosa ignobilibus et non graduatis hominibus: ast reipublicae tamen interest, ut vir nobilis propter merita et servitia erga rempublicam fruatur hac exemtione, perinde ac doctor et graduatus ob merita in rem literariam extantia; et vicissim ut ignobilis et non graduatus non fruatur ejusmodi privilegio, teneaturque pati, ut nobilis et graduatus suo jure utantur. Illud proin est *favorabile*, quod hominibus de republica bene merentibus dat privilegia, eorumque usum promovet: illud econtra est *odiosum*, quod bene merentibus privilegia et praemia denegat omnino, vel certe eorum usum limitat aut impedit. En *definitiones* favorabilium et odiosorum.

§ 238.

Recta ratio, *virtus*, *benignitas* et *humanitas* ex principiis genuinae Philosophiae, et praecipue

cipue moralis, intelliguntur saepe corrigere id, in quo lex vel pactio aliqua propter universalitatem deficit: *lex naturalis* etiam dictitat, *quidquid tibi vis fieri, alteri etiam feceris*: et reciproce *quidquid tibi non vis fieri, ne alteri feceris.* Quandocunque igitur contingit, ut circa eandem legem vel pactionem *plures* dentur interpretationes, quarum una est benignior et sanior reliquis, tunc ad praenominatas virtutes veluti ad lydium lapidem examinanda est interpretatio legis vel pacti. Habitus, id, quo lex vel pactum defuit ob generalitatem suam, ex praescripto supra nominatarum virtutum corrigendi dicitur *aequitas.* Haec aequitas proin postulat, ut inter plures interpretationes possibiles benignior et sanior praeponatur caeteris. Haec postulat, ne quis praesumatur malus, nisi probetur talis, ne quis sibi ipsi contradicere aut absurdum aliquid velle praesumatur. Haec denique postulat, ut in dubio favendum sit reo. Enimvero quoniam, ubi verba pactorum vel legum ratione eorundem latius patent, ibi interpretationem restrictivam adhiberi oportet,

portet, aequitas autem id corrigit, in quo lex vel pactio ob generalitatem verborum defecit: consequens est, ut in dubio semper eligamus partem rectae rationi, virtuti, benignitati et humanitati vel maxime convenientem; et consequenter in casu, quo plures existunt interpretationes, odia restringamus et favores, sensusque benigniores vel in ipsis legibus poenalibus aut pactis, cui est poena adjecta, interpretandis sequamur.

Scholion.

Quivis interpretator ex philosophiae fontibus claras et distinctas virtutis, benignitatis, humanitatis et rectae rationis ideas sibi acquirat oportet, si non ex defectu harum idearum nubem pro *Junone*, id est, stupiditatem *pro recta ratione*, vitium *pro virtute*, nimiam indulgentiam pro *benignitate*, et intempestivam misericordiam pro *humanitate* ambabus ulnis amplecti et osculari velit, ab uno extremo prolapsus in alterum. *Iniquitas* proin est habitus interpretationem eligendi severiorem et illam, quae rectae rationi, virtuti, benignitati et humanitati minus convenit. Qui distinctiorem *iniquitatis* ideam sibi comparare cupit, ne is audiat et conveniat quosdam adversarios Excellentissimi Philosophi Wolfii:

si

si non in stuporem, certe in ruborem rapietur eorum scripta legendo, ubi *aequitas* (scil.) in interpretando tantopere emicat. *Æquus interpretator* est, qui verbis auctoris non alium tribuit sensum, quam quem eisdem convenire demonstrat, aut, ubi minime erroneus fuerit, probabiliter adstruit. *Iniquus* econtra, qui verbis auctoris scribentis vel loquentis sensum tribuit erroneum, quem iisdem convenire, demonstrare nequit. Is denique, qui sanioris philosophiae moralis destitutus dogmatibus, interpretationem suam attemperat *stupiditati, vitio, nimiae indulgentiae* aut *intempestivae misericordiae*, non est aequus interpretator; non enim aequitatem supra definitam sequitur, sed eidem oppositam, seu *spuriam*, id est, *cerebrinam*, uti vocari solet, scilicet natam in cerebro, notitionibus obscuris et confusis undique repleto.

§. 239.

Haec de *interpretatione logica* sufficiant: de interpretatione *grammatica*, quae aliis nititur fundamentis, non est cur hic differamus. Mittimus proin lectorem ad auctores, qui de grammatica interpretatione ex instituto scripserunt, veluti *Jo. Clericus* in Arte critica, ubi quaedam praeclara, quaedam, quibus non ausim subscribere, continentur. Item *Bern.*

de

de Mont. Faucor. Supereſt adhuc alia interpretatio, quae *myſtica* dicitur, quaeque locum habet in ſacris bibliis et aliis libris, ubi veſtigia myſterii ſunt relicta. Canones hujus interpretationis ſunt ſequentes tres. 1) *Debet nobis ante omnia certo conſtare, quod auctor his verbis arcanius quid exprimere voluerit.* Si enim de hoc antea non conſtat, tunc irritus eſt labor. Sic ſruſtranea eſt ſolers indagatio, quodnam arcanum in *Iliade Homeri* ac *Odyſſea* lateat, niſi prius certi ſimus, arcani quid ibi latitare. Alias ſimiles ſumus iis, qui ſub terra gazas quaerunt, fundamentaque aedium fodiendo ſubvertunt. 2) *Liquidum eſſe oportet, utrum propheticum, phyſicumve, morale, aut aſtronomicum, aut hiſtoricum ſub litera occultetur myſterium.* Hinc in Poematibus Homeri, Cenotaphio Aeliae Laeliae Criſpidis et Ovidii Metamorphoſi, aliisque fruſtra conaris explicare myſterium, niſi antea certus ſis, an ſit hiſtoricum, phyſicum, vel morale. Huc pertinet *Heſiodi* Theogonia, *Apollodori* Bibliotheca, *Ovidii* Metamorphoſis, *Hygini* Fabulae, *Lylii Gregorii Gyraldii* Syntagma de diis gentilium. *Natalis Comitis* Mythologia. *Gerardi Jo. Voſſii*

Voſſii opera de Idololatria gentilium. *Jo. Botii* Genealogia Deorum. *Franciſci Pomey* Pantheum Mythicum. *Henr. Schaevii* Compendium Mythologiae. *Benjam. Hederici* Mythologicum Lexicon, aliique libri de diis et heroibus Graecorum atque Romanorum. 3) *Ille probabiliter eruit ſenſum auctoris myſticum, qui illum ita invenit, ut is per omnia literae accurate quadret.* Alias certus eſſe nequis, te mentem auctoris eſſe aſſecutum: res enim plerumque, niſi pruritui myſteria detegendi ratio frenum injiciat, ad conjecturas, imo ad ingenii luſus, uti in ſuis elementis philoſophiae rationalis *Heineccius*, cujus opera paſſim uſi ſumus, praeclare obſervavit, perinde ac in *Cenotaphio*, redire ſolet.

Sectio V.

De *Methodo* inveniendi Veritatem *per Diſputationem.*

§. 240.

Hoc loco non agitur de Veritatibus per *meditationem, lectionem, auditionem, interpretationemve* inventis; hae enim ſemel inventae exi-

Digitized by Google

exigunt, ut convenienter per doctionem aut ſcriptionem proponantur, et aliis ita communicentur, ut tyrones iis inſtruantur, et adverſarii convincantur. Nobis hic ſermo eſt de *propoſitionibus*, quarum veritas aut falſitas neque per experientiam, neque per demonſtrationem adhuc eſt detecta, ſed primum detegenda, ita quidem, ut quia veritati aut falſitati earum detegendae neque unius hominis meditatio, neque lectio aut interpretatio ſufficit, ad eam detegendam *mutua theſeos impugnatio et defenſio oretenus inſtituta praeciſe requiratur.*

Scholion.

Ejusmodi mutua theſeos impugnatio et defenſio, ſive ſcriptim ſive viva voce inſtituta objectum Logicae practicae merito cenſetur: tela etim, quibus ſententiae adverſariorum petuntur, ex armario Logicae depromenda ſunt; Logices ignarus facile ipſe errare, atque ab aliis decipi poteſt. Adverſariorum verba et ſententiae in melle, uti ajunt, corda in felle, ſita ſunt atque acerbo aceto. Deceptionum laqueos ubique praetendunt, quos praeceptis Logices non imbutus devitare non poteſt. Unde ſermone tritum proverbium hic locum

Digitized by Google

eum habet: *Pellicit in fraudem mulier, fallaxque sophiſta.* Dein nihil eſt hominibus in vita communi prius *menſura*, alicujus rei magnitudinem perſpicere cupientibus. Iidem *lancibus librae* utuntur, in rebus pondere ſuo aeſtimandis. Quodſi prius ſolliciti de modio ſumus, ubi quid metiri volumus, ſi ſuis quamque rem momentis ponderamus, operam majorem demus oportet, ut mens habeat, quod in judicio veri falſique ſectetur. Tale inſtrumentum continetur in Logica, quae utique examen eſt aliarum rationum, quibus caetera continentur. Modius lignum eſt, per ſe nullo fructu gratum: nihilominus eo frumenta dimetimur. Haut abſimiliter logices praecepta ex ſe fructum exhibent nullum, adhibita autem in ſcientiis inveniendis et addiſcendis incredibiles habent opportunitates, verum a falſo ſeparandi, adverſariorumque ſpicula retundendi in diſputationibus praeſertim publicis. Quis rationalem, quem vocant, medicum empirico non praefert? quis autem medicus vocatur rationalis? an is, qui rationem logica adjutus colit, ut cauſas morborum vel certas exploratasque reperiat; vel is, qui ſecundum probabilitatem medicami veroſimiles invéniat? Idem procedit de jureconſulto rationali ac empirico &c.

§. 241.

Quoties duo, an propoſitio aliqua ſit ve-

ra vel falsa, coram altercantur et contradicunt, ita, ut unus suas rationes, propter quas istam veram esse contendit, in medium producat, et ad argumenta contraria respondeat; alter autem et veritatem allatae propositionis et datas responsiones impugnet; toties *disputare* dicuntur. Unde disputatio nihil aliud esse intelligitur, quam mutua propositionis cujusdam impugnatio et defensio coram instituta. Quoniam unus rationes affert, propter quas propositionem alterius pro falsa habet, alter autem propositionem istam eo ipso pro vera habet, quia eam defendit, consequens est, *ut disputaturus cum alio in terminis contradictoriis versetur.* Ille, qui dubia sua contra alterius propositionem defensam profert, vocatur *opponens* seu *argumentans.* Alter, qui ad dubia respondet, et objectiones solvit, appellatur *respondens* seu *defendens.* Si quis tertius huic disceptationi sese immiscet, et a parte defendentis stat, dicitur *Praeses.*

Scholion.

Eruditis disputantibus non convenit, faeminarum instar, quidquid in buccam venit, pleno

pleno ore effundere, et ad ravim usque clamare, aut sine ratione ab opinione sua discedere more puerorum, qui vim argumenti non penetrant. Hinc iis instrumento opus est, quo veluti freno unus alterius petulantiam cohiberé poterit, si potius contradicendi libidine quam amore veritatis detegendae disputet. Ejusmodi fraenum est *syllogismus*. seu *demonstratio tam directa quam indirecta*. Cum enim syllogismus potius sit medium *proponendae*, quam *inveniendae veritatis*, praesertim si plures syllogismi concatenentur; forma disputandi per syllogismos reliquis methodis omnino est praeferenda; hac enim ratione cogitur adversarius, ne per invia et devia vagetur, et ne extra statum quaestionis respondeat; unde plerumque multum clamoris et parum lanae. Seu parturiunt montes: nascetur ridiculus mus. Erudita demonstratio econtra postulat syllogismum, *familiare colloquium* excludentem, et adversarios coercentem.

§. 242.

Thesis, quae proponitur sit vera, utilis et disputabilis. Cum enim ex una parte tantummodo thesis vera possit defendi, et disputandi tempus inutilibus tricis et altercationibus non esse perdendum philosophia moralis inculcet, et ex altera parte ad dispu-

tationem requiratur, ut poſſit aliquid cum ſpecie opponi, quod fieri non poſſet, ſi theſis non eſſet diſputabilis, conſequens eſt, *ut defendens non alias proponere teneatur theſes, quam veras, utiles et diſputabiles.*

Scholion.

Propoſitio, de cujus veritate diſceptant diſputantes, vocatur *theſis*. Ut defendenti theſis ſit perſpecta et ſufficienter cognita, non eſt, cur hic primum moneamus. Ut autem theſis praeciſe actu ſit controverſa, ad diſputationem nequaquam neceſſe eſt, dummodo ſit diſputabilis. Saepe propoſitio probabiliter vera per diſputationem virorum doctiſſimorum facta eſt certo vera, et propoſitio probabiliter falſa per eandem viam degeneravit in certo falſam. Aſt ex aula diſputationis exulent theſes, quas ab hominibus decidi non poſſe in propatulo eſt, e. gr. an ſtellarum numerus ſit par aut impar. Si impugnator theſin tuam minus recte interpretatus fuerit, tu eandem recte explicabis. Sic oſtendes, argumentum non ferire theſin tuam, adeoque abunde te defendes. Clamitabit quidem impugnator, te quaerere latebras, cum aſſertis defendendis te ſentias imparem: aſt obviam ibis monſtrando, hanc explicationem non nunc demum a te excogitari in ſubſidium, ſed ejus principia in ipſis tuis theſibus undique co-

haae-

haerentibus vel explicite vel implicite contineri. Docemus hic, quomodo sapientibus et veritatis amatoribus satisfieri queat, non quomodo homini perfrictae frontis os obturari queat. Quodsi denique tibi animus sit, dissertationem, ut vocant, ampliorem conscribere, fontes resolutionum studiose indica, non autem ipsa argumenta contraria et eorum resolutiones, ut opponens habeat, quod in medium proferat. Cum, quando thesis vera est, fieri non possit, ut demonstretur, istam esse falsam, opponens caveat, ne sit pertinax, et acquiescat datis responsionibus.

§. 243.

Quandoquidem *disputatio* est duarum sententiarum contradictorie sibi oppositarum, id est, theseos et antitheseos accurata, justaque ratiocinatione facta comparatio, consequens est, *ut disputantes argumentum, de quo disputatur, non modo probe intelligere, sed et linguam, qua disputare volunt, callere et aeque praesentis semper animi esse debeant ac vacui ab affectibus turbulentis, ab invidia praesertim, ut ne videantur altercari magis, quam ordinato sermone disputare.*

Scholion.

Opponens conveniat etiam cum altero in notio-

notionibus; alias in logomachias delabentur ambo disputantes.

§ 244.

Disputatio ordinata inter eruditos *tribus* constat *partibus*, quarum *prima* est formare statum controversiae, id est, indicare ideas, quas opponens cum subjecto et praedicato hic et nunc conjungit, et quo sensu propositionem intelligit: *secunda* ex parte *opponentis* oppugnare thesin per syllogismum, et ex parte *defendentis* eundem solvere, ac *tertia* replicare, eumque solvere, idque tam diu, donec alteruter non habeat, quod prudenter objiciat.

Scholion.

Si *statum controversiae* formaturo tibi non cognitae sint notiones, secundum respondentem terminis jungendae, pete ab illo definitionem, vel, si dare eam recuset, syllogismis extorque hunc fere in modum. *Quaecunque thesis continet terminum, cui nulla respondet idea, illa thesis est obscura: atqui huic thesi nulla respondet idea:* Ergo *est obscura.* Minorem enim cum fundamento negaturus definitionem termini proferre tenetur defendens.

§. 245.

Digitized by Google

§. 245.

Juxta *primam Disputationis partem* respondentis est *thesin* proponere, quae examinanda venit, opponentis autem est eidem opponere *antithesin* contradictoriam, utriusque demum est *logomachias* evitare: opponens indicet, quas ideas cum subjecto et praedicato conjungat, et quo sensu propositionem intelligat, id est, *formet statum controversiae*, et contrarium syllogismo probet, praemissas demonstret, et demonstrando eousque continuet, donec ad praemissas pervenerit, quae sunt definitiones et propositiones indemonstrabiles.

Scholion.

Ne disputantes in *Logomachiam*, seu propositionem, cui respondentem notionem veram agnoscit impugnans, sed aliis verbis exprimit, disputationi praemitti oportet sublationem omnis ambiguitatis, cum alias disputatio nunquam intentum sortietur finem: e. gr. Si more scholasticorum cum patronis distinctionis thomisticae et scotisticae disputas, qui semper quaerunt effugium in suis terminis domesticis, et per nescio quae distinctionum vehicula etiam veritates per se claras, qualis est haec: *quaecunque sunt eadem uni tertio,*

ſunt eadem inter ſe, ſubtiliter evertunt, niſi rem hunc in modum aggrediaris. Praemittamus definitiones animalitatis et rationalitatis, non quidem peregrinas, ſed easdem, quas ſcholae dudum agnoverunt. Cum enim definitio ſit idea diſtincta completa, ea omnes continere debet notas, quae ad rem definitam ab omnibus aliis diſtinguendam ſufficiunt. *Animalitas Petri* nuncupatur principium ſentiendi; in hanc definitionem conſentiunt omnes Thomiſtae et Scotiſtae. *Principium* autem *ſentiendi* eſt collectio corporis, animae et (uti praefati ſcholaſtici addunt) unionis Petri. *Rationalitas Petri* vocatur principium ratiocinandi: in hanc definitionem pariter conſentiunt ſupradicti ſcholaſtici: *Principium* autem *ratiocinandi* eſt nihil aliud quam eadem collectio corporis, animae, et unionis Petri. Jam una, eademque collectio vocatur *gradus metaphyſicus*, producitque tanquam cauſa duos effectus, ſcilicet *ſenſationem et ratiocinationem*. Unde eadem collectio eſt principium, id eſt, cauſa *ſenſationum* et *ratiocinationum*. Jam principium demonſtrationis, ex quo fluit, animalitatem eſſe rationalitatem, ita ſonat: *Quaecunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*. Syllogismus demonſtrativus ita ſe habet. *Animalitas Petri eſt collectio corporis, et animae et unionis Petri*: ſed *rationalitas eſt eadem collectio ejusdem corporis, animae, et unionis Petri*, ergo *animalitas eſt rationalitas* propter allatum ſupra principium: et oſtenditur claritatis cauſa in hoc ſyllogismo: *quatuor*

or unitates ſunt quaternarius, ſed *duo binarii ſunt quaternarius*, ergo *quatuor unitates ſunt duo binarii*; jam ſicut non poſſum inferre: *igitur quatuor unitates non ſunt duo binarii*; ita etiam non poſſum concludere: *ergo animalitas non eſt rationalitas*; nam uterque ſyllogismus ſecundum formam, atque materiam bonus, ac demonſtrativus eſt: ſi autem adverſarii dent aliam explicationem, ſupponendo ſcilicet, *animam vegetativam eſſe aliam, aliam denique rationalem, et ſenſitivam eſſe aliam, quarum una non eſt altera*, tunc *alium* habemus *ſtatum quaeſtionis*, quia non manet eadem collectio. Nam collectio corporis, animae vegetativae et ſenſitive, et unionis in Petro eſt *aliud totum*, quam eſt collectio corporis, animae rationalis et ſenſitivae (*excluſa ſcilicet vegetativa*) et unionis. Dein ſicut prior collectio eſt alia, quam poſterior, ita animalitas non eſt rationalitas juxta hanc poſtremam explicationem. Caeterum ſi adverſario diſtinctionem realem *inadaequatam*, quae datur inter manum, et ejus digitum, et juxta poſtremam explicationem inter animalitatem, et rationalitatem, vocare velint *diſtinctionem ex natura rei formalem*, vel *virtualem majorem*, et *minorem*, tunc ſumus amici, ne de lana caprina, et vocabulis rixemur. Porro qui hanc demonſtrationem intelligit, nihil in ea negandum inveniet; ſicut ab *Euclidis* temporibus de elementorum ejus veritate nemo dubitare potuit, qui ea intellexit. Et ſicut haec quaeſtiuncula ſuſtinuit *Syncretis-*

Digitized by Google

mum, ita eundem quoque ceterae *Thomisticae*, *Scotisticae*, ac *Aristotelicae* (quam quidam Scholasticorum se professos esse videri volunt) Scholarum disceptationes, modo inhaerendo terminis nullam voluptatem capiamus, non invita Minerva patiuntur.

§. 246.

Opponentis autem est, non modo *thesin* indicare, quam impugnare decreverat, sed etiam, si illa paulo prolixior videatur, accurate definire, *quid* in illa impugnare velit. Et est illa status quaestionis formatio, quae *primam disputationis partem* merito constituit, ubi distincte ostenditur ab opponente, de quibus propositionibus non futura sit controversia, et quae demum illa sit, de qua quaestio inter disputantes in posterum movenda venit.

§. 247.

Secundam partem disputationis si spectemus, *opponentis* officium est thesin respondentis syllogismo impugnare, cujus conclusio sit ipsa Antithesis in formatione status controversiae proposita. Dein respondentem oportet argumentum opponentis repetere; id est, syllogis-

logismum resumere vel iisdem, vel aliis verbis idem significantibus, ut appareat, respondentem opponentis argumentum satis intellexisse, et interea dispicere possit, num forte syllogismi forma vitio quodam laboret, quod ostendet: ubi autem nihil vitii in forma deprehendit, in alterutra sumptionum, seu praemissarum latitabit aliquid, quod falsum sit, si falsus quidem est opponentis syllogismus: et hinc respondens negare debebit eam propositionem, vel, si nondum, quo tendat, intelligit, ejus probationem exigere.

§. 248.

Jam opponens alterutram, quae negata fuit, praemissarum fluere ostendet, per *regulas conversionis*, *contradictionis*, aut *legitimae ratiocinationis*; quodsi iterum, conversa ne negetur, timeat, ostendere debet, quod conversa seu opposita sit vera, monstrando per enumerationem notarum, quas habet per experientiam, vel demonstrationem, vel hypothesin. Interea respondens observat *certam respondendi formam*, quae consistit in *concessione*, *instantia*, *inversione*, et *distinctione*. Vel enim *concedit*, si jam ap-

apparet, opponentis argumentum non esse contra thesin; vel *instat*, si adducto particulari casu contrarium ostenditur, propositionem aliquam non esse universaliter veram; vel *invertit*, si ostendit, ex illa propositione plane thesin suam emergere; vel *distinguit*, dum limitat argumentum opponentis, monstrando, quod in sensu latiori, et minus stricto procedat, non etiam in stricto sensu. Haud alio modo respondendi utantur respondentes, et non vel vaga declamatione opponenti satisfacere studeant, nec loco responsionis in probationem theseos ad convicia *excurrere*. Nam quemadmodum illi opponentem extra aream vagantem suo jure monere possunt, ut *formaliter* opponat, hoc est, ut secundum formam bene ratiocinetur, ita et illi declamatores recte urgentur, ut respondeant in forma.

§. 249.

Jam in *tertio disputandi actu* opponens replicat, si quid habet, quo respondentis solutionem infringere queat; et quidem si respondens totum argumentum concessit, ostendendum

dendum erit, argumentum omnino vel *mediate*, vel *immediate* theſi *contradicere*. Sin per *inſtantiam* reſponſum fuit, probandum erit, vel in contrarium adductos caſus ad theſin ſuam non pertinere, vel inſtantiae loco ipſum falſum ſenſum ſibi obtrudi; ſimiliter ſi per *inverſionem* reſponſum eſt, *opponentis* erit *oſtendere*, ex propoſitione ſua theſin reſpondentis minime fluere; ac denique, ſi ille *diſtinctione* uſus fuerit, *probare*, vel fundamento illam diſtinctionem carere, vel eam argumento ſuo applicari non poſſe. Et *haec replicatio* eo usque continuabitur, donec alterutri diſputantium aqua haereat, quod neutrarum partium auditores, et ſpectatores facile animadvertent.

Scholion.

Ubi *hae leges diſputandi* ex utraque parte ſtudioſe obſervantur, fieri ſane nequit, quin vel *opponens* in probatione demum deficiat, vel *reſpondens* ad concedenda contradictoria vel abſurda etiam invitus adigatur. Unde facile conſtabit, ex utra parte ſtet veritas. *Hi* autem *Canones* ſi negligantur, tunc obſcurum per obſcurum, idem per idem impugnabitur, et poſtquam per horam ad ravim usque clamatum eſt, nondum triumphabit veritas, nec con-

contendentes poterunt dicere: *ita res ſe habet, at aliter omnino ſe habere non poteſt*, quod philoſophus rationalis dicere poſſe debet.

§. 250.

Praeſidis officio in diſputatione ſiquis fungatur, eum virum oportet eſſe doctum, et prudentem, non judicem diſputantium, ſed reſpondentis coadjutorem. Sicque res nullis indiget praeſcriptis regulis, quibus adjutus feroces juvenes, et extra orbitam vagantes, in viam revocet. Et haec ratio diſputandi eſt *directa*, ſequitur jam *indirecta*.

§. 251.

Indirecta oppugnatio eſt rogatio, qua imprudens ab eo, quod conceſſit, ad id, quod non vult concedere, ſuaviter deducitur. Hinc quamvis haec methodus diſputandi *Socratica* propter interrogatiunculas non paucis ſubjacet ſophismatibus, tamen eam adhibendam eſſe haud temere judico in indagandis veritatibus, *quae male ſonant in auribus hominum praejudicio faſcinatorum*, ut veritatem hac ratione oſtendamus, quin ille ira excandeſcat.

Scho-

Scholion.

Natura hujus oppugnationis, et *indoles* haec est 1. *Ita tegere*, ac si solutionem hujus argumenti ignores, adeoque discere velles. 2. *Alterius voces* sine definitione nunquam admitte, nec ante ulterius progredere, quam quid sibi velit, perspicue dixerit. 3. *Mollissimis simul ac suavissimis verbis* instituantur quaestiunculae, et nunquam alterius ignorantiae, aut loquendi imperitiae, sed tuae traditati tribue, quod non assequaris, quae ille intelligit. 4. Si *obscure* loquitur, quantumvis indignetur, nihil admitte, dicens, te paratum esse assentiri veritati, sed eam prius intelligi oportere. Si autem clariores ex eo non possunt extrudi locutiones, disputatio finiatur. 5. *Conviciantes suffer*, aut nimium petulantibus, et convictis plus salis, quam fellis aspergo, eosque in ruborem ignorantiae da, et sic compone litem. 6. *Si tandem eo deventum est*, ut clare, quod vult, efferat, oportet eum rogare de doctrinae omnibus partibus, ejusque consectariis, non quasi quidquam in iis reprehendas, sed ut plenius doctrinam percipias; ita, ut alter videatur magister, tu discipulus. 7. *Has interrogatiunculas* dextre, et magno numero propone, ut idem saepius repetere cogatur, quod revera dixit. 8. *Ad ampliorem exsculpendam explicationem* utere exemplis, et similitudinibus, et quaere, utrum hoc, vel illo modo res se habeat. Hic utile

est

eſt interdum ab eo, quem interrogamus, non intelligi, quo ſpectent ille primae inductiones, et ad quem ſint perventurae exitum. Nam qui videt, ſi ei rei, quae primo rogetur, recte aſſenſerit, illam quoque rem, quae ſibi diſpliceat, eſſe neceſſario concedendam, plerumque aut non reſpondendo, aut male reſpondendo rogationem non ſinit procedere. 9. *At ſi ne hoc quidem ſatis eſt*, tunc quaerendum, quibus argumentis nitatur, et circa argumenta, ac ratiocinia eodem modo ſe gerendum eſt, ac circa reliqua.

Inde alter videbit, quam ſit *ſua doctrina falſa*, et *quam levibus* nitatur *fundamentis*; quod ſi apud illum affectus non patiuntur, ſaltem id ab aliis, qui adſunt, animadvertitur, et honeſta eſt excuſatio non amplius congrediendi cum homine, ſi indigne ferat, in ſuam opinionem non transiri, quamvis *abſurdam*. Hujus methodi amatores extiterunt *Plato* in Dialogis, *Xenophon*, et *Socrates*. Caeterum ut de arte *diſputandi* mentem meam aperiam, ſicut de ſyllogismo me explicavi, dico, nullam diſputandi rationem ad veritatem inveniendam eſſe aptiorem quam *colloquium*, quo alter alterum in aliqua propoſitione *ſynthetice*, aut *analytice* conſideranda ad veritatem evidentem vel probabilem conjunctis viribus invicem juvant: *verbalis* enim inveſtigatio *mentali* veritatis tam evidentis, quam probabilis inveſtigationi, quia illa dependet ab iſta, reſpondere debet.

Se-

Sectio VI.

De *Methodo* inveniendi veritatem *per auditionem.*

§. 252.

Cum ideo aliquis ſcholam ingrediatur, audiatque e cathedra docentem, ut veritatem inveniat, clare ſequitur, *rationem audiendi* ad modos inveniendae veritatis eſſe referendam.

§. 253.

Quandoquidem idea eſt *attentio ad res repraeſentatas*, perſpicuum eſt, non poſſe in nobis excitari ideas, quas conjungamus cum docentis vocibus, niſi afferamus requiſitam attentionem.

§. 254.

Cum in colendis literis minus feliciter progrediatur, qui ad rerum tractandarum claram, diſtinctamque ideam non pertingit, iſta autem idea homo alias capax deſtituatur, niſi ſit *attentus*, ſua ſponte fluit, omnia ſollicite vi-

tanda esse, quae attentionem *auferunt*, vel *minuunt*: uti sunt *praepropera festinatio* tam in scientiarum elementis, quam progressu; *multitudo rerum* uno momento, et semel tantum pertractandarum, et *varietas*; *ira*, item, *tristitia*, *confabulationes*, *frequentes sodalitates*, et *amor venereus*.

§. 255.

Amori venereo inter aliorum sensuum praestigias annumerari debet *luxus*, et *ingluvies*. Cum enim natura paucis sit contenta, et plenus venter non studeat libenter, tantum cibi, et potus sumendum esse intelligitur, quantum sufficit, ut reficiantur vires, non vero ut opprimantur. *Brachmanes*, philosophorum vetustissimi, a vestitu dicti graecis *Gymnosophistae*, Herodoti aevo ob antiquitatem et sanctissimos mores venerabiles, ab omni tempore nonnisi vegetabilia, atque animalium superfluos succos inter cibos admiserunt. Non eo minus integra valetudine fuere, vitae longissimae, laeti, et ad subtiles meditationes idonei (vide subtilissima *Indorum* systemata de creatione, et fabulas eorum antiquissimas, et

nume-

numerorum inventionem) bonas disciplinas omnes curiose excoluerunt: imo vero dicuntur sapientiae auctores fuisse Zoroastri, et Pythagorae; sed et serioris aevi Christiani *anachoretae* idem fecerunt, et aliarum mundi partium incolae; ita vixerunt, semper robusti, laeti, sani, et longaevi. Cum interea *attentio* plurimum promoveatur, si ea, quae audivisti, postea in chartam conjicias, quasi dissertationem de iis scripturus, et te ipsum examines, consequens est, ut post auditionem statim repetatur, et studeatur.

§. 276.

Quin non solum sufficit, ut quoquo demum modo studeatur, cum examen instituatur ad superanda omnia in scientiis dubia, et difficultates; sed cum celebratissimo viro *Carthesio* nihil unquam veluti verum admittas, nisi quod certo, et evidenter verum esse cognoscis, hoc est, ut *omnem praecipitantiam*, atque *anticipationem* in judicando diligentissime vites, nihilque amplius *pro conclusione* amplectaris, quam quod tam clare, et distincte rationi tuae patet, ut nullo modo possis in dubium revocare. De-

in difficultates, quas es examinaturus, in tot partes dividas, quot expedit ad illas commodius solvendas. Tum cogitationes, quas veritati quaerendae impendis, *certo* semper *ordine* promoveas, incipiendo scilicet a rebus *simplicissimis*, et *cognitu facillimis*, ut paulatim, et quasi per gradus ad difficiliorum, et magis compositarum cognitionem ascendas, atque in aliquem etiam ordinem illas mente disponas, quae mutuo ex natura sua non procedunt. Denique in quaerendis mediis, ac in difficultatum partibus percurrendis tam perfecte singula enumeres, et ad omnia circumspicias, ut nihil a te omitti sis certus.

§. 257.

Cum autem, examine secum ipso instituto, non omnia solvi dubia experientia quotidiana convincat, facile unusquisque animadvertit, quod neque sis *segnis* ad interrogandum, et *incurius*; alias veritas fugiet a te; neque sis *verecundus*, et *taciturnus*; talis enim innumeris angitur dubiis et scrupulis, non liberandus iis, nisi abjecta rustica verecundia confidenter interroget. Neque sis *superbus*

bus: is enim omnino non assequetur veritatem; cum enim hanc non statim capiat, erubescatque inscitiam suam humili voce prodere, patientique animo accipere instructionem, est consequens, ut, dum se veritatem scire simulat, totus in discordias, jurgia, et rixas abeat, dum cum aliis disputat.

Scholion.

Cumque *multitudo*, ac *varietas* rerum tractandarum attentionem non solum minuat, sed etiam tempus examinandi ea, quae audivisti, auferat, perspicue apparet, pernicioſum esse sex, octo, decem horas continuas adire magistros varia docentes, eo quidem fine, ut biennii, aut triennii spatio cursum absolvas academicum.

§. 258.

Quandoquidem ille *audiendo* non acquirit veritatem, qui non perspicit ratiocinia ita connecti, ut altera propositio ex altera; omnes autem ex suis principiis deduci facile possint, merito inferimus, audiendos tantum esse *viros solide doctos*, id est, *tales*, qui ea omnia, quae demonstrari possunt, demonstrant;

quique ab aliis eorum, quae affirmant, vel negant, demonſtrationem poſtulant, atque qui inquirunt in principia ſolertiſſime, ex quibus aſſerta demonſtrata ſunt, *nexum propoſitionum*, quam longus eſt, facile perſpiciunt: et quae veriſimilia aliis ſunt, ea, ut certo cognoſcant, allaborant; denique in *ſcriptis* aeque, ac *ſermonibus* eo referunt omnia, ut et ſe, et alios de iis, quae docentur, *convincant*, lectoribusque et auditoribus, *demonſtrationum vi*, aſſenſum extorqueant.

Sectio VII.

De Methodo veritatem proponendi per doctionem.

§. 259.

Officio noſtro functos nos eſſe neutiquam crederemus, niſi et *methodum* ſubnectamus *veritatem inventam proponendi*, ut auditores ac lectores de ea ſe convictos eſſe fateantur, quoniam voluntas movetur vel veris boni *notionibus*, et ſyſtematice de bono, et malo propoſitis, vel *ſententiis*, *argumentis*, et *admonitionibus*,

nibus, vel *exemplis* tam *generalibus*, quam *specialibus*. Hinc methodus ista *dogmatica*, illa *paraenetica*, haec *paradigmatica*, et *characteristica* est orta. Cum autem veritatem alterutra harum methodorum propositam omnes non libenter audirent ab hominibus paulo vilioris conditionis, *Phaedri ex Praef. Lib.* 3. v. 35. hinc inventa est methodus *mythologica*, *aenigmatica*, *hieroglyphica*, et *symbolica*, ut affectus optimatum in fabulas transferrentur, calumniaque fictis jocis elideretur. Proponitur autem veritas vel docendo, vel scribendo. De munere *docendi* nunc; de *scribendi* ratione postea dicemus.

Scholion.

— — — Servitus obnoxia,
Quia, quae volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit jocis.

§. 260.

Cum nonnisi *perspicuus*, *ordinatus*, *solidus*, ac *sincerus vir* audiendus sit, facile patet, *docentis* officium in eo consistere, ut doctrinas *perspicue*, ac *sincere* audientibus communicet; dein ut doctrinarum *nexum*, et *ordinem* clare

oſtendat; ac denique ut auditores ita *convincat* de illarum veritate, ne de iis cum ratione dubitare poſſint.

Scholion.

Uno verbo: quae dotes requiruntur in libro dogmatico, ſcilicet *perſpicuitas*, *ordo*, *ſoliditas*, *ſufficientia*, eaedem competunt docenti, imo plures e. gr. *critica hiſtoriarum notitia*, et alia docentis dona, e. gr: *copia cogitationum*, et *verborum*, *alta* et *diſtincta vox*, *vigor in loquendo* et *amœnitas*.

§. 261.

Cum *perſpicue* ſit docendum, ſua ſponte ſequitur, quod debeat res accurate definire, quaque ratione res una ab altera diſtinguenda ſit. Ut *vocabula artis* accurate explicet, doctrinamque ſuam *exemplis obviis* jucundis aptiſſimisque illuſtret: dein ut, an auditores omnia intellexerint, data occaſione, *inſtituto examine*, exploret.

§. 262.

Quandoquidem allata docendi ratio ſit *perſpicua*, facile profecto reddideris rationem, cur *docens* dictando in calamum auditores non de-

Digitized by Google

defatigare, neque ad singulas doctrinas integras auctorum turmas, *quasi historiam literariam scripturus*, afferre tyronibus, eorum nomina vix recte excipientibus: multo minus variis digressionibus, doctis quidem illis, at parum ad rem facientibus, auditorum animos demulcere debeat.

§. 263.

Quodsi autem *in rebus didacticis* aliquid in calamum dictare necesse sit, id fiat *stylo proprio*, *puro* et *perspicuo*, qui elegantiam non affectat, nec tamen sponte se offerentem negligit; qui denique *figuras patheticas*, et quidquid ad persuadendum potius, quam ad demonstrandum facere videtur, non immiscet. *Proprius* erit *stylus*, si abstineat a translationibus maxime longe petitis; *purus*, si verbis barbaris, et exoticis non utatur; *perspicuus*, si verba non sunt obsoleta, peregrina, ac noviter inventa, si ordo verborum non nimis est perturbatus, et *argumentorum dispositio* est accurata.

Digitized by Google

Scholion.

Unde *Quintilian. Lib.* 8. *c.* 2. nobis ſit prima virtus, *perſpicuitas*, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata concluſio: quidquam neque deſit, neque ſuperfluat. Ita ſermo et doctis probabilis, et planus imperitis erit. Haec eſt eloquendi obſervatio. Omne ſcilicet tulit punctum, qui miſcuit utile dulci. Sic *Celſus* medicos purius ſcribere docuit, Juriſtas *Cujacius*, et *Briſſonius*, philoſophos *Cartheſius*, theologos *Claudius Flery*, qui non modo *terſe* interpretatur expoſitionem doctrinae catholicae *Jac. Benigni Boſſuet* epiſcopi Condomenſis, ſed etiam *perſpicue*. Plane ſicut omnibus jure laetandum eſſe video, quod *ſentiendi, diſſerendique libertas* philoſophiae ope noſtris temporibus tanta ceperit incrementa, quantis eam ante hoc tempus auctam fuiſſe non facile recordamur; ita non minus perperam, perverſeque agunt ii, qui, ut optime cogitent, nihil non ſibi agendum putant, de eo autem, ut optime dicant, cogitataque puro, terſoque ſermone proferant, parum ſunt ſolliciti. Vide praefationem *Baumeiſteri* ad elementa philoſophiae recentioris.

§. 264.

Parcius itaque in *docendi ſtylo* adhibenda ſunt vocabula juridica, philoſophica, et etiam

iam theologica, si elegantiore stylo aeque commode reddi possunt; siquid tamen *Ecclesiasticis ejusmodi vocibus* insit mysterii, rectius feceris, si eas adhibeas, quam si mutando profanus videaris. Idem fit, si verba *medicis*, vel *jurisconsultis* sint propria. Cum solide sit docendum, idque non obtineatur, nisi doctrinarum *nexus* perspicue ostendatur, per se patet, quod docens debeat *explicare tale compendium*, in quo omnes doctrinae positionibus brevissimis comprehensae ad sua principia revocantur, ac *monstrare*, quomodo singulae doctrinae ex iisdem, non ex pugnantibus, fluant principiis, et cum axiomate vel definitione cohaereant.

§. 265.

Et quandoquidem omnis soliditatis ambitus non absolvatur, nisi auditores de doctrinarum suarum veritate convincantur, omnino oportet doctrinas neutiquam *praejudiciis* probari, sed solum *experientia*, *ratione*, et *hypothesi*.

Scholion.

Atque cum ingenium discentium suscitetur

tur per *interrogatiunculas*; cur ita potius, quam aliter respondeant, haecque suscitatio animum discendi cupidum creet, sequitur, quod professor omnium, quae discipuli loquuntur, rationem exquirat, et sic ad emendationem intellectus operam conferat.

§. 266.

Cumque argumentum veritatis eximium sit, si non modo doctrinae docentis firmissimo cohaereant nexu, sed ex iis etiam aliorum dubia facile solvi possint, recte fiet, si docens coram provectioribus, uti fas est, aliorum discentium doctrinas examinandas suscipiat hac ratione, ut sententiam dissidentium candide exponat, deinde eorum argumenta sine fuco recenseat, ac denique ea ex propriis principiis solvat.

§. 267.

Caeterum *inveteratos errores* indicet, et refellat, quin omnia sine necessitate *innovet*; cum enim *vitae*, non *scholae* discendum sit, quis non videt, nihil esse innovandum, nisi aut id veritas exigat, aut ex nova major utilitas, quam ex vetere doctrina, affulgeat, multo

multo minus ubi novam doctrinam in praxi utilem fore non existimamus.

Scholion.

Sic fuit aliquando duplex genus reformationem in Ecclesia petentium. *Primum genus pacificorum*, qui, plorantes mala Ecclesiae, sine zelo amaro media modeste proponebant, ferentes interim, quae emendare non poterant; *genus aliud turbulentorum, et superborum*, qui irritati depravatione morum, et non reflectentes ad promissionem Ecclesiae, et vocem Christi: super cathedram Moysis &c. cathedram et doctrinam cum vitiis Praesulum odisse caeperunt: hujus farinae erant *Albigenses*, *Waldenses*, *Joan. Wicleff*, *Joan. Huss*; nempe opiniones *certis terminis* et *coram certis personis* oppugnare quid est aliud, quam scandalum praebere proximo, eum exacerbare, et contra charitatem agere? Certo praestat ejusmodi opiniones silentio tolerare, quam publicis scriptis et voce e cathedra oppugnare coram personis, quae argumentationis vim non possunt penetrare. Interea veritates sollicite quaeramus, firmiter defendamus, et praedicemus; nam sic labentur sua sponte praejudicia, et errores hominum, quos acerba contradictio, aut directa oppugnatio in *praejudicatis opinionibus* magis confortassent.

§. 268.

Digitized by Google

§. 268.

Caeterum ſit *ſincerus*, nec nimium *prolixus*! amanter audiat auditores; qui ſe ſcrupulis, et dubiis liberari petunt; et eosdem a voluptate, et pigritia pro virili ſtudeat revocare ad virtutis tramitem.

Scholion.

Inculcet etiam ipſis, quod optimarum artium ſtudia, praeter fructum iſtum, quod per ea intellectus, ac voluntas hominis emendentur, *delectationem*, et *voluptatem philoſophicam*, qua labor compenſatur; ſecum afferant. Nam ita ait *Cicero in orat.* pro *Arch.* quod ſi non hic tantus fructus oſtenderet, et ſi ex his ſtudiis *delectatio ſola* peteretur, hanc animi remiſſionem tamen, uti opinor, humaniſſimam liberaliſſimamque judicatis; caeterae enim neque temporum ſunt, neque aetatum, locorumve omnium &c. D. Albertus Haller, ſingulare illud Poëſeos germanicae Decus, ita canit im 5ten Gedichte: Uns ſoll die Wiſſenſchaft zum Zeitvertreibe dienen. *Cato*, Romanus ille morum cenſor hunc in modum de utilitate artium et ſcientiarum ſeſe exprimit: *Si tibi*, inquit, *ſint filii*, *nec opes*, *tunc artibus illos inſtrue*, *quae poſſint inopem defendere vitam.* et rurſus: *diſce aliquid: nam cum ſubito fortuna recedit*, *ars remanet*, *vitamque hominis non deſerit unquam.* Quid quod *Octavianus Auguſtus* liberos

ſuos

ſuos in omni arte fecerit erudiri, ut, ſi quando ad egeſtatem venirent, haberent, unde honeſte viverent.

§. 269.

Tandem methodus in docendo ſemel recepta, et a ſuperiore ſuo praeſcripta, a profeſſore pro lubitu ſuo et ſine ſumma neceſſitate non varietur. Quis enim ignorat, quot et quantas Doctorum diſſenſiones et humanae ſocietatis diſſolutiones omni tempore invexerit in rempublicam literariam aeque ac civilem ſola methodi mutatio?

Scholion.

Olim philoſophia moralis, ſpeciatim Ethica aeque ac Jus Naturae methodo *paraenetica* in his terris, dein *paradigmatica* et *characteriſtica* in illis terris, demum *dogmatica* in iſtis terris tradi ſolebat, nec unquam ſubitanea methodi mutatio ſine pernicioſiſſima morum et ſtudiorum mutatione contigit. Eandem fere Ethicam ſeu Philoſophiam practicam *methodo mythologica* ſuo tempore Æſopus, *ſymbolica* Pythagoras, *Hieroglyphica* Ægyptii, *aenigmatica* Orientales et Hebraei ipſi tractarunt: unde factum, ut inſequentibus temporibus homines, docti quidem illi, aſt diverſo hoc metho-

thodi genere non satis initiati, falsas interpretationes, expositiones, commentarios, quin et falsas positiones in *Jus Naturae* et *Ethicam* turpiter introduxerint, unde non amplius emergere datur, nisi *per methodum dogmaticam* et *scientificam*. Plura videre est in Methodo *Pierii Valeriani* Hieroglyphica: item in methodo symbolica *Pauli Patris* de arcanis moralibus ex Pythagorae symbolis: rursus in Aenigmatica *Thom. Burneti* Archaeol. philosoph. p. 339. in Mythologica denique *Salust. philosoph.* de Diis et mundo, c. 4. §. 247. seq. edit. Thom. Gale: et *Macrob.* in somn. script. lib. I. c. 2. Caeterum docens ad captum discentium se accommodare debet. Alios atque alios aliter atque aliter docemus. In collegiis autem publicis et concionibus ad plurimos, adeoque ad eos praecipue docens attendat, quorum facultates cognoscitivae sunt imbecilliores. Hac enim ratione neminem negligit, et prodest cunctis. Plures regulas praxis et fervor bene docendi, officioque suo satisfaciendi condocebunt.

Sectio VIII. et ultima.

De *Methodo* veritatem proponendi per *scriptionem*, adeoque etiam per *convictionem* et *refutationem*.

§. 270.

Digitized by Google

§. 270.

Cum *methodus* historicas aeque ac philosophicas mathematicasque cognitiones in volumina et in libros congerendi sit *arbitraria*, et singulae fere disciplinae aliquid speciale habeant; ad *specialia* autem descendere infiniti res esset laboris, singulares leges de quocunque scriptionis genere praeterire, et nonnisi generales de scribendis libris in hac sectione proponere juvat, eoque magis, quia non quivis eruditus ad scriptionem *natus* est; sicut enim *poeta* nascitur, ita et *scriptor*. Plane quivis scriptorum quidem genitor est, quatenus cogitationes suas veluti *partum ingenii sui* in lucem publicam producit, ast complures tamen sunt, qui meditatione aut experimentis novas facilius inveniunt veritates, quam inventas in librum publici saporis redigere possunt, ut adeo non raro plures dentur abortus, quam formosae ingenii progenies, quae patris imaginem referunt.

Scholion.

Varia dantur scriptionum genera: veluti *satyrae, poemata, comoediae, tragoediae, fabulae, romanenses*

manenſes narrationes, et hujus generis alia, quorum praecepta alibi invenies. Nos nonniſi de *libris hiſtoricis* et *dogmaticis* agemus.

§. 271.

Quicunque veritatis cognitionem aliis *ſcribendo* proponere cupit, is 1) aut *hiſtorice* quid refert, aut 2) *diſciplinam*, ejusve *partem* tractat, et explicat, aut 3) alios *convincit*, aut denique 4) aliorum errores *refutat*.

Scholion.

1) Ad librum *hiſtoricum* requiritur, ut in eo veritas triumphet: ſecus non eſt *hiſtoria*, ſed *narratio*, uti dicitur, *romanenſis*. Requiritur etiam, ut ea, quae facta ſunt, juſto ordine temporis, loci, aliarumque circumſtantiarum ibidem recenſeantur. 2) Liber de diſciplina aliqua, ejusve parte ſcriptus contineat veritates generales de principiis rerum, earumque qualitatibus, ita quidem, ut Lector et iſtas res, quas alii ſunt experti, aeque ac veritates ab aliis explicatas et demonſtratas, diſtincte ſibi valeat repraeſentare. 3) Alterum eo adigere, ut de veritate vel falſitate propoſitionis alicujus ob allatam demonſtrationem certus fiat, eſt *alterum convincere*. *Convictio* igitur eſt ſcriptio, qua efficimus, ut alter veritatem certam eſſe agnoſcat. 4) con-

Digitized by Google

Convincere aliquem de propositionis, quam tenet, falsitate est *illum refutare*. Si aliquem, qui existentiam Dei negat, *convinco* de falsitate hujus propositionis suae, tunc illum refutare dicor. *Impugnare* econtra dicor, si insufficienter probo falsitatem propositionis, quam alter pro vera habet. Sic hypothesis terrae motae ab iis, qui eo concesso nidum suum semel derelictum non amplius inventuras esse aviculas garriunt, per hoc non refutatur, sed tantum impugnatur.

§. 272.

Historias scripturus, cum completa historiae narratio sit omnino magnae utilitatis; res enim maximae saepius e parvis vilibusque egressae sunt initiis, *e simultaneis* et *successivis factis* nihil omittat, quantum quidem scopus praefixus postulat. Quodsi scriptor, cur et quomodo possibile fuerit, ut res ita contigerint, et non aliter, causas quoque alleget, tunc narratio ejus speciali nomine historiae pragmaticae insigniri solet.

Scholion.

Completam siquis scribere cupit L. B. de Laudon, Herois Austriaci haud multis abhinc mensibus defuncti, tunc onus ipsi incumbit,

ut parentes, locum nativitatis aeque ac diem, menſem et annum, educationem, inſtitutionem, temperamentum et mores, item res pacis, bellique tempore geſtas, inſignia gentilitia aut recens acquiſita, armorum praemia, et honores, mortem denique, famamque poſt mortem ejus ordine chronologico et geographico atque ſtilo hiſtorico recenſeat, quin imo et cauſas alleget, qui fieri potuerit, ut ex infimis ſervitiis militaribus ad ſummum belliducis faſtigium aſcenderit.

§. 273.

Quandoquidem facta 1) aut *in ipſa natura*, 2) aut *inter artifices*, 3) aut *in Eccleſia*, 4) aut *in regno politico*, 5) aut *inter eruditos*, 6) aut denique *in vita privata hujus vel illius hominis* acciderunt, hinc libri hiſtorici in ſex claſſes dividi ſolent.

Scholion.

Quamcunque ex his ſex hiſtoriae claſſibus ſcribendam ſibi quis ſumpſerit, ille non modo regulas *ſanae Criticae*, *Chronologiam*, *Geographiam*, *Genealogiam* et *Heraldicam*, veluti praeſentiſſima hiſtoriarum adminicula ante oculos ſibi ponat, ſed et *ſelectum* faciat factorum: faciet autem ſelectum, quando ad probationem factorum nihil affert, niſi teſtimonia auctorum

ctorum originalium, illorum scilicet, qui eodem tempore vel paulo post scripsere; memoria enim facti alicujus non diu durat, et ad summum attingit centum annos ex eo tempore, quo vita hominum sexaginta aut octoginta annorum limite circumscribitur. Enimvero cum optimus quisque historiis interdum addat aliquid de suo, etiam de eo non cogitans, facile intelligitur, quod historiae, diversis postmodum seculis scriptae tanta non polleant certitudine, ut ipsis fides indubia haberi possit. Hinc traditiones anonymorum et vetustissimorum historicorum, praesertim nec loco nec anno signatae, fidem vix ac ne vix quidem merentur: nam etsi dicas, historias hasce originales potuisse perire cum tempore, hoc tamen sine probatione asseris; et cur mihi non liceat dicere, illas nunquam contigisse? nisi vir scilicet admodum spectatus ejusmodi historiam afferat, commemoretque, originalia se suo tempore legisse, quae hodie non amplius existunt.

§. 276.

Cum *Historia naturalis* sit recensio phaenomenorum, notatu dignissimorum, quae in rebus creatis, earumque viribus observantur, historiae naturalis scriptor 1) sufficientes recenseat rerum naturalium notas, ut distinctam

et completam de illis ideam ſibi formare lector queat; e. gr. *de herbis, animalibus, lapidibus &c.* 2) Accurate annotet operationes et effectus rerum naturalium quoad qualitatem aeque ac quantitatem: e. gr. *in magnete, non ſolum quod ferrum attrahat, ſed et quantus ipſe ſit, quantumque ferri pondus ipſi adhaerens, et in quanta diſtantia* attrahat. Inde leves et vagabundi hominum animi in conſiderandis experimentis triplicis regni naturae figuntur, et cognoſcere coguntur DEum ex operibus ſuis, ex quibus intellectus infinitus eluceſcit.

Scholion.

Huc referuntur omnes libri, in quibus experimenta recenſentur. Ita *Plinius* nobis reliquit hiſtoriam naturalem.

§. 275.

Cum *hiſtoria artificialis* ſit narratio de origine, fatis, incremento et decremento artium, ſcriptoris eſt recenſere *perſonas*, quae hanc vel illam artem invenerunt, inventamve auxerunt et perfecerunt 1) nec praetereat ſilentio *occaſiones*, quibus factum eſt, ut artes vel inventae fuerint, vel creverint, vel decreverint. 2)

Scho-

Scholion.

1) Plurimae, maximaeque artes nonnisi fortuito casu fuerunt inventae, id est, per Dei providentiam, humano generi de necessitatibus et commoditatibus suis invigilantem inchoatae, ordinatae atque perfectae sunt. Hinc juvenibus in docenda antiquitate ostendi oportet, quas artes et machinas, quaeque instrumenta ignoraverint veteres.

2) Dantur aliquoties homines morosi, pertinaces et invidi, qui artem suam sibi non superstitem, nec cum aliis communicatam, sed una secum sepultam malunt. Tantum abest, ut ejusmodi homines majora dent artibus incrementa, ut iis ne quidem caveant a decrementis.

§. 276.

Scripturus *Historiam Ecclesiasticam*, seu ea, quae contigerunt in *Ecclesia Dei*, cum Ecclesia consistat in doctoribus et auditoribus, ante omnia commemoret non solum *vitas* illorum doctorum, quibus tanquam instrumentis in Ecclesia plantanda et conservanda usus est Deus, sed *modos* quoque et *adminicula*, quae tam Deus quam ipsius servi in Ecclesia ad homines convertendos, ac in fide confirmandos usurparunt, nec non et *impedimenta* atque

difficultates, quas ſuperare debuit Eccleſia, ut majora caperet incrementa, et hominum aeterna ſalus promoveretur, unde providentia divina in gubernanda Eccleſia manifeſtatur.

Scholion.

Huc pertinent *ſchismata* et *haereſes*, item *uſus* et *abuſus* rerum ſacrarum et religioſarum, *nexus* inter imperia et regna politica, atque *ſtatus rei literariae.*

§. 277.

Hiſtoria Politica ſeu *Civilis* cum ſit narratio rerum memorabilium, in regnis et imperiis politicis contingentium, *regnum* autem vel *Imperium politicum* ſit ſocietas imperantes inter et ſubditos ad promovendam ſalutem publicam inita: conſequens eſt, ut ſcripturus hiſtoriam politicam non modo *vitas*, res *geſtas*, *bella*, *faedera*, *ordinationes* belli pacisque tempore factas, tam *oeconomicas* ſeu *camerales*, quam *ſtatiſticas* circa ſacra, juſtitiam, politiam, nec non ſecuritatem externam et internam, uti et *mores* et *ſtudia illorum*, qui clavum imperii tenuerunt, juxta normam *chronologiae* et *geographiae*

graphiae recenſeat, ſed etiam *adminicula*, *vias*, *modos* et *occaſiones* internarum regni conſtitutionum, et ordinationum, quibus regnum aliquod partim ad tantum ſplendorem, opulentiam et potentiam fuerit evectum, partim rurſus ab hoc faſtigio per luxum, ſeditionem, hoſtiumve invaſionem deturbatum; et denique *harmoniam* et *disharmoniam* regnum politicum inter et Eccleſiam, ſervato ordine in medium producat.

Scholion.

Diſparitas opinionum et doctrinarum in rebus religionem tangentibus faciem regni germanici diverſis temporibus totam mutavit. Jacobus II, Rex Angliae, religionem mutare molitus eſt: aſt eo molimine tota conſtitutio hodierna regni anglici exorta eſt, et ſimul ipſe Jacobus II. ſuam amiſit coronam. Uno verbo: Lectio hiſtoriae politicae aeque parit *prudentiam politicam*, ac lectio hiſtoriae eccleſiaſticae *prudentiam theologicam*. Pariter quivis juſtitiam Dei in remunerandis virtutibus et puniendis vitiis cognoſcit ex hiſtoria regnorum.

§. 278.

Hiſtoria literaria eſt narratio de ſcientiarum

Digitized by Google

origine, transmigratione ab una natione ad alteram, fatis, incrementis et decrementis. Enimvero cum illi, quorum labor verſatur in ſcientiis, dicantur docti, adminicula vero, quorum ope docentur et propagantur ſcientiae, praecipua ſint libri, inſtrumenta et machinae, haud difficulter eſt ad intelligendum, quod *hiſtoriam literariam ſcripturus* non ſolum vitas doctorum, modos eorum atque vias, quibus ad eruditionem ſuam pervenere, et ſpeciatim, qua ratione hanc vel illam ſcientiam in gradu eminenti acquiſiverunt, *fideliter et diſtincte referre*, ſed etiam libros, materiasque, quas tractarunt et ediderunt, item ſtilum, ordinem, fata, optimas editiones &c. *luculenter deſcribere debeat*, ita, ut adminicula, cauſae et molimina, quibus variae ſcientiae et dogmata ſunt inventa, emendata, aut rurſus in decrementum prolapſa aut omnino deperdita et amiſſa ſunt, in oculos incurrant.

Scholion.

Inde factum eſt, ut multorum dogmatum, hypotheſium, aliarumque doctrinarum

rum peculiarium origo, incrementa et decrementa, commoda et incommoda peculiaribus tractatibus in lucem publicam prodierint, e. g. *de motu terrae circa solem*, de *animabus brutorum*, de *immortalitate animae*, de *incolis planetarum*, de *circulatione sanguinis &c.*

§. 279.

Historia miscellanea est recensio diversarum rerum, factorumque memorabilium, quae in vitis hominum privatis contigisse constat. *Historiae miscellaneae scriptor* causas, occasiones, modos et rationes, cur et quomodo huic vel illi hoc vel illud contigerit, stilo puro et perspicuo ita proponat, ut distincte perspici possint, et lectorem in omni vita sua cautum reddant, ac liberum a praejudiciis, ex aliorum damno cognitis atque perspectis.

Scholion.

Huc pertinent *Memoires*, *Diaria*, *Journaux*. Interim de scriptionibus historicis generaliter loquendo nihil magis dedecet historicum, quam fingere, quae nemo memoriae prodidit, judicia interponere, personarum characteres magis ex suo ingenio, quam secundum rei veritatem, inferere, oratiunculas nunquam habitas comminisci, affectus movere, res denique

nique mediocres exaggerare pro lubitu, et magnas diminuere. O quam praeclarae artes, quas quidam Varillasio, Maimburgio, aliisque hujus generis scriptoribus liberaliter tribuunt.

Stilum quod attinet historicum, ille a philosophico differt. *Historicus* amat *puritatem, concinnitatem, perspicuitatem*, imo *gravitatem* et *pulchritudinem* seu *elegantiam*. Elegantissimus est *Livius*. Graves sunt *Polybius*, *Tacitus*, *Thuanus*, *Cominaeus* et nonnulli alii. Perspicui sunt praeprimis *Cornelius Nepos*, et *Jul. Caesar*, paulo obscuriores sunt *Sallustius* et *Tacitus*, quorum uterque *Thucydidem* videtur imitatus. Abhorret econtra stilus historicus a *vehementia* seu increpatione hominum, a *parenthyrso* et *hyperbole*. Ineptus est *Vellejus Paterculus*, qui ubique immiscet panegyricos: ineptus etiam *Florus*, qui non nunquam fasces et secures in viros gravissimos expedit. *Figurae* item, affectibus movendis inventae, historicum dedecent, uti et *interrogationes* et *exclamationes*. Unde frigidum est, quod *Florus* saepe exclamationes narrationibus, quasi per parenthesin, interserit. Nihil autem frigidius est *hyperbole* in historia. Hanc quoque in *Floro* aliquoties invenire est. Sed nec *Curtius* ab hoc vitio abstinuit. Plura vide in Joan. Gottl. Heineccii Ic. fundamentis stili cultioris. Part. I. Cap. 2. §. 57.

§. 280.

Digitized by Google

§. 280.

Libri dogmatici, qui veritates generales de principiis rerum earumque qualitatibus continent, dividi solent in historico-dogmaticos, et systematico-dogmaticos. *Historico-dogmaticus* est ille, qui tantummodo aliorum dogmata seu propositiones universales, earumque demonstrationes enarrat, et pertinet ad *historiam literariam*. *Systematico-dogmaticus* est ille, qui res ipsas explicat et definit, suasque propositiones demonstrat. Liber systematico-dogmaticus vel continet veritates demonstrabiles, vel tantum probabiles, ut adeo quaerendum superfit, *quomodo* veritates *certae* sint proponendae dogmatice, et *quomodo* veritates *probabiles*.

Scholion.

Methodi, quibus veteres interdum mirifice delectabantur, hodie non sunt amplius publici saporis, *Methodus* veluti *Scholastica*, qua *syllogistice* et *formaliter* omnia proponuntur; *methodus causarum*, sc. materialium, formalium, efficientium et finalium, proximarum et remotarum &c, quae Ramistis potissimum arrisit; *Erotematica*, quae per quaestiones et respon-

ſponſiones abſolvitur, magisque in pueros et tirones, quam doctos quadrat; *dialogiſtica*, quae ad perſuadendum potius quam convincendum et docendum ſervit; et *miſcella* denique, qua omnia ſine ordine, et prout calamum ſubeunt, effundi ſolent.

§. 281.

Diſciplinam, vel ejus partem, ſi innixa ſit veritatibus certis, propoſiturus, in conficiendo *libro ſyſtematico - dogmatico* initium faciat a principiis, ab iisque firmiter ſtabilitis ad concluſiones eo ordine, nexuque perpetuo deſcendat, ut poſteriora ex prioribus intelligantur, et conſequentia ex antecedentibus demonſtrentur, prouti mathematici in ſuis doctrinis procedere ſolent.

Scholion.

Hinc *methodus mathematica* reliquis omnibus praeferenda eſt, ſive ſingulae propoſitiones more mathematicorum ſemper *ſuis nominibus* appellentur, ſive non, modo *ipſius ordo* obſervetur, et *nexus* oſtendatur *principia* inter et *concluſiones*: nam lector ipſemet poterit cognoſcere, utrum praeſens propoſitio ſit axioma vel poſtulatum, theorema vel problema, corollarium vel ſcholion, principium vel nclusio &c.

§. 282.

Digitized by Google

§. 282.

Liber ſyſtematico-dogmaticus, cum non debeat legi, qui non vult intelligi, *perſpicuus* ſit oportet, adeoque definitionibus careat obſcuris: *idem liber*, cum aſſerta ſua per principia certa et indubitata demonſtret, principia certa autem ſint *experientiae*, *definitiones* et *propoſitiones indemonſtrabiles*, aut ſaltem *jam demonſtratae*, etiam *ſolidus* ſit oportet; ſolus enim ille liber dicitur ſolide ſcriptus, in quo praeter ſupradicta principia, nihil ſine demonſtratione admittitur: Idem *liber*, cum in eo conſequentia ex antecedentibus explicari poſſe et intelligi debeant, modus autem, quo propoſitiones ita ſe invicem conſequuntur, dicatur *ordo*, luculenter patet, quod debeat eſſe *ordinatus*: *Idem liber*, cum non modo res definiat et explicet, ſed propoſitiones quoque demonſtret, quibus *omnes illae* inſunt *veritates*, quae ad rem iſtam, de qua ſcriptor agit, pertinent, debet eſſe *completus*: hujusmodi libris enim *explicatio completa* ineſſe dicitur. *Scopus* auctoris e titulo libri et praefatione cognoſcibilis eſt quaſi menſura, ad quam exi-

gi

gi debet liber, utrum completam habeat expositionem aut narrationem, nec ne. *Perspicuitas* igitur, *soliditas*, *ordo* et *completa expositio* sunt dotes requisitae libri systematico-dogmatici.

Scholion.

Ordo alius est *scholae*, alius *naturae*: ille omnia, quae ad materiam aliquam pertinent, separatim congerit, adeoque non tam scribendis libris systematico-dogmaticis quam historicis est aptus. Sic Anatomici, quidquid de ossibus corporis humani norunt, in uno capite, quod *Osteologia* inscribitur, congerunt et proponunt. Hic autem omnia ita proponit, ut semper unum ex altero intelligi, nexusque inter antecedentia et consequentia ostendi possit. Per *ordinem naturae* igitur sapiunt discipuli, judiciumque firmum acquirunt: per *ordinem scholae* autem memoria eorum obruitur, et parum aut nihil ad intellectum penetrat. Cum jam merito *ordo scholae* sequatur *ordinem naturae*, uti *imago* sequitur *archetypum*, et *copia vidimata originale*, hinc ordo scholae solus in libris systematico-dogmaticis absque ordine naturae locum habere nequit. Hinc libri solo ordine scholae scripti plerumque sunt *obscuri* aut *confusi* et *superficiales*, id est, non solide scripti. Dolendum proin, si discipuli et tyrones in volven-

dis

dis ejusmodi libris superficiariis optimas aetatis suae vires et tempus pretiosissimum ponant, atque persaepe oleum et operam perdant.

§ 283.

Librum systematico - dogmaticum de veritate quadam *probabili* scripturus, initium faciat *recensendo phaenomena* secundum ordinem, ita, ut faciliora difficilioribus, et simplicia compositis praemittantur. 1) Iis recensitis afferat aliorum hypotheses, hisque rite explicatis, judicatisque, quae illas premunt, difficultatibus, suam proponat, eamque phaenomenis omnibus et meteoris satisfacere ostendat. 2) ita quidem, ut sua hypothesis exinde *summum*, aut certe *medium* probabilitatis physicae *gradum* obtineat. Obtinebit autem supremum gradum, si ita est comparata, ut vel positis iisdem causis idem effectus sequatur, seu phaenomenon, vel eadem phaenomena per artem exhiberi possint: 3) quando enim vel *unum phaenomenon* ex hypothesi sua explicari nequit, tunc vel omnino non videbitur probabilis, vel saltem *infimum*

probabilitatis gradum non excedet: econtra aſcendet ad ſecundum gradum probabilitatis, quoties phaenomena ex tali hypotheſi abſque ſubtili et coacta ratiocinatione poterunt explicari. 4).

Scholion.

1) Si quis medicorum hanc propoſitionem aſſumeret, *animam phyſice agere in corpus et viciſſim*, pro principio ſuae diſſertationis, quam ſcribere cupit, tunc ante omnia recenſere deberet phaenomena in corpore humano contingentia, iisque recenſitis oſtendere, quantae difficultates premant ſyſtema cauſarum occaſionaliumaeque ac hypotheſin Harmoniae praeſtabilitae, iisque ad examen vocatis, judicatisque ſuam in medium producere hypotheſin et oſtendere, ſenſiones et phaenomena omnia inde commodiſſime explicari poſſe. Hoc ſi praeſtiterit, ſecundum probabilitatis gradum ſua obtinebit hypotheſis.

2) Scripturus de veritate probabili *principiis* opus habet. Principia petuntur vel *a priori*, id eſt, ex Ontologia et Cosmologia; vel *a poſteriori*, ſcilicet ex obſervationibus et experimentis: haec ſunt principia veritatis certae: aſt veritatis probabilis principia ſunt longe alia, ſcilicet hypotheſes, et quidem vel hiſtorica, phyſica, hermeneutica, politica et moralis, de quibus ſupra Sectione III. egimus. 3)

Digitized by Google

3) Quod irruptio aëris craſſioris et compreſſi in regionem aëris tenuioris et rarefacti ſit cauſa ventorum, eſt propoſitio probabilis in ſummo gradu: non ſolum enim omnia phaenomena ventorum inde explicari commodiſſime poſſunt, ſed etiam ventus hoc modo per aeoli pilam &c produci poteſt.

4) Unde hypotheſis nititur phaenomenis ſufficienter exploratis et notione eorum diſtincta vel ſaltem clara; ſecus contingere poterit, ut faetum imaginationis, adeoque chimaeram pro phaenomeno habeas.

§. 284.

Libellum ſyſtematico - dogmaticum ſcripturus de *indole alicujus perſonae* eodem modo procedat auctor, quo ſupra, recenſendo ſcilicet plura ejusdem perſonae phaenomena, ex iisque concludendo de ejusdem indole. 1) Pariter ſcripturus de *alicujus eventus probabilitate practica* inprimis narret principia phyſica et moralia, indeque praedicat eventum futurum. 2) Scriptor *exegetica* tractaturus *textum* ſibi ante oculos ponat, ejusque *ſcopum* ex occaſione illi ſcribendo data, et hiſtoria, uti et ex antecedentibus et conſequentibus ſedulo exploret, atque examinet, an

textus ipſe juxta leges ſanae critices recte ſe habeat; dein dividat textum *in ſua membra*, atque ſingula membra ſecundum regulas de probabilitate hermeneutica explicet, ac demum *poriſmata* ſeu *conſectaria*, dogmatica non minus ac elenchtica, inde eruat. 3)

Scholion.

1) Si in *Petro* obſervas ſigna temperamenti ſanguinei, tunc ad praecipuas inclinationes cum hocce temperamento conjunctas concludere probabiliter potes. Obſervas in eodem hilaritatem vultus, jocandi ſtudium, inconſtantiam, prodigalitatem, et propenſionem ad mendacium, otium et fugam laboris; quid impedit, quo minus ex his ſenſionibus ſeu phaenomenis *probabiliter* colligas, Petrum eſſe *ſanguineum*, atque illum maxime ſecundum hanc regulam agere: *quidquid mihi jucundum eſt, et ſenſus titillat, illud mihi bonum eſt, illudque ſuſcipio.* Si in Paulo ſtatum corporis ad oſtentationem compoſitum, gravem inceſſum, ſequipedalia verba, ſtudium decori &c. obſervas, tunc inde *probabiliter* concludis, Paulum eſſe cholericum, eumque (niſi philoſophia moralis aut doctrina religionis mores ipſius emendaverit) juxta hanc regulam agere: quidquid mihi honorificum eſt, illud ambio et ſuſcipio. Scilicet naturam furca expellas, tamen usque redibit: ſcilicet redibit inclinatio, etſi eidem reſiſtere conamur.

Digitized by Google

2) Cum Principis alicujus minister, usu rerum subactus, certas quasdam circumstantias, quas adfuisse meminit in aliis principatibus, qui funestas experti sunt eversiones, in suo principatu observat, tunc *probabiliter* praedicit, principis sui rempublicam collapsum iri. 3) Non toleranda igitur est lectio textus tumultuaria, qua extra contextum et connexionem tantum illos passus arripimus, ex quibus viro sapienti errores ridiculos et pueriles, aut plane impios et blasphemos imputemus, nisi illorum convinci possit.

§. 285.

Ex hactenus allatis patet, quem modum scriptor operis systematico-dogmatici in proponenda veritate certa et probabili teneat, ita, ut lector de ejusmodi veritate *convincatur*, et assensus ejusdem impetretur. 1) Jam transeamus ad modum, falsitatem certam vel probabilem proponendi, adeoque *refutandi*, ita, ut is, qui propositionem *certo* vel *probabiliter falsam* tenet, eam *qua talem* agnoscat, ejusque dissensus vel invito extorqueatur.

Scholion.

1) Qui convincit, demonstrat; et qui de-

monſtrat, convincit. Hoc adagium procedit circa veritates certas in ſenſu ſtricto. Cum autem illa propoſitio ſit *probabilis*, in qua praedicatum ſubjecto tribuimus ob quaedam tantum requiſita veritatis, adeoque ob rationem ad demonſtrandum inſufficientem, hinc in ſenſu ſtricto non datur *convictio* circa veritatem probabilem, ſed tantum in *ſenſu laxiori*; adeoque potius *perſuaſio* et *fides philoſophica* in tali caſu locum habet. Ita ruſticus ruſtico perſuadet, ut hanc propoſitionem: *ſaltare et ludere chriſtianos non dedecet*, pro certa habeat; cur? quia Dominus Parochus ipſe ſaltat et ludit. En rationem inſufficientem. Si quis examinare vellet, an de propoſitione allata ſit *convictus*, vel tantummodo *perſuaſus*: ille indaget, an e principiis certis ratiocinium ſit legitime deductum, et an ideas diſtinctas et completas ſubjecti et praedicati, id eſt, bonas definitiones habeat: has ſi habet, de veritate illius propoſitionis erit convictus. Secus ſibi *perſuaſum* credat. Hinc qui ſibi non vult *perſuaderi*, praejudiciis, incertisque propoſitionibus nuncium mittat. 2) Ad evitandam logomachiam refutans formare debet *ſtatum controverſiae*, id eſt, terminos refutandae propoſitionis *accurate definire*, eo fine, ut refutandus agnoſcat, praedicatum et ſubjectum propoſitionis ſuae a refutante recte intelligi.

§. 286.

§. 286.

Quemadmodum verum vel eſt certo verum 1) vel probabiliter 2) verum, ita et falſum vel eſt certo falſum, vel probabiliter falſum. 3) Refutaturus ergo, cum alterum convincere velit de falſitate propoſitionis, quam affert; qui autem convincere vult, demonſtrare debeat, id eſt, alterum certum reddere de falſitate ſui aſſerti, eamque vel per *experientiam* et *oſtenſionem*, vel per *demonſtrationem* ante oculos ponere teneatur, conſequens eſt, ut propoſitio *vera* non quidem *refutari*, bene tamen *impugnari* poſſit, id eſt, quod variae poſſint adverſus eam afferri *rationes dubitandi*, utque is, qui propoſitionem aliquam demonſtravit, eo ipſo contrariam illius propoſitionis refutaverit. 4)

Scholion.

1) Ope oſtenſionis ſeu experientiae probo, *dari colorem viridem*, item *ignem hunc eſſe calidum ſeu urere.* Ope demonſtrationis probo, *duos angulos rectos aequales eſſe ſemicirculo.* 2) Adminiculo hypotheſeos probo, *vitrum ideo eſſe pellucidum, quia meros habet poros rectilineos, et ſaxum eſſe opacum, quia poris ſcatet curvilineis et diverſimode mixtis.* 3) Sic certo falſum eſt, ig-

nem esse frigidum, dari figuram duabus lineis inclusam, duos angulos trianguli aequales esse semicirculo, quadratum hypothenusae esse majus aut minus reliquis duobus quadratis cathedi et baseos, quamvis intellectus nonnisi praevia demonstratione capiat et agnoscat fallitatem posteriorum duarum propositionum. Haud absimiliter probabiliter falsum videtur, *in planetis non existere animalia viva, mentem nostram ante corpus extitisse, omnes morbos oriri ex vermiculis.* 4) Si quis demonstravit, *non dari adiaphora*, hoc ipso refutavit hujus propositionis contrarium, scilicet *dari adiaphora*.

§. 287.

Cum in civili aeque ac naturali statu *complures actiones*, quatenus certae ac demonstratae veritates non semper de bonitate, licentia et securitate actionum haberi nequeunt, ad normam veritatis probabilis *poni aut omitti* necesse sit, atque pleraque negotia tam publica quam privata *ad probabiles* tantum pertineant *veritates*, uti experientia testatur quotidiana, hinc *probabilis* veritas intelligitur, etsi illa minus convincit intellectum quam *certa*, non minus tamen, quam haec, *in vita communi* esse utilis, quin et ita comparata, ut, quia probabilitas suos aliquando gradus habet,

bet, a veritate certa parum differat, et consequenter operae pretium sit, ut veritates probabiles non rejiciamus semper, sed falsitates, quantum fieri potest, probabiles indicemus et refutemus, ne propositioni probabiliter falsae actiones nostras conformemus, et in dubio practico agamus.

Scholion.

Sicut probabiliter verum, ita et probabiliter falsum aliquando *certo tale* fieri potest. Majoribus nostris probabiliter verum visum est, *dari circulationem sanguinis*: ast de ea nobis hodie certissime constat: Majoribus nostris etiam probabiliter falsum visum est, *ultra mare Atlanticum non occurrere terram continentem*: ast nobis hodie certo falsum est, *non dari antipodes*. *Christophorus Columbus* detexit anno 1490. Americam, et sic refutando illud, quod antea erat nonnisi *probabiliter falsum*, ad oculum ostendit, ultra mare Atlanticum non occurrere terram continentem esse *certo falsum*. Refutavit nimirum Columbus praejudicium quoddam, non quidem per longam ratiocinationum seriem, at per longam tamen et periculosam navigationem atque ostensionem.

§. 288.

Cum *scommata* et *dicteria* excitent affectum,

affectusque turbet mentem alterius, ita, ut attentio ad convictionem requisita perdatur, refutantis officium autem sit alterum convincere de falsitate suae propositionis, facile est ad intelligendum, *quod alterum refutaturus a scommatis et dicteriis abstinere debeat, adeoque alterum aliorum odio et contumeliis exponere non studeat.*

Scholion.

Quisquis hanc regulam violare non erubescit, malitiosi hominis, stultive nomine infamis, ut audiatur, non meretur. *Ethnici*, christianos non refutaturi, sed odio caesaris aliorumque exposituri ita argumentabantur. *Qui credit, licitum non esse, in salutem et sanitatem Caesaris afferre thura ad altaria Deorum, ille Caesaris hostis est et rebellis: atqui Christiani credunt, licitum non esse &c. ergo Christiani sunt hostes caesaris et rebelles.*

§. 289.

Enimvero cum refutator refutandum convincere velit erroris, adeoque vel a posteriori, vel a priori, de quo utroque demonstrandi modo jam supra scripsimus, demonstratio autem in tali casu optime procedat, si ex principiis a refutando concessis sumatur, consequens est, ut, si refutandus vel plane

nulla

nulla novit principia, vel praefracte nulla concedat, contra eum non sit disputandum, adeoque nec defendendum.

Scholion.

Defendere dicimur, si retundimus calumniam aut errorem imputatum. *Defensio* igitur est retusio calumniae, erroriſve imputati. Scripta, quibus continentur defensiones, vocantur *apologetica*; scripta autem, quibus errores aut refutantur, aut oppugnantur, *polemica* dici solent.

§. 290.

Modus ex alterius propositionibus, illegitima ratione odiosas, contumelioſas et periculoſas eliciendi propositiones, vocatur *consequentiarum fabricatio*. Cum ejusmodi fabricatio pro scopo non habeat, ut alter refutetur et erroris convincatur, sed tantummodo, ut odio et invidiae exponatur, *argumenta* autem ejusmodi *ab odio et ab invidia ducta* prorsus differant a demonstratione indirecta, qua refutator sapiens uti deberet, luculenter apparet, quod consequentiarum fabricatores refutandum non modo ad iram et ad alios affectus, veluti totidem convictionis impedimenta, turpiter concitent, sed etiam juris natu-

naturalis legem transgrediantur, eosque imitari scelus sit.

Scholion.

Ex historiis antiquioribus et recentioribus facili negotio ostendi potest, quot funestas scenas ejusmodi *argumentatio ab invidia et odio ducta* in utroque foro aeque, ac in scholis aperuerit, quamque turpiter hoc argumentum a *consequentiariis* et *persecutoribus* contra praecepta Dei, naturae et hominum ad praxin nullo non tempore sit translatum. Abeant igitur in tenebras ejusmodi persecutores, qui in discrimen famae, fortunae aut plane etiam vitae adducere nefarie moliuntur diffidentes, rationibus extrinsecis moti quidem, aut veritatis defensorum speciem tamen praeseferentes. Procul absint ab hac Logica genuina, in qua praescribuntur regulae, quibus utuntur omnes homines in vero cognoscendo, quarumque *ratio sufficiens*, non in hominum odio et invidia, sed in essentia animae humanae et natura rerum continetur.

F I N I S.

INDEX
RERUM, ac MATERIARUM PRAECIPUARUM.

Numerus indicat *Paginam.*

A.

Abſtracta Idea. 10 78 323.
Abſtractione ex Ideis individualibus et ſingularibus fiunt univerſales. 11 76 323.
Abſurdum. 346 445 453 455 459 470.
Accidens praedicamentale. 127 140
Accidentia. 59 118.
Actio. 128 145 146 400.
Actionum ſeries. 378.
Adaequata Idea. 55 58.
Admirabile. 369.
Adperceptio, ſeu Apperceptio. 42.
Adminicula 521 523 524.
Æquipollentia. 163 166 170 183.
ejus Regulae. 184.
Æquitas in interpretando. 389 476. cerebrina. 389 478 479.
Æquivocus. 85.
Aëris Elaſticitas. 323.
Affectus in veritatis ſtudio impedit. 539 540 541.

Digitized by Google

Affectus Scriptoris. 384 385.
Affirmare. 150.
Alienatio. 429 431
Alteratio. 408.
Amphibolia. 454.
Ampliatio. 429 430.
Analogia. 196 178 343 381 459. juris. 389
Analyſis Idearum. 56. Definitionum. 115. Propoſitionum. 535. &c. Demonſtrationum. ibid.
Anima. 9 241 279 284 328 279 335 395. ejus immortalitas. 311 328 333 336.
Antecedens. 230 231 244 459.
Antitheſis. 487 492
Antinomia. 453.
Apparentia. 261.
Apparitio mortuorum. 346.
Appellatio. 429 431.
Apprehenſio ſimplex. 43.
Argumentum ab eſſe ad poſſe. 336.
Argumentum ab odio, vel invidia. 541 542. ad hominem. 347. ab analogia ſumtum. 343 238.
Arbor porphyriana. 69.
Ars inveniendi, ſeu heuriſtica. 167. aſtrologica 299. obſervandi, et experimentandi. 167 282. cogitandi. 29.
Aſſociatio Idearum. 190.

Atten-

Attentio. 501.
Attendendi vis. 11 14.
Attentionis neceſſitas. 41 45 287. uſus. 42 293.
Attributum. 102 118 444. commune. 103 141 proprium hominis. 103.
Auctoritas. 362 364. Perſonae ſumitur pro Hypotheſi in veritate hiſtorica. 358.
Avarus. 277.
Audiendi ratio. 499.
Auditus. 20.
Authoritas. 364 366.
Axioma. 161 163 364.

B.

Babel. 449.
Bonitas Definitionis. 52 Argumenti. 202 208 Diviſionis. 132
Bruta non ſyllogizant. 195.

C.

Caſus emergens. 456. Caſus exceptus. 456. Caſus ſingularisallegatio, et uſus. 162 203 238.
Cauſa. 374.
Categoria. 127.
Certitudo objectiva et ſubjectiva. 318.

Cer-

Digitized by Google

Certo verum vel certo falsum. 319 324 328.
Certum seu Certitudo. 317 319 324 361.
moralis. 362 349 361 442.
Certitudo moralis. 361 362.
Cessatio legis. 466.
Character. 45 100 344.
Christus. 310.
Circulus. 332. quadratus. 27.
Circulus in definiendo. 108. in demonstrando 275.
Circulus quid? 111 119 332.
Circumstantiae. 372 381.
Clara Idea. 45 46 52.
Cogitatio. 64 456 463 468.
Cognitio. historica vulgaris. 2 30 34 321.
arcana. 2 34. intuitiva. 44 430. mathematica. 2 30 32. philosophica. 2 30 32 36 292. symbolica, oppositа intuitivae. 430.
Combinatio idearum. 197 198.
Collisio. 457.
Colloquium. 485.
Comparatus terminus. 94.
Communis. 91 102 103 141. 66 73 194 197. 291.
Compendium 509.
Compositus sensus 270.
Comprehensio ideae. 66.
Conceptus. *vid.* Idea.

Con-

Digitized by Google

Concatenatio ſyllogismorum. 393.
Concluſio. 19 194 202 216.
Conditio. 258.
Conditio impoſſibilis. 387 445.
Conferre textus. 551.
Conjectura. 340 376. ejus ſpecies. 460.
Connexio verborum. 467. propoſitionum. 473.
Conſcientia. 24 41 42 137. morum 43 359.
Conſectarium. 166 396.
Conſequens. 168 188 202 230 231 244 459.
Conſequentia mediata. 163 230. immediata 163 166 169 257. ejus regulae. 259.
Conſequentiarius. 541.
Conſequentiae neceſſitas 202.
Conſequentis neceſſitas. 202.
Contextus. 533 535.
Contingens. 157 203.
Contradictio. 171.
Contrapoſitio. 180.
Contraria. 171.
Controverſiae ſtatus. 488 et 89. 536.
Converſio. 163 166 179 180. Converſio per accidens. 180.
Conficia dedecent diſputantem. 494.
Convictio. 442 516 535 536.

Digitized by Google

Convincens. 504 517 535 536.
Copernici hypotheſis. 357.
Copula. 150.
Copulativa ſuppoſitio. 427.
Corollarium. 166 396.
Corpus noſtrum. 20 21 59 139 140.
Corruptio. 408.
Cosmologia. 399.
Credere facta. 260.
Criteria. 320 321 442.

D.

Debilior Pars praemiſſarum. 216 222.
Deductio ad abſurdum. 346.
Defendens. 484.
Defendere. 482 541.
Definitio. 98 124 131 163. nominalis. 104 105 110. realis, ſeu genetica. 110 119 396. utriusque formatio. 112 113. juſto latior. 105. analyſis, et ſyntheſis. 115. juſto anguſtior. 105. negativa. 109. eſt principium demonſtrationis. 157. regulae bonae. 104 usque 125.
Definitum. 98 105.
Demonſtratio. 162 163 165 320. ejus materia. 323 325. ejus forma. 327. analytica ſeu a poſteriori. 327 350 352. ſynthetica, ſeu a priori. 327 350 352. directa, ſeu

Digitized by Google

seu oſtenſiva. 332 327 350. indirecta ſeu apagogica. 327 332 350.
Deſcriptio. 47 125. differt a definitione. 125.
Determinatio. 70.
Deus. 121 328 352 461. ejus attributa. 444.
Dialecticus. 261.
Dianoëticum. 286.
Dictare. 507.
Dictum de omni, et nullo. 209 212 213 465 466.
Differentia inter homines et bruta 75.
Differentia inter animae facultates. 27 28.
Differentia. 46 52 104. individualis ſeu numerica 70. ſpecifica. 103 104. Idearum formalis. 44. materialis. ibid. ejusdem omiſſio. 166.
Dijudicare. 411 413.
Dilemma. 235 237.
Diminutio. 429 431.
Dirigentia Principia ſyllogismi. 245.
Diſciplina ſeu doctrina principalis. 434.
Diſciplinares leges. 346.
Diſjuncta ſuppoſitio. 427.
Diſjunctiva ſuppoſitio. ibid.
Diſpenſatio. 467.
Diſpoſitio. 141 306. ad diſputandum. 487.
Diſputare. ibid.

Digitized by Google

Disputatio. 306 308 481 484. Socratica 496. ordinata. 488. ejus partes. ibid.
Dissertatio. 403 404 487.
Distinctio Scotistica et Thomistica. 489.
Distinctio. 133 209 214 263 495. in uno tertio. 215 489. ab uno tertio. 215.
Distractio. 429 430.
Distributiva suppositio. 427.
Divinatio. 340. 402.
Divisio. 131 137 395. ejusdem regulae 133. membra 132.
Divisum. 132.
Divisus sensus. 270.
Docere. 594.
Doctus vir. 503 524.
Dubitatio sapiens. 296 304 340. erronea. 17 305 344.
Dubium. 414.

E.

Eclecticus. 4.
Eclipsis. 99 236.
Elenchus. 263.
Emtio - venditio. 121 122 291.
Enthymema. 203 230.
Ens compositum. 109. simplex. 110 139. 197 275.

Epiche-

Digitized by Google

Epicherema. 230 242 277 — 279.
Epiſyllogismus. 442.
Errare. 264.
Error. 382 285 322 510.
Eruditio non dat novas animae facultates. 41.
Eſſentia, et eſſentialia. 101 102 123 400. hominis. 103. rerum. 431.
Etymologia. 104 398 449.
Evidentia. 309 328 361.
Examinare. 413 414 502 510.
Exceptio. 158 456 470.
Excerpta 438 439.
Exemplum 162 203 238 505 506.
Exiſtentia. 123 329 331 336 431. Dei 329 333 352 354 520. cauſae 374 375.
Experientia. 1 30 34 282 286 320 322. vulgaris. 2 282 283. artificialis, ſeu arcana. 2 282. externa. 7 282 283. interna. 7 282.
Experimentum. 167.
Explicatio vocum. 82 421 437 486 506 529.
Exponibile. 158 513.
Expoſitio 246 386 441 530. ejus ceſſatio. 387. moraliter certa. 443. erronea. 514.
Extenſio Ideae. 66.
Extenſum. 53.
Extremum ſyllogismi. 204.

Digitized by Google

Faber conſequentiarum. 541.

Facultas animae. 10 13.

Facultas cognoſcitiva nobilior. 10 24 41. ignobilior. 10 24. fingendi 194. abſtrahendi. 10. ſentiendi. 12 21 24.

Fallacia. 264 315. ſimplicis dictionis. 267 271. amphibologiae. 270. compoſitionis. ibid. diviſionis. ibid. accentus 268. figurae dictionis. ibid. accidentis. 271. dicti ſimpliciter, et ſecundum quid. 271 272. plurium quaeſtionum. ibid. ignorationis elenchi. ibid. conſequentis. ibid. petitionis principii. ibid. a non cauſa ut cauſa. ibid.

Falſa hypotheſis. 337 358.

Falſum. 311 312 319 324 348 358.

Falſiloquium. 311.

Felix. 241 396.

Fictio. 337 375.

Favores ampliandi. 475.

Favorabile quid. 476.

Fides. 4 83 296 346. hiſtorica 363. humana 363 371.

Figura. 144 221. ſyllogismi. 206 221 225. prima. 207 209 225 251 253. ſecunda. 207 225 251 254. tertia. 207 226 251 255. quarta, ſeu galenica. 207 227. earum leges. 208 209.

Digitized by Google

Finis auctoris. 384 388 436 437 452 529.
Finitum ens. 120 135.
Forma 144. respondendi in disputatione. 493. syllogistica 203 206 264 495.
Formido oppositi 317 319 441.
Fundamentum relationis. 62 144. interpretationis. 443 446 450.

G.

Generatio. 408.
Generis omissio. 166.
Genetica Definitio. 110 119.
Genus. 64 65 102 104. summum. 66. medium. ibid. infimum. 65.
Gradus cognitionis. 8 45 47 147 324 368 369 372 373 381. doctionis. 371. fidei. 371 372 373. probabilitatis. 371 — 384 531 532.
Gustus. 20.
Gymnosophista. 500.

H.

Habitus. 36 130 142 148.
Haereticus. 345 522.
Harmonia praestabilita. 341. inter regnum et Ecclesiam. 523.
Hermeneutica. 446.

Digitized by Google

Heuriſtica artificia. 167.
Hiſtoria artificialis. 518 520. civilis. 436 522. eccleſiaſtica. 436 521. literaria 436 523 527. naturalis 436 519. miſcellanea. 518 525. pragmatica. 517. completa. ib.
Hieroglyphica. 440.
Hominis Eſſentia. 69 102. Homonymia. 445.
Hypotheſis philoſophica. 335 356 460. hermeneutica 357 359. ejus formatio. 336 moralis. 357 359. hiſtorica. 358 363 371 phyſica. 338 357 359 374. politica ſeu practica. 357. probabilis ibid. ejus inventio. 401.

I.

Idea. 42 43 321 499. abſtracta 73. immaterialis. 46. praedicabilis. 73. falſa vel vera. 312 313. ſingularis. 152. univerſalis, ſeu communis. 66 73. partialis. 49 55 73. totalis. 49 53 57 58. omiſſionis, et commiſſionis. 290. materialis. 46 419. clara. 45 46 52. obſcura. 45 46 47 48. intuitiva. 44. formalis 419. confuſa. 49 51 96. completa. 50 53. incompleta. ibid. adaequata. 55 58. inadaequata. 56. abundans. 54 107. arbitraria. 75 79. deceptrix 81 82. modorum. 59. ſubſtantiae. ibid.

Ide-

Digitized by Google

Idearum acquisitio. 47 48 51 52. analysis. 56. similitudo. 189. ejus veritas, quomodo demonstranda? 312. ejus melioratio et decerioratio. 48. associatio. 190. differentia materialis et formalis. 46.
Idem seu identificari. 209 214.
Idiotismus. 416 446.
Ignorantia elenchi. 263.
Illuminatio. 57.
Imaginatio. 13 26 27 81 189 191 285 286.
Immortalitas animae. 9 279 284 328 333 335 336 387 443.
Impedimentum. 145 521. scientiarum 503.
Imperium. 522.
Impossibile. 157 247 345 350 367.
Improbabile 348.
Imguber. 467.
Impugnatio theseos. 482 517.
Imputatio 115.
Incertitudo. 318 319.
Individuum. 63 65 126 238.
Indoles. 28. 300.
Indorum systemata. 500.
Inductio. 203 230 237 461. completa. 237. incompleta. ibid.
Inferiora. 238.
Inficiatio. 263.

Digitized by Google

Infinitum. 120 135.
Infirmus. 304 345.
In fraudem legis vel pacti. 469.
Iniquitas. 478.
Ingenium. 26 515.
Inſenſibiles partes. 406.
Inſtantia in reſpondendo. 263.
Intellectus. 6 8 11 13 24 25 27 40 294 409 441.
Intelligere alterum. 82 308 415 420 421 444.
Intenſio 147.
Interpretis officium. 388 458.
Interpretatio. 383 386 388 390 441 466. logicalis. 479. ejus fontes. 384 443 471. declarativa. 386 390 463 465 474. extenſiva. 388 463 464 468 471 475. reſtrictiva. 388 390 463 464 470 472 475. myſtica. 390 391 488. recta. 444. erronea. 514.
Invenire. 401 395.
Inveniendi leges. 394 401.
Inuſitatum quid? 370.
Judicare. 150 151 340.
Judicium. 26 150 193. diſcurſivum. 18 19 152 286. excluſivum. 182. intuitivum. 19 152 286. ejusdem partes. 150 probabile. 356.

Digitized by Google

Lectio ſcriptorum. 433. ejusdem media. 434.
Leges bonae argumentationis. 202 208 209 uſque ad 216 et 237 definitionis. 164 uſque 125. diviſionis. 133 134. imaginationis. 189 191. methodi philoſophicae. 37 315. ſtyli. 383.
Lemma. 161 166 168 398 400.
Legis ceſſatio. 389 390 466.
Lex contradictoriorum. 178. contrariorum. 175. ſubalternorum, et ſubcontrar. 178. numerandi. 299 347. diſputandi. 495.
Liber. 433. 516. ſufficiens. 437 529. mancus 437. dogmaticus. 410 435 437 527. hiſtorico - dogmaticus. 411 435 516 527. hiſtoricus. 410 435 516 518. completus. 436 517. prohibitus. 347. polemicus. 452. ſyſtematico - dogmaticus. 411 435. 527 528 529 531 533 &c. ſuperficiarius. 437 530. ſolidus. 529.
Libertas philoſophandi. 383.
Linea recta. 112.
Lingua latina. 449.
Loca parallela in interpretando. 385 444 450.
Logica. 5. 10 15 16 17 483. artificialis. 5 8 10 14 15 28 441. major et minor. 281. naturalis. 5 29.

Digitized by Google

Logicae contemplatiõ, et applicatio. 14. usus et praecepta. 483.
Logomachia. 83 84 488 489 536.
Lumen. 143. intellectus. 54 57.

M.

Magnes. 301 407 520.
Major propositio. 204. terminus. ibid.
Materia idearum. 59. subtilis. 336 406. syllogismi. 203. disputabilis. 482 485.
Mathesis. 12 200 299.
Meditatio. 292 409 434.
leges. 403. usus. 403 404.
Medium. 388.
Medius terminus. 204 205 211 212.
Membra disjunctiva 154 155. dividentia. 132 133. hypotheticae propositionis. 153 156.
Memoria. 13 28 81 438.
Mendacium. 310 311.
Mens. 9 299.
Methodus. 30 376 393 434 513 515 527. paraenetica. 505. 513. analytica. 352. 355 392 409. causarum. 527 aenigmatica. 480 505 513. hieroglyphica. 440 505 513. mythologica. 505 513. erotematica. 527. mathematica. 38 228. paradigmatica. 505 513. philosophica. 37 315. scholastica.

Digitized by Google

laſtica. 527. ſymbolica. 505 513. dialogiſtica. 528. ſynthetica. 352 355 392 403. miſcella. 528. dogmatica. 440 504 514. characteriſtica. 505 513.
Minor propoſitio. 204. terminus. ibid.
Mirabile. 369 371.
Miraculum. 370.
Modius. 483.
Modus rei. 59 60 62 101 118 141 374. agendi 416 417 438 521 523. repraeſentandi. 44. 156 157. ſyllogismi. 206 218 343. externus. 60 — 62 et 141. internus. ibid.
Moraliter certum. 335 349 361.
Moraliter probabile. 358 359.
Motivum. 458 467.
Mundus. 86 330 399.
Mutabile. 349.
Mutatio methodi docendi. 513.
Mutatio in organis ſenſoriis. 40.
Mutter-Witz. 221.
Myſterium. 37. 480.

N.

Narratio. 363 364 371 372. ejus modus. 363. circumſtantiae. 364 363 368 370 372.
Neceſſario. 157.
Neceſſitas. 202 203. diſpenſationis 467.

Nega-

Negare. 304.
Negatio. 170 183 184 263.
Negativa propositio. 170 213.
Nescientia. 341.
Nexus rerum. 412 441 530. propositionum. 279 412 528 504.
Nota. 9 45 100 385 394. accidentalis. 47 64 101 107. essentialis. 49 64 100 101 395.
Notarius. 372.
Notio. *vid.* Idea.

O.

Odia restringenda. 475.
Odiosum quid? 476.
Objectio. 315 399.
Objectiva veritas. 318.
Objectum. 323 357.
Objurgatio loco responsionis. 265.
Obscuratio mentis. 57. sensus. 384.
Observatio. 167 168.
Occasio. 520 523 525.
Olfactus. 20.
Omissio generis, aut differentiae. 166.
Omnimode determinatum. 64.
Operatio intellectus. 41.
Opinio. 261 340 342 348.
Opponens. 484. 487 493.
Oppositio. 163 170 174.
Oratio. 165 505 508.
Ordo. 311 436 502 506 518 529. naturae. 530. scholae. ibid.

Orga-

Digitized by Google

Organa ſenſoria. 20.
Origo idearum. 40 41 76 323 197. terminorum. 76 80.
Oſtenſio. 247 263.
Oſtenſiva. 327 350.

P.

Pacti ceſſatio. 389 466.
Pactum 444 445 457.
Parabola. 120.
Paradoxum. 265.
Paralogismus. 264.
Particulae inſenſibiles. 406 407.
Paſſio. 129 145. praedominans. 379.
Perceptio. 57.
Percipere. 19 42 100.
Perficientia principia ſyllogismi. 246.
Per ſe evidens veritas. 324 325.
Perſpicuitas. 506 508.
Perſuaſio. 442 536.
Petitio principii, ſeu quaeſiti. 271.
Phantasma, vel Phantaſia. 13 25 27 189 192 194 285.
Phyſiognomiſta. 360 368 377.
Philoſophia. 2 36 38 86 315 316. definitiva. 293. ſophiſtica. 315 316.
Philoſophus. 4 293 315.
Picturae. 440.
Ponens. 231 232 257.
Poſitiones. 398.
Poſſibile. 37 157 348.
Poſtulatum. 161 163 396 449.
Potentia. 142 145. Prae-

Digitized by Google

Praecipitantia. 307 500 501.
Praedicabile. 152.
Praedicamentum. 11 126.
Praedicatum. 64 150 448.
Praejudicium. 295 301 302 306 414 509. aetatis. 297 300. antiquitatis. 218 295 300 301. auctoritatis. 295. educationis. ibid. institutionis. 295 298. praecipitantiae. 307 501. textus male intellecti. 295. nativitatis. 347.
Praemissa. 203 212 244 315 350.
Praesens. 19 204 364 496.
Praesumptio. 340 342. juris et de jure. 343.
Principium contradictionis. 326 331. demonstrandi. 325. probandi. 321 327. rationis sufficientis. 258. syllogismi. 205 209 210 243. dirigens. 245. perficiens. 246.
Privilegium. 474.
Probabile. 262 340 348 356.
Probabilismus. 339.
Probabilitas directa. 345 361. indirecta. 345 346. extrinseca. 339. hermeneutica. 357 358 384 446. historica. 357 358 522. intrinseca. 339. moralis. 357 377 442. physica. 357 360 374. politica, seu practica. 357 377 380. tenuis. 382.
Probabilitatis gradus. 366 368 369 371 381 531 32. collisio. 365. necessitas. 382 361
Probatio. 220 221 377 412 450 495.
Problema. 161 164 395.
Prognosticum. 419.

Digitized by Google

Promiſſor. 444 445 457.
Promptitudo. 30 130 414.
Pronuntiatio. 261 417 418.
Proportio. 199 201. in ſyllogismo 200.
Propoſitio. 165. 195. abſoluta ſeu categorica. 153. affirmativa. 150 151. aſſumpta. 337. cathegorica, ſeu abſoluta 153. clara 162. compoſita. 151 152. conditionalis, ſeu hypothetica. 153 154 160. contradictoria 171 179 185. contraria. 171 185. nverſa. 179 181. convertibilis. 179. copulativa. 153 154 156. definita. 159 160. demonſtrabilis 161. demonſtrativa. 340. disjunctiva. 152 154. excluſiva 158. exponibilis. 158 242. falſa. 317. hypothetica, ſeu conditionalis. 153. 154. 160. improbabilis. 348. indefinita. 152. 160 471. indemonſtrabilis. 161 163. major. 204. minor. 204. modalis. 157 186 187 242. negativa. 150 151. obſcura. 163. particularis. 152 213. practica. 160. probabilis 262 340 348 356 442. reduplicativa. 158. reſtrictiva. 158 368. ſimplex. 151 153. ſingularis. 152 160. ſubalterna 171 172 179. ſubcontraria. 171 184. ſubreptitia. 284. theoretica. 160. vera. 317 350. unice probabilis. 344. univerſalis. 152 323 427. 359. uni vera, alteri falſa. ibid.
Proprium. 102 291.
Proſyllogismus. 243. Purgatorium. 444.

Q.

Qualitas in genere. 128 140 141 261.

Qualitas patibilis. 143.
Qualitas Propoſitionis. 218.
Quando 129. Qualitatis ſigna. 152. 223.
Quantitas in genere. 99. 128 140 141 201.
Quantitas Propoſitionis. 218.
Quantitatis Signa. 152.

R.

Rarum. 369.
Ratio. 8 11 36 58. diviſionis faciendae. 137. legum et pactorum. 386 462. diſſimilium 174 175. ſimilium. 173. ſufficiens. 31 33 189 258 292 328 339 442 443 468. inſufficiens. 347 348 442.
Rationis Analogia. 196 381. Ratiocinatio 198 ejus neceſſitas. 321. Ratiocinium. 188.
Rectitudo ſenſionis. 19.
Reductio ſyllogismorum. 246 247. 256.
Reformatio morum et doctrinae 511.
Relatio. 59 60 61 101 128 144. propoſitionum ad aliquid. 451.
Reflexio. 11.
Refutatio 405 517. directa. 537. indirecta. 337. Regnum. 522.
Regulae converſionis. 181. 246. bonae definitionis. 104. usque 125. bonae diviſionis. 132. boni ſyllogismi. 208. 209 243. 244. ruſticae. 343.
Reminiſcentia. 13 26 191.
Remiſſio. 147. Removere. 258.
Repetere argumentum. 492.
Repraeſentatio in mente. 21.
Replicatio in diſputando. 495.

Re-

Digitized by Google

Requisita ad docendum. 306 530. ad experiendum. 288 322 ad meditandum. 290 292. 295. 300. ad ideas claras. 47. ad veritatem. 18 321 323 328 337. Organorum sensoriorum. 17 18 47 288. Res. 421.
Resolutio problematis. 165. sortis. 278.
Respondens. 484.
Responsio per instantiam. 495. in forma. 493 et 494. Restrictio. 429 430 454.
Retorsio. 263.

S.

Saga 303 326. Scholion 161 398 434.
Scopus. *vide* finis. 529.
Scrupulus. 341. 345.
Scriptio. 514. 515. usque ad 542.
Sensatio est criterium veritatis. 321.
Sensatio, seu sensio. 13 19 21 100 321.
Sensus. 8 362 409.
Sensus compositus. 270. divisus. 270. literalis. 447. externus. 20 21. originarius. 462. internus. 22 24. scripturae. 359 362. 384. proprius. 446 459. Mysticus. 480. latior. 462 463 464. strictior. 462 463 464.
Sensuum fallaciae. 18.
Sentiendi necessitas. 21 22 23.
Signatum. 418 419.
Significatus. 422. 449. proprius. 446.
Significatus receptus terminorum. 39 88 96. improprius. 447.
Signum. 418 419.
Signum arbitrarium. 77 310 419. naturale.

Digitized by Google

77 310 377 419. qualitatis. 218. quantitatis. 152 471. physiognomicum. 377.
Simplex apprehensio. 43. conversio. 180.
Sincerus. 505 512.
Singulare. 63 64 91 345.
Situs. 130. 147. Soliditas. 506 509 529.
Solutio 162. Somnus. 25 287.
Soni sunt signa arbitraria. 77 78 79 420.
Sophisma. 261 264 316.
Sophista. 263 265 315.
Sorites. 230 239 240 277 278 279.
Species. 65 67 72 515.
Specifica differentia. 64. Spectrum. 285.
Spiritus. 6 8 59 109. 139 333.
Status, qua proprietas termini. 429 430. controversiae. 488 492.
Stilus. 363 417 418 434 444 508 525. philosophicus. 38 434 507. historicus 526.
Subalternans, et subalternatum. 172 178 187.
Subdivisio. 132 395. Subjective. 318 319.
Subjectum. 150 448.
Subreptionis vitium. 282 284.
Substantia. 59 61 95 127 139 376 383.
Substrata materia. 460.
Sufficiens, et insufficiens. 340 341 348.
Supponere. 422.
Suppositio. 95 424 — 429. ejus divisio 424 426.
Suspensio Judicii. 304. Suspicio. 340.
Syllogismus. 12 195 202 261 485. est fraenum disputantium. 485. apodicticus 261. compositus. 230. copulativus. 234. cornutus. 235. crocodolinus. 235. crypticus. 229.

229. disjunctivus. 232 234. hypotheticus. 230. imperfectus. 209 229 246 252 modalis. 245. perfectus. 209 225. sophisticus. 261 264. synopticus. 245. materialiter bonus. 215. formaliter malus. 215.
Syllogismi differentia ab Enthymemate. 203. figura. 206 207 221. forma. 206. materia. 203. modus. 206. Partes respectu propositionum. 204. terminorum. 203. regulae generales. 205 — 210. speciales. 208 219.
Symbolum. 310 430.
Syneretismus. 491. Synonyma. 104.
Synopticus syllogismus. 245.
Systema. 335 341 343 357 436 459.

T.

Tabula mnemonica. 438 439. Tactus. 21.
Temperamentum hominis. 377—380 461 534.
Tenebrae Mentis. 55.
Terminus. 77 80 195 211. absolutus. 93. abstractus. 90 423. aequivocus. 85. cassus mente. 81. categorematicus. 92. clarus. 84. communis. 91 114. comparatus. 94. complexus. 93. concretus. 89. confusus. 95 96. determinatus. 85 86. distinctus 95 96. familiaris. 88 446. finitus 93. fixus. 85 86. formaliter sumptus. 90 94. homonymus. 90. impropriis. 446. inanis. 81 421. indeterminatus. 85. infinitus. 93. major. 204. materialiter sumptus. 89 94. medius. 204. mente cassus. 81 421. minor. 204 421. obscu-

ſeurus. 84. 421. paronymus. 91. particularis 91. praedicamentalis. 92. primointentionalis. 423 425. proprius. 87. 446. 447. relativus. 84. ſecundo intentionalis. 423. 425. ſumptus formaliter. 90 94. ſumptus materialiter. 89. 94. ſyncategorematicus. 92. ſynonymus. 89. technicus. 417 446 472 506. transcendentalis. 92. vagus. 85 421. univerſalis. 91 114 427. univocus. 85 86.
Terrae motus. 360.
Teſtimonium divinum. 362. humanum. 363 366. pueri. 365.
Teſtis. 363 364 367 371 373. auritus. 364. coaevus. 366. oculatus. 364. prohibitus. 365.
Tetralemma. 235. Theorema. 161. 164 396.
Theſis. 258 482 485. Tollens. 231 232 257.
Topicus. 261 262.
Totum eſſentiale. 135. integrale. 135 136. poteſtativum. 135. 137. univerſale. 135.
Traditio anonymorum. 519. Transeat. 307.
Trilemma. 235. Tutelae inculpatae moderamen. 274.

V.

Vacuum. 297. Varietas editionum. 450 503. temporis. 449. Ubi. 129 147.
Venditio, emtio. 121 122 291.
Verba, ſeu voces. 78 80 448 506.
Veriſimilitudo. 358 359 360 384.
Veritas. 261 307 394 441 495. evidens. 309 328 361 394 527. ideārum. 312. judicii. 312 logica. 310 311. metaphyſica. 310. moralis. 310 311 361. moraliter certa. 335 361 862. 442. probabilis. 334 348 356 359 531. propoſitionis. 312 356. ratiocinii. 312 324.
Veritatis criterium. 309 320 324.
Verſiculi mnemonici. 224 228 250 439.
Vis. 145. attractiva. 115 116 117 407. Viſus. 20.
Vitium ſyllogismi. 256 263 264. ſubreptionis. 284 285 282. materiae. 263. formae. 264.
Vituperii definitio. 113. Uni-

Digitized by Google

Universale oppositum singulari. 152 323.
Universalis propositio. 427.
Voces, seu verba. 78 80 415 419.
Voluptas philosophica. 414 512.
Voluntas. 459.
Vox cassa, et inanis. 80 81. est signum conceptus. 78 80 419.
Usus linguae universalis. 449.
Usus loquendi; civilis, et technicus. 88 96 97 415 448 460. eundem invenire. 97. 98. rationis, seu facultatis; futura cum praesentibus connectendi, atque actionum nostrarum; et propositionum consequentias perspiciendi; id est, nexum rerum. 279 412 441.
Utilitas idearum universalium. 66 73 91 114. Logicae artificialis. 28 483. Matheseos in Logica. 200.

Errata quaedam notabiliora:

pag.	lin.	pro	lege.
42	9	non ergo ubique	non ergo, ubi
42	10	ubi etiam	ibi etiam
42	14	conjuncta	conjunctae
43	6	ab	a
55	15	toties	totius
80	9	arbitraria	arbitrariae
80	11	in quapiam	in re quapiam
120	20	semicordinato	semiordinatae
121	16	urget, omnes ut	urget, ut
135	7	posrunt	posſunt
135	11	definitio	divisio
145	17	versistit	resistit
159	13	est omni	in est omni
167	6	Lehrsatz	Lehnsatz
171	13	quadrifarie	quadrifariam
183	23	ibi est commiseratio	ibi non est commi-
186	16	contradicit	contradic (seratio
209	21	genere, etiam	genere; hinc etiam

Digitized by Google

pag.	lin	pro	lege.
213	15	Sejus eſt animal	Sejus eſt Mevius
223	15	poſſibiles, tot	poſſibiles, hinc tot
224	16	fEſtInO, ſecundae	fEſtInO bArOcO, ſecundae
226	4	fEſInO	fEſtInO
236	15	verberas? Poculum	verberas? 4) Poculum
244	3	argumentatio	toties argumentatio
249	17	cogitur,	cogatur,
251	23	verifice	verſifice
313	9	indeſtruibilitatem	indeſtructibilitatem
313	22	debeant,	debent,
414	12	portu	partu
416	ult.	ſyntavi	ſyntaxi
435	22	dogmatic	dogmata
436	27	debet	debeat
437	1	continentur	concatenantur
439	21	praae	praë
449	18	quam conſultum	quam male conſultum
462	21	verba	per verba
464	29	critico	tritico
474	12	ſupremae	ſuprema
480	24	Gyraldii	Gyraldi
481	1	Bo	Bocca
489	17	poſitionem,	poſitionem incidant,
492	2	quam	quas
497	10	traditaeti	tarditati
499	3	auditionem	auditionem ſeu converſationem
503	18	audiendo	audiendo ſeu converſando
508	11	Flery	Fleury
514	10	Burneti	Burnetii
528	ult.	ncluſio	concluſio

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google